# C. CORNELII TACITI

# *OPERA.*

---

TOMUS TERTIUS.

---

T1186Br

# C. CORNELII TACITI *OPERA*

RECOGNOVIT, EMENDAVIT,

SUPPLEMENTIS EXPLEVIT,

*NOTIS, DISSERTATIONIBUS,*

TABULIS GEOGRAPHICIS ILLUSTRAVIT

*GABRIEL BROTIER.*

TOMUS TERTIUS.



113880
2/6/11

PARISIIS,
Ex Typographia LUDOVICI-FRANCISCI DELATOUR,
viâ San-Jacobeâ.

M. DCC. LXXI.
*Cum Approbatione, & Privilegio Regis.*

# *BREVIARIUM*

## LIBRI PRIMI.

I. *Historiarum præfatio, rerumque ſumma.* IV. *Status Urbis, mens exercituum.* VI. *Galbæ & ejus aulæ vitia.* VIII. *Hiſpaniæ, Galliæ, utriuſque Germaniæ, Orientis, Ægypti, ceterarumque provinciarum habitus.* XII. *Legionum Germaniæ ſuperioris defectio. Galba de adoptando Cæſare cogitat.* XIII. *Hac de re diſcordes T. Vinius & Cornelius Laco. Othonis ſpes.* XIV. *Piſo adoptatur.* XV. *Galbæ oratio.* XVII. *Moderatio Piſonis.* XVIII. *Intempeſtiva Galbæ ſeveritas.* XIX. *Legati ad defectores mittuntur.* XX. *Neronis prodigæ donationes reſciſſæ.* XXI. *Otho res novas molitur; animoſus militum corruptor.* XXIV. *Laconis, præfecti prætorianorum, ſocordia.* XXV. *Suſcipiunt duo manipulares, Proculus & Veturius, imperium populi Romani transferendum, & transferunt.* XXVII. *Otho, conſalutatus Imperator, caſtris infertur.* XXIX. *Interim ſenex Galba, ſacris intentus, alieni imperii fatigat deos. Piſo cohortem, quæ in palatio ſtationem agebat, hortatur ad fidem.* XXXI. *Illa parat ſigna: reliquæ copiæ deſciſcunt.* XXXII. *Plebis adulatio &*

*levitas. Cunctatur Galba, incertus manendum, an occurrendum diſcrimini.* XXXIV. *Vanus rumor occiſum in caſtris Othonem.* XXXV. *Inde in Galbam populi, equitum, ſenatorum, immodica ſtudia.* XXXVI. *At caſtra tenet Otho, flagranteſque militum animos oratione accendit.* XXXVIII. *Arma militi dividit.* XXXIX. *Piſo, crebreſcentis ſeditionis fremitu exterritus, egreſſum Galbam & foro appropinquantem adſequitur. Trepidæ plebis languent ſtudia: proximorum diffugia.* XL. *Othoniani milites, disjectâ plebe, proculcato ſenatu, forum inrumpunt.* XLI. *Galba juxta Curtium lacum occiditur.* XLII. *Vinii cædes.* XLIII. *Sempronii Denſi fides egregia. Piſo trucidatur.* XLV. *Alius ſtatim ſenatus, alius populus. Ruunt cuncti in Othonis venerationem.* XLVI. *Omnia militum arbitrio aguntur. Variæ cædes.* XLVII. *Corpora Piſonis, Vinii, Galbæ, ſepulturæ conceſſa. Eorum ingenia & mores.* L. *Otho & Vitellius vitiis invisi: ambigua de Veſpaſiano fama.* LI. *Initia cauſæque motûs Vitelliani. A Germanici exercitibus Vitellius Imperator conſalutatur. Ejus iter in Italiam inerti luxu & prodigis epulis fœdum. Belli duces Alienus Cæcina & Fabius Valens.* LXIII. *Galli, partim formidine, partim gaudio, Vitellii ſacramentum accipiunt.* LXVII. *Helvetiorum ſtrages.* LXXI. *Otho imperii munia, quædam ex dignitate reipublicæ,*


*pleraque contra decus, obit.* LXXII. *Tigellini exitium.* LXXIII. *Criſpinilla, magiſtra libidinum Neronis, periculo exempta.* LXXIV. *Mutuis epiſtolis Otho ac Vitellius concordiam tentant. Sed, diſtractis inter utrumque exercitibus ac provinciis, bello opus.* LXXVII. *Largitionibus voluptatibuſque animos Otho adgreditur.* LXXIX. *Inter civilis belli motus, Rhoxolani, Sarmatica gens, Mœſiam inrumpunt: primùm victores, mox victi.* LXXX. *Ortam in Urbe ſeditionem Otho ægre componit.* LXXXIII. *Ejus oratio.* LXXXVI. *Prodigia imminentium cladium prænuntia.* LXXXVII. *Belli conſilia; Othoniſque duces.* LXXXVIII. *Cornelius Dolabella in coloniam Aquinatem ſepoſitus.* LXXXIX. *Otho proficiſcitur, quiete Urbis curiſque imperii Salvio Titiano fratri permiſſis.*

Hæc geſta paucis menſibus,

| A. U. C. | J. C. | | |
|---|---|---|---|
| DCCCXXII. | 69. | *Coſſ.* | SER. SULPICIO Galba Aug. II.<br>T. VINIO Rufino. |



RÆTIA
GALLIA
Alpes Penninæ
Alpes Graiæ
Alpes Cottiæ
Alpes Marit.
Insubres
Novaria
Mediolanum
Vercellæ
Ticinum
Eporedia
Augusta Taurinorum
Padus Fl
Placentia
Cremona
Brixia
Verona
Vicetia
Altinum
Opitergium
Patavium
Ateste
Veneti
Liguria
Albingaunum
Album Intemelium
Antipolis
Monœcus
Forum Julium
Brixellum
Mutina
Bononia
Forum Alieni
Padus Fl
Ravenna
Apenninus
Ariminum
Florentia
Arnus Fl
Pisæ
Urbinum
Tuscia
Senensis Col
Etruria
Perusia
Carsula
Interamna
Planasia
Cosa
Ferentinum
Sabini
Saxa rubra
Tibur
ROMA
Bovillæ
Alba
Aricia
Suessa
Antium
Astura
Latium
Pomptina Pal
Tarracina
Pontia I
I Pandataria
Corsica
Sardinia
Segesta
Eryx
Milliaria Romana
30 60 90 120 150
24 25 26 27 28 29 30
46 45 44 43 42 41 40 39 38 37


ITALIA
ex
Cornelio Tacito.
Auctor ROBERT DE VAUGONDY Geog. Regis
et Academiæ regiæ Nanceianæ Socius
1770
NORICUM
ILLYRICUM
DALMATIA
MARE ADRIATICUM
Apulia
Calabria
Lucania
Campania
Barium
Brundisium
Tarentum
Beneventum
Dyrrachium
Thurii
Rhegium
Apenninus
Syracusæ
Nola
Cumæ
Baiæ
Puteoli
Neapolis
Capreæ
Nuceria
Vesuvius
Sicilia

# C. CORNELII *TACITI* HISTORIÆ.

## *LIBER PRIMUS.*

INITIUM mihi operis Ser. Galba iterum, T. Vinius, conſules [1] erunt. Nam poſt conditam Urbem octingentos & viginti prioris ævi annos multi auctores retulerunt: dum res populi Romani memorabantur, pari eloquentiâ ac libertate; poſtquam bellatum apud Actium, atque omnem poteſtatem [2] ad unum conferri pacis interfuit, magna illa ingenia ceſſere. Simul veritas pluribus modis infracta; primùm inſcitiâ reipublicæ, ut alienæ, mox libidine aſſentandi, aut rurſus odio adversùs dominantes. Ita neutris cura poſteritatis, inter inſenſos, vel obnoxios [3]. Sed ambitionem ſcriptoris [4] facilè adverſeris [5]:

A. U. C. 822. J. C. *69.*

[1] T. VINIUS, CONSULES] Servius Sulpicius Galba Cæſar II, Titus Vinius Rufinus, conſulatum iniere anno U. C. DCCCXXII. Jeſu Chriſti *69*.

[2] OMNEM POTESTATEM] Fortè *omnium potentiam*. Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. I, 1.

[3] OBNOXIOS] Principibus obnoxios, divitiarumque & honorum aucupes.

[4] AMBITIONEM SCRIPTORIS] Principem ambitioſè laudantis.

[5] ADVERSERIS] Melius fortè *averſeris*.

A. U. C. 822. J. C. 69.

obtrectatio & livor pronis auribus accipiuntur. Quippe adulationi fœdum crimen ſervitutis, malignitati falſa ſpecies libertatis ineſt. Mihi Galba, Otho, Vitellius, nec beneficio, nec injuriâ cogniti. Dignitatem noſtram a Veſpaſiano inchoatam [1], a Tito auctam [2], a Domitiano longiùs provectam [3] non abnuerim: ſed incorruptam fidem profeſſis, nec amore quiſquam, & ſine odio dicendus eſt. Quòd ſi vita ſuppeditet, principatum divi Nervæ [4], & imperium Trajani [5], uberiorem ſecurioremque [6] materiam ſenectuti ſepoſui: rarâ temporum felicitate, ubi ſentire quæ velis, & quæ ſentias dicere licet.

II. Opus adgredior opimum caſibus, atrox prœliis, diſcors ſeditionibus, ipsâ etiam pace ſævum. Quatuor Principes [7] ferro interempti. Tria bella civilia [8], plura externa, ac plerumque permixta [9]. Proſperæ, in Oriente; adverſæ, in Occidente res. Turbatum Illyricum: Galliæ nutantes: perdomita Britannia [10], & ſtatim miſſa: coortæ in nos Sarmatarum [11] ac Suevorum gentes: nobilitatus cladibus mutuis Dacus [12]: mota etiam propè Parthorum arma falſi Neronis [13] ludibrio. Jam verò Italia novis cladibus, vel poſt longam

[1] Inchoatam ] Quæſturâ, ut videtur.

[2] Auctam ] Ædilitate, aut tribunatu; ut rectè obſervat Lipſius.

[3] Provectam ] Domitiano Principe, ſacerdotio quindecimvirali præditus, ac prætor; ut dictum ſuprà Annal. XI, 11.

[4] Divi Nervæ ] Scripſit ergo Tacitus Hiſtorias, cùm jam inter divos relatus eſſet Nerva.

[5] Imperium Trajani ] De Nervæ & Trajani rebus vide infrà Tom. IV. Appendicem Chronologicam.

[6] Uberiorem securioremque ] Optimè Illuſtr. Huetius: *uberiorem*, quòd rerum ſub iis actarum, ut pote recentiorum, peritior eſſet: *ſecuriorem*, quòd ſub iis res ſenſuſque ſuos vulgare tutius fuerit, ac propterea certiùs eas cognoſceret.

[7] Quatuor Principes ] Galba, Otho, Vitellius, Domitianus.

[8] Civilia ] Othonis in Vitellium, Vitellii in Veſpaſianum, L. Antonii in Domitianum.

[9] Permixta ] Ita ut uno eodemque tempore civilia & externa bella gererentur.

[10] Britannia ] Ab Agricolâ, Domitiani Principatu, perdomita, mox omiſſa & neglecta.

[11] Sarmatarum ] Rhoxolanorum, Sarmatarum Iazygum, de quibus dictum eſt ſuprà Annal. XII, 29. De his Sarmatarum & Suevorum minis dicetur in Appendice Chronologicâ ad annum U. C. dcccxxxvii.

[12] Dacus ] De Dacicis bellis multa poſtea memorabuntur, maximè Trajani Principatu.

[13] Falsi Neronis ] De quo infrà Hiſt. II, 8. & in Appendice Chronologicâ ad annum U. C. dcccxli.

ſæculorum ſeriem [1] repetitis, adflicta. Hauſtæ aut obrutæ urbes [2] fecundiſſimâ Campaniæ orâ: & Urbs incendiis vaſtata [3], conſumptis antiquiſſimis delubris, ipſo Capitolio civium manibus incenſo [4]: pollutæ cærimoniæ: magna adulteria: plenum exſiliis mare [5]: infecti cædibus ſcopuli [6]: atrocius in Urbe ſævitum. Nobilitas, opes, omiſſi geſtique honores pro crimine; & ob virtutes, certiſſimum exitium. Nec minùs præmia delatorum inviſa, quàm ſcelera: cùm alii ſacerdotia & conſulatus, ut ſpolia, adepti, procurationes alii, & interiorem potentiam [7], agerent, ferrent cuncta. Odio & terrore [8] corrupti in dominos ſervi, in patronos liberti: & quibus deerat inimicus, per amicos oppreſſi [9]. Non tamen adeò virtutum ſterile ſæculum, ut non & bona exempla prodiderit.

A. U. C. 822.
J. C. 69.

III. Comitatæ profugos liberos matres: ſecutæ maritos

[1] Sæculorum seriem ] Innuit Tacitus jam olim tonuiſſe Veſuvium. Aliter tamen ſentit eruditus Colonne, quem meritò oppugnat Cl. Banier, *Mémoires de l'Académie Royale des Inſcriptions*, Tom. IX. pag. 15. Favetque Valerius Flaccus, Argonaut. IV, 507.

*Sic ubi prærupti tonuit cùm fortè Veſevi*
*Heſperiæ lethalis apex; vix dum ignea montem*
*Torſit hiems, jamque Æœas cinis induit urbes.*

Argonautica quidem Veſpaſiano inſcripta fuiſſe, cùm Titus Hieroſolyma expugnaret, certum videtur. Fortè tamen non integre ſtatim edita. Quæ affert ex Silio Italico incerta ſunt, cùm poſt Neronis mortem carmina ſcripſerit Italicus. Vide Supplementum Annal. XVI, 63. At quod ſcire non potuit Cl. Banier, & evidentiſſimum eſt argumentum antiquiora fuiſſe Veſuvii incendia, ſcilicet repertæ ſunt nuper in oppidis Herculano & Pompeiis viæ ſtratæ pumicoſis ſcoriis, quas vulgò dicimus *la lave*. Tales quoque ſcoriæ in ædium parietibus inventæ, ut videre eſt apud eruditum Winckelmann, *Lettre ſur les découvertes d'Herculanum*, pag. 13 & 14.

[2] Urbes ] Quas inter Herculanum & Pompeii, de quibus plura, in Appendice Chronologicâ. Tom. IV.

[3] Incendiis vastata ] Ut contigit, maximè Titi Principatu, cùm nona Urbis regio ferme tota conflagravit.

[4] Incenso ] A Vitellianis, ut dicetur infrà Hiſt. III, 67 & 71.

[5] Mare ] In Inſulas vulgò ejecti exſules.

[6] Scopuli ] Qui exſulum magis inviſorum cædibus ſæpe inficiebantur.

[7] Interiorem potentiam ] Cùm interioribus Principum conſiliis rebuſve immiſcerentur.

[8] Odio et terrore ] Bene Illuſtr. Huetius, *odio*, quod adversùs dominos ſuſceperant; *terrore*, quem ſciebant ſe dominis incuſſuros.

[9] Per amicos oppressi ] Hæc peſtis, imperante, Domitiano potiſſimum graſſata eſt, quam penitus ſuſtulit Trajanus. Inde Plinius in Panegyric. XLII. *Reddita eſt amicis fides, liberis pietas, obſequium ſervis: verentur, & parent, & dominos habent. Non enim jam ſervi Principis noſtri amici, ſed nos ſumus: nec pater patriæ alienis ſe mancipiis cariorem, quàm civibus ſuis, credit. Omnes accuſatore domeſtico liberaſti unoque ſalutis publicæ ſigno illud (ut ſic dixerim) ſervile bellum ſuſtuliſti, in quo non minus ſervis, quàm dominis, præſtitiſti: hos enim ſecuros, illos bonos feciſti.*

A. U. C. 822. J. C. 69.

in exſilia conjuges: propinqui audentes: conſtantes generi: contumax, etiam adversùs tormenta, ſervorum fides: ſupremæ clarorum virorum neceſſitates: ipſa neceſſitas fortiter tolerata: & laudatis antiquorum mortibus pares exitus. Præter multiplices rerum humanarum caſus, cælo terrâque prodigia, & fulminum monitus, & futurorum præſagia, læta, triſtia, ambigua, manifeſta. Nec enim umquam atrocioribus populi Romani cladibus, magiſve juſtis indiciis approbatum eſt, non eſſe curæ deis ſecuritatem noſtram, eſſe ultionem [1].

IV. Ceterùm antequam deſtinata componam, repetendum videtur, qualis ſtatus Urbis, quæ mens exercituum, quis habitus provinciarum, quid in toto terrarum orbe validum, quid ægrum fuerit: ut non modò caſus eventuſque rerum, qui plerumque fortuiti ſunt [2], ſed ratio etiam cauſæque [3] noſcantur. Finis Neronis ut lætus primo gaudentium impetu fuerat, ita varios motus animorum, non modò in Urbe apud patres, aut populum, aut Urbanum militem, ſed omnes legiones duceſque conciverat, evulgato imperii arcano, poſſe Principem alibi, quàm Romæ fieri. Sed patres læti, uſurpatâ ſtatim libertate, licentiùs, ut erga Principem [4] novum & abſentem: primores equitum proximi gaudio patrum: pars populi integra [5], & magnis domibus adnexa, clientes libertique

[1] Ultionem ] Atrox ſententia. Non malignus eſt deus: ſed ſcelerum patiens, ac demum ultor. Tacitus autem imitatus videtur Lucanum Pharſal. IV, 107.

*Felix Roma quidem, civeſque habitura beatos,*
*Si libertatis ſuperis tam cura placeret,*
*Quàm vindicta placet.*

Nec aliter Tullius, de Naturâ deorum III, 32 & ſeqq. In hanc enim impietatem abiere Veterum ſapientiſſimi, malorum gravitate victi, nec in patientiæ ſpem præmiaque erecti.

[2] Fortuiti sunt ] Hominibus ſcriptoribuſque rerum cauſas non introſpicientibus plerumque fortuiti ſunt. Explicat quoque Illuſtr. Huetius, plerumque inexpectati & non præviſi. Nam cùm nihil fiat ſine causâ, eventus fortuiti ſunt, non in ſe, ſed quoad nos.

[3] Ratio etiam causæque ] Hæc eſt hiſtoria. Cetera nugæ, memoriæque onera. Bene Sempronius Aſellio belli Numantini actor & ſcriptor, *Scribere bellum, quo initum conſule, & quo modo confectum ſit, & quis triumphans introierit, & quæ in eo bello geſta ſint iterare: non prædicare autem interea quid ſenatus decreverit, aut quæ lex rogatiove lata ſit, neque quibus conſiliis ea geſta ſint: id fabulas pueris eſt narrare, non hiſtorias ſcribere... Nobis non modò ſatis eſſe video quod factum eſſet id pronuntiare, ſed etiam quo conſilio, quâque ratione geſta eſſent demonſtrare.* Apud Gellium III, 18.

[4] Principem ] Galbam.

[5] Integra ] Pars populi integra, id eſt vitiis nondum fracta, & magnis domibus annexa, ac proinde honeſta, nec egens, clientes quoque li-

damnatorum

A. U. C. 822. J. C. 69.

damnatorum & exſulum, in ſpem erecti: plebs ſordida, & circo ac theatris ſueta, ſimul deterrimi ſervorum, aut qui, adeſis bonis, per dedecus Neronis alebantur, mæſti & rumorum avidi.

V. Miles Urbanus [1], longo Cæſarum ſacramento imbutus, & ad deſtituendum Neronem arte magis & impulſu, quàm ſuo ingenio traductus, poſtquam neque dari donativum [2], ſub nomine Galbæ promiſſum, neque magnis meritis ac præmiis eumdem in pace, quem in bello, locum, præventamque gratiam, intelligit, apud Principem a legionibus factum, pronus ad novas res, ſcelere inſuper Nymphidii Sabini, Præfecti [3], imperium ſibi molientis, agitatur. Et Nymphidius quidem in ipſo conatu oppreſſus [4]. Sed, quamvis capite defectionis ablato, manebat pleriſque militum conſcientia: nec deerant ſermones « ſenium atque avaritiam Galbæ » increpantium. Laudata olim, & militari famâ [5] celebrata ſeveritas ejus, angebat aſpernantes veterem diſciplinam, atque ita quatuordecim annis a Nerone adſuefactos, ut haud minùs vitia Principum amarent, quàm olim virtutes verebantur. Acceſſit Galbæ vox pro republicâ honeſta, ipſi anceps, « legi a ſe militem, non emi ». Nec enim ad hanc formam cetera erant.

VI. Invalidum ſenem T. Vinius [6], & Cornelius Laco [7],

bertique damnatorum & exſulum in ſpem proſperæ benignæque dominationis erecti. Paulo aliter explicat Illuſtr. Huetius, *pars populi integra*, id eſt, pars populi, quæ Neronis ſævitiam, aut liberalitatem, experta non fuerat, & optimates affinitate contingebat, iis aſſentiebatur.

[1] Miles Urbanus] Ac maximè prætorianus. Vide Supplementum Annal. XVI, 84 & 93.

[2] Donativum] Immenſum donativum, a Nymphidio ſub nomine Galbæ promiſſum, ut dictum eſt in Supplemento Annal. XVI, 85.

[3] Præfecti] Præfecti prætorianorum, de quo multa loc. cit.

[4] Oppressus] Utì narratum in Supplemento Annal. XVI, 93.

[5] Militari fama] Rem illuſtrat Suetonius in Galbâ VI. *A Caio Cæſare*, Caligulâ, *Gætulico ſubſtitutus* Galba, *poſtridie quàm ad legiones venit, ſolemni forte ſpectaculo plaudentes inhibuit, datâ teſſerâ, ut manus pænulis continerent. Statim per caſtra jactatum eſt,*

*Diſce miles militare: Galba eſt, non Gætulicus.*

Gætulicus autem ille eſt Lentulus Gætulicus, ſuperioris Germaniæ legatus, *effuſæ clementiæ, modicus ſeveritate*, utì dictum ſuprà Annal. VI, 30.

[6] T. Vinius] De quo dictum ſuprà in Supplemento Annal. XVI, 69, 93 & 96. nunc conſul.

[7] Cornelius Laco] Poſt Nymphi-

A. U. C. 822. J. C. 69.

alter deterrimus mortalium, alter ignaviſſimus, odio flagitiorum onerabant, contemptu inertiæ deſtruebant. Tardum Galbæ iter [1], & cruentum, interfectis Cingonio Varrone [2], conſule deſignato, & Petronio Turpiliano [3], conſulari: ille ut Nymphidii ſocius, hic ut dux Neronis, inauditi atque indefenſi, tamquam innocentes perierant. Introitus in Urbem [4], trucidatis tot millibus inermium militum, infauſtus omine, atque ipſis etiam, qui occiderant, formidoloſus. Inductâ legione Hiſpanâ [5], remanente eâ, quam e claſſe [6] Nero conſcripſerat, plena Urbs exercitu inſolito: multi ad hoc numeri [7] e Germaniâ ac Britanniâ, & Illyrico, quos idem Nero electos præmiſſoſque ad clauſtra Caſpiarum [8], & bellum, quod in Albanos parabat [9], opprimendis Vindicis cœptis [10] revocaverat: ingens novis rebus materia, ut non in unum aliquem prono favore, ita audenti parata [11].

VII. Forte congruerat, ut Clodii Macri, & Fonteii Capitonis [12] cædes nuntiarentur. Macrum in Africâ haud dubiè turbantem, Trebonius Garucianus, procurator, juſſu

dium præfectus prætoriarum cohortium. Vide Supplementum Annal. XVI, 93 & 96.

[1] Iter ] Hoc iter narratum in Supplemento Annal. XVI, 92.

[2] Cingonio Varrone ] Vide Supplementum Annal. XVI, 93 & 94.

[3] Petronio Turpiliano ] Vide Supplementum Annal. XVI, 81 & 94.

[4] Introitus in Urbem ] De hoc cruento introitu plura in Supplemento Annal. XVI, 95.

[5] Legione Hispana ] Quam, cùm ex Hiſpaniâ reverteretur, comitem itineris habuerat.

[6] Quam e classe ] De hac legione vide Supplementum Annal. XVI, 95, & infrà Hiſt. I, 31 & 37.

[7] Multi ad hoc numeri ] Gallicè *pluſieurs corps de troupes*. Numeri dicebantur milites in ordines deſcripti: tirones verò, nondum in ordines relati. Vide ſuprà Annal. II, 78 & 80.

[8] Ad claustra Caspiarum ] Comminatio quidem Neronis fuerat ad portas Caſpias: ſed revera tendebat ad portas Iberiæ, ſeu Caucaſias. Unde Plinius VI, 13. *Corrigendus eſt error in hoc loco multorum, eorum etiam qui in Armeniâ res proximè cum Corbulone geſſère. Namque hi Caſpias appellavere portas Iberiæ, quas Caucaſias diximus vocari: ſituſque depicti & inde miſſi, hoc nomen inſcriptum habent. Et Neronis Principis comminatio, ad Caſpias portas tendere dicebatur: cùm peteret illas, quæ per Iberiam in Sarmatas tendunt, vix ullo propter oppoſitos montes aditu ad Caſpium mare.* Itaque Clauſtra illa Caſpiarum, nunc *Teflis*. Vide Annal. VI, 33.

[9] In Albanos parabat ] Vide Supplementum Annal. XVI, 47 & 74.

[10] Cœptis ] De quibus dictum ſatis in Supplemento Annal. XVI, 66 & ſeqq.

[11] Audenti parata ] Tanta vis militum erat ingens novis rebus materia. Prono enim favore in unum aliquem non propendebant, ſed audaciſſimo cuique parere erant parati.

[12] Clodii Macri et Fonteii Capitonis ] Vide Supplementum Annal. XVI, 77 & 92.

A. U. C. 822. J. C. 69.

Galbæ; Capitonem in Germaniâ, cùm ſimilia cœptaret, Cornelius Aquinus, & Fabius Valens, legati legionum interfecerant, antequam juberentur. Fuere qui crederent, Capitonem ut avaritiâ & libidine fœdum, ac maculoſum, ita cogitatione rerum novarum abſtinuiſſe: ſed a legatis, bellum ſuadentibus, poſtquam impellere nequiverint, crimen ac dolum compoſitum ultro: & Galbam mobilitate ingenii, an, ne altiùs ſcrutaretur, quoquo modo acta, quia mutari non poterant, comprobaſſe. Ceterùm utraque cædes ſiniſtre accepta: & inviſo ſemel Principe, ſeu bene, ſeu malè facta premunt. Jam adferebant venalia cuncta præpotentes liberti: ſervorum manus ſubitis avidæ [1], & tamquam apud ſenem feſtinantes: eademque novæ aulæ [2] mala, æquè gravia, non æquè excuſata. Ipſa ætas Galbæ [3] & inriſui, ac faſtidio erat, adſuetis juventæ Neronis, & Imperatores formâ ac decore corporis (ut eſt mos vulgi) comparantibus.

VIII. Et hic quidem Romæ, tamquam in tantâ multitudine habitus animorum fuit. E provinciis, Hiſpaniæ [4] præerat Cluvius Rufus, vir facundus [5], & pacis artibus, bellis inexpertus. Galliæ [6], ſuper memoriam Vindicis, obligatæ recenti dono [7] Romanæ civitatis, & in poſterum tributi leva-

[1] Subitis avidæ ] Nemo avidior ſervis, quibus ſubita fortuna obvenit.

[2] Novæ aulæ ] Eadem aulæ Galbianæ, ac Neronianæ mala.

[3] Ipsa ætas ] Tres & ſeptuaginta annos natus erat Galba, ut dictum in Supplemento Annal. XVI, 89. Vide quoque Plutarchum in Galbâ, pag. 1056.

[4] Hispaniæ ] Hiſpaniæ Tarraconenſi, ſeu citeriori, ut dictum in Supplemento Annal. XVI, 67.

[5] Vir facundus ] Hiſtorias ſcripſit, de quibus rem, Cluvio non indecoram, Verginio dignam, refert Plinius IX Ep. 19. Scilicet *ita cum Verginio aliquando Cluvium locutum: Scis, Vergini, quæ hiſtoriæ fides debeatur: proinde ſi quid in hiſtoriis meis legis aliter ac velles, rogo ignoſcas. Ad hoc ſic illum: Cluvi, næ tu ignoras, ideo me feciſſe, quod feci, ut eſſet liberum vobis ſcribere, quæ licuiſſet.*

[6] Galliæ ] Galliarum pars, Sequani, Ædui, & Arverni, qui pro Vindice ſteterant. Vide Supplementum Annal. XVI, 78.

[7] Recenti dono ] Primores Galliæ civitatem Romanam pridem erant aſſecuti, ut dictum eſt ſuprà Annal. XI, 23. Nunc verò non primores tantùm ſed Galli omnes, qui Vindici, Galbianæ fortunæ auctori, faverant, obligati ſunt recenti dono Romanæ civitatis, & in poſterum tributi levamento. Id tamen eos non benignitate Principis, ſed pretio emiſſe a T. Vinio ſcribit Plutarchus in Galb, pag. 1060. *Ἐδόκει γὰρ οὐ φιλανθρωπίᾳ τῦ αὐτοκράτορος, ἀλλ' ὠνητοὶ παρὰ Οὐϊνίου τυγχάνειν αὐτοὶ τῆς ἀτελείας, καὶ πολιτείας.*

A. U. C. 822. J. C. 69.

mento [1]. Proximæ tamen Germanis exercitibus Galliarum civitates [2], non eodem honore habitæ, quædam etiam finibus ademptis [3], pari dolore commoda aliena, ac ſuas injurias metiebantur. Germani exercitus, quod periculoſiſſimum in tantis viribus, ſolliciti & irati ſuperbiâ recentis victoriæ [4], & metu, tamquam alias partes [5] foviſſent. Tardè a Nerone deſciverant: nec ſtatim pro Galbâ Verginius: an imperare voluiſſet dubium: delatum ei a milite imperium [6] conveniebat. Fonteium Capitonem occiſum, etiam qui queri non poterant, tamen indignabantur. Dux deerat, abducto Verginio [7] per ſimulationem amicitiæ: quem non remitti, atque etiam reum eſſe, tamquam ſuum crimen accipiebant.

IX. Superior exercitus legatum, Hordeonium Flaccum [8], ſpernebat, ſenectâ ac debilitate pedum [9] invalidum, ſine conſtantiâ, ſine auctoritate: ne quieto quidem milite, regimen; adeò furentes infirmitate retinentis ultro accendebantur. Inferioris Germaniæ legiones diutiùs ſine conſulari [10] fuere: donec, miſſu Galbæ, A. Vitellius aderat [11], cenſoris Vitellii, ac ter conſulis, filius. Id ſatis videbatur [12]. In Britannico

[1] Tributi levamento ] *Quartâ tributorum parte*, ut dicetur infrà cap. 51.

[2] Galliarum civitates ] Lingones nempe, Remi, & populi Rheno proximi, ut dictum eſt in Supplemento Annal. XVI, 78.

[3] Finibus ademptis ] Parte agrorum ademptâ, & aliis contributâ. Vide infrà cap. 53.

[4] Recentis victoriæ ] Superato Vindice. Vide Supplementum Annal. XVI, 78.

[5] Alias partes ] Neronis partes.

[6] A milite imperium ] Vide Supplementum Annal. XVI, 79.

[7] Abducto Verginio ] Qui Galbæ, ex Hiſpaniâ revertenti, occurrit, & illiberaliter exceptus eſt, tamquam reus. Vide Supplementum Annal. XVI, 94.

[8] Hordeonium Flaccum ] Flaccus Verginio ſucceſſerat.

[9] Debilitate pedum ] *Acerrimâ podagrâ invalidum*, *ὑπὸ συντόνου ποδάγρας ἀδύνατον ὄντα τῷ σώματι*, Plutarch. in Galbâ pag. 1061.

[10] Sine consulari ] Interfecto Fonteio Capitone.

[11] A. Vitellius aderat ] Aulus Vitellius, poſtea Princeps, filius Vitellii, cenſoris ac ter conſulis, de quo ſæpe ſuprà dictum, ac maximè libris Annalium XI, XII & XIV. Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. I, 9. ubi proponetur Stemma Vitelliorum.

[12] Id satis videbatur ] Ne emendes, ut multis placuit, *id fatis videbatur*, quaſi A. Vitellium, imperio deſtinatum præmonſtraſſent. Egregiè dictum, *id ſatis videbatur*. Nempe ad ſecuritatem ſuam Galbæ ſatis videbatur præfeciſſe ſuperiori Germaniæ Hordeonium Flaccum, podagroſum ſenem: Germaniæ inferiori A. Vitellium, helluonem guloſum. Inde Suetonius in Vitell. VII. *A Galbâ in inferiorem Germaniam contra opinionem miſſus eſt* Vitellius. *Adjutum putant Titi Vinii ſuffragio, tunc potentiſſimi, & cui jampridem per*

exercitu nihil irarum. Non ſanè aliæ legiones, per omnes civilium bellorum motus, innocentiùs egerunt: ſeu quia procul, & Oceano diviſæ; ſeu, crebris expeditionibus, doctæ hoſtem potiùs odiſſe. Quies & Illyrico: quamquam excitæ [1] a Nerone legiones, dum in Italiâ cunctantur, Verginium legationibus adiſſent [2]. Sed longis ſpatiis diſcreti exercitus, quod ſaluberrimum eſt ad continendam militarem fidem, nec vitiis, nec viribus miſcebantur.

A. U. C. 822. J. C. 69.

X. Oriens adhuc immotus. Syriam & quatuor legiones obtinebat Licinius Mucianus [3], vir ſecundis adverſiſque juxtà famoſus. Inſignes amicitias juvenis ambitioſè coluerat: mox, attritis opibus, lubrico ſtatu, ſuſpectâ etiam Claudii iracundiâ, in ſecretum Aſiæ [4] repoſitus, tam propè [5] ab exſule fuit, quàm poſtea a Principe. Luxuriâ, induſtriâ, comitate, arrogantiâ, malis boniſque artibus mixtus: nimiæ voluptates, cùm vacaret: quotiens expedierat, magnæ virtutes. Palam laudares, ſecreta malè audiebant. Sed apud ſubjectos, apud proximos, apud collegas, variis inlecebris potens: & cui expeditius fuerit tradere imperium, quàm obtinere. Bellum Judaicum Flavius Veſpaſianus ( ducem eum Nero delegerat [6] ) tribus legionibus [7] adminiſtrabat. Nec Veſpaſiano

*communem factionis Venetæ favorem conciliatus eſſet: niſi quod Galba præ ſe tulit, nullos minùs metuendos, quàm qui de ſolo victu cogitarent, ac poſſe provincialibus copiis profundam ejus expleri gulam, ut cuivis evidens ſit, contemptu magis, quàm gratiâ, electum. Satis conſtat exituro viaticum defuiſſe, tantâ egeſtate rei familiaris, ut uxore & liberis, quos Romæ relinquebat, meritorio cœnaculo abditis, domum in reliquam partem anni ablocarit: utque ex aure matris detractum unionem pigneraverit ad itineris impenſas.* De factione Venetâ, aliiſque in circo, dixi ſuprà in Supplemento Annal. XVI, 42. Not. 3.

[1] Excitæ ] Quas Nero exciverat, cùm bellum in Albanos pararet, deinde opprimendis Vindicis cœptis revocaverat, ut dictum eſt ſuprà cap. 6.

[2] Adissent ] Et imperium obtuliſſent.

[3] Licinius Mucianus ] Tuncque cudi curavit nummum, quem e gazâ Regiâ protulit Harduinus, *Selecta Opera*, pag. 637. IMP. SER. SVL. GALBAE. *Imperatori Servio Sulpicio Galbæ*: caput laureatum. In parte poſticâ, in laureâ, ΕΠΙ ΜΟΥΚΙΑΝΟΥ. *Sub Muciano*, præſide Syriæ, & epigraphe ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΤ. ΖΙΡ. *Antiochen[illegible] anno CXVII*, qui autumno ſuperioris anni incœpit.

[4] In secretum Asiæ ] Legatus in Lyciam miſſus, ut conjicere licet ex Plinio XII, 1. Ibi reperit platanum illam, nemoroſam vertice, intra quam epulatus eſt cum duodeviceſimo comite.

[5] Tam prope ] Nunc exſuli, poſtea Principi proximus: ferme exſul, pòſt ferme Princeps.

[6] Delegerat ] Vide Supplementum Annal. XVI, 57 & ſeqq.

[7] Tribus legionibus ] Immo quatuor legionibus, ſcilicet V, X, XII

A. U. C. 822. J. C. 69. adverſùs Galbam votum, aut animus. Quippe Titum filium, ad venerationem cultumque ejus miſerat, ut ſuo loco memorabimus [1]. Occultâ lege fati, & oſtentis, ac reſponſis [2], deſtinatum Veſpaſiano liberiſque ejus imperium, poſt fortunam credidimus.

XI. ÆGYPTUM copiaſque, quibus coerceretur, jam inde a divo Auguſto, equites Romani [3] obtinent, loco regum. Ita viſum expedire, provinciam aditu difficilem, annonæ fecundam, ſuperſtitione, ac laſciviâ diſcordem & mobilem [4], inſciam legum, ignaram magiſtratuum domi retinere [5]. Regebat tum Tiberius Alexander [6] ejuſdem nationis. Africa, ac legiones in eâ [7], interfecto Clodio Macro, contentæ qualicumque Principe, poſt experimentum domini minoris [8]. Duæ Mauretaniæ [9], Rætia, Noricum [10], Thracia, & quæ aliæ procuratoribus cohibentur, ut cuique exercitui vicinæ, ita in favorem, aut odium, contactu valentiorum agebantur. Inermes provinciæ [11], atque ipſa in primis Italia, cuicumque ſervitio expoſita, in pretium belli ceſſuræ erant. Hic fuit rerum Romanarum ſtatus, cùm Ser. Galba iterum, Ti-

& XV. Vide Supplementum Annal. XVI, 59.

[1] MEMORABIMUS ] Infrà Hiſt. II, 1.

[2] OSTENTIS AC RESPONSIS ] De quibus plura infrà Hiſt. II, 78.

[3] EQUITES ROMANI ] Vetiti etiam, niſi permiſſu, ſenatores aut equites illuſtres Ægyptum ingredi, ne quis provinciam, populi Romani altricem, occuparet; ut dictum ſupra Annal. II, 59. Vide quoque Strabonem XVII, pag. 548.

[4] MOBILEM ] Nec aliter Adrianus Imperator, cùm Serviano conſuli ſcriberet. *Ægyptum, quam mihi laudabas, Serviane chariſſime, totam didici, levem, pendulam, & ad omnia famæ momenta volitantem . . . Genus hominum ſeditioſiſſimum, vaniſſimum, injurioſiſſimum. Civitas*, Alexandria, *opulenta, dives, fecunda, in quâ nemo vivat otioſus. Alii vitrum conflant, ab aliis charta conficitur: alii linyphiones*, Ouvriers en toiles de lin, *ſunt: omnes certè cujuſcumque artis & videntur & habentur. Podagroſi quod agant habent: habent cæci quod faciant: ne chiragrici quidem apud eos otioſi vivunt.* Vopiſc. in Saturnin. VIII.

[5] DOMI RETINERE ] Ita ut nihil externum cogitaret, nullaque eſſet novarum rerum materia.

[6] TIBERIUS ALEXANDER ] Qui idem videtur, de quo ſuprà Annal. XV, 28.

[7] LEGIONES IN EA ] Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. I, 11. Ibi ſimul de Macri nummis dicetur.

[8] DOMINI MINORIS ] Clodii Macri, domini minoris, & qualicumque Principe rapacioris & crudelioris.

[9] DUÆ MAURETANIÆ ] Mauretaniam in duas provincias diviſerat Caius Caligula, ut dicetur in Supplemento Annal. VIII, 34. & IX, 29.

[10] RÆTIA, NORICUM ] Nunc *le pays des Griſons, la Baviere, &c.*

[11] INERMES PROVINCIÆ ] Provinciæ, in quibus non erant militum præſidia.

tus Vinius conſules, inchoavere annum ſibi ultimum, reipublicæ propè ſupremum.

A. U. C. 822. J. C. 69.

XII. Paucis poſt Calendas Januarias diebus Pompeii Propinqui, procuratoris, e Belgicâ [1] literæ afferuntur, « ſuperioris Germaniæ legiones [2], ruptâ ſacramenti reverentiâ [3], »Imperatorem alium flagitare, & ſenatui ac populo Romano »arbitrium eligendi permittere », quò ſeditio molliùs acciperetur. Maturavit ea res conſilium Galbæ, jam pridem de adoptione ſecum & cum proximis agitantis. Non ſanè crebrior totâ civitate ſermo per illos menſes fuerat: primùm licentiâ, ac libidine talia loquendi, dein feſsâ jam ætate Galbæ. Paucis judicium, aut reipublicæ amor: multi occultâ ſpe, prout quis amicus vel cliens, hunc vel illum ambitioſis rumoribus deſtinabant, etiam in T. Vinii odium diverterant, qui in dies quantò potentior, eodem factu inviſior erat. Quippe hiantes, in magnâ fortunâ, amicorum cupiditates, ipſa Galbæ facilitas intendebat: cùm apud infirmum & credulum, minore metu, & majore præmio peccaretur.

XIII. Potentia principatûs diviſa in T. Vinium, conſulem, & Cornelium Laconem, prætorii præfectum. Nec minor gratia Icelo [4], Galbæ liberto, quem anulis donatum [5], equeſtri nomine *Martianum* vocitabant. Hi diſcordes, & rebus minoribus ſibi quiſque tendentes, circa conſilium eligendi ſucceſſoris in duas factiones ſcindebantur. Vinius pro M. Othone: Laco atque Icelus conſenſu non tam unum aliquem fovebant, quàm alium [6]. Neque erat Galbæ ignota

[1] E Belgica ] Ex Galliâ Belgicâ. *A Scalde*, l'Eſcaut, *ad Sequanam*, la Seine, *Belgica*, Plin. IV, 17.

[2] Legiones ] Quibus præerat Hordeonius Flaccus, ut dictum eſt ſuprà cap. 9.

[3] Reverentia ] Sueton. in Galbâ, XVI. *Maximè fremebat ſuperioris Germaniæ exercitus, fraudari ſe præmiis navatæ adversùs Gallos & Vindicem operæ. Ergo primi obſequium rumpere auſi, Kalendis Januarii adigi ſacramento, niſi in nomen Senatûs recuſarunt: ſtatimque legationem ad prætorianos cum mandatis deſtinaverunt, diſplicere Imperatorem in Germaniâ factum, eligerent ipſi, quem cuncti exercitus comprobarent.* Multa quoque habet Plutarchus in Galbâ, pag. 1062.

[4] Icelo ] De Icelo vide Supplementum Annal. XVI, 88 & 96.

[5] Anulis donatum ] Liberti anulis aureis donabantur ſimul cum equeſtri dignitate, ut docet Plinius XXXIII, 2.

[6] Quam alium ] Fortè, qui faverent Dolabellæ, teſte Plutarcho in Galbâ, pag. 1063.

A. U. C. 822. J. C. 69.

Othonis ac T. Vinii amicitia ; & rumoribus nihil ſilentio tranſmittentium ( quia vidua Vinio filia [1] , cælebs Otho ) gener ac ſocer deſtinabantur. Credo & reipublicæ curam ſubiſſe [2] , fruſtra a Nerone tranſlatæ, ſi apud Othonem relinqueretur. Namque Otho pueritiam incuriosè, adoleſcentiam petulanter egerat; gratus Neroni æmulatione luxûs : eóque jam Poppæam Sabinam [3] , Principale ſcortum, ut apud conſcium libidinum, depoſuerat, donec Octaviam uxorem [4] amoliretur : mox ſuſpectum in eâdem Poppæâ, in provinciam Luſitaniam, ſpecie legationis, ſepoſuit [5]. Otho, comiter adminiſtratâ provinciâ, primus in partes tranſgreſſus [6], nec ſegnis, & donec bellum fuit, inter præſentes ſplendidiſſimus, ſpem adoptionis, ſtatim conceptam, acriùs in dies rapiebat : faventibus pleriſque militum ; pronâ in eum aulâ Neronis, ut ſimilem.

XIV. Sed Galba, poſt nuntios Germanicæ ſeditionis, quamquam nihil adhuc de Vitellio [7] certum, anxius, quónam exercituum vis erumperet, ne Urbano quidem militi confiſus, quod remedium unicum rebatur, comitia imperii [8] tranſigit. Adhibitoque, ſuper Vinium, ac Laconem, Mario Celſo [9], conſule deſignato, ac Ducennio Gemino [10], præfecto Urbis, pauca præfatus « de ſuâ ſenectute, Piſonem Li» cinianum arceſſi » jubet [11] : ſeu propriâ electione [12], ſive, ut

[1] Vidua filia ] Jam memorata in Supplemento Annal. XVI, 97.

[2] Subisse ] In animum Galbæ ſubiit reipublicæ cura, quam a Nerone fruſtra tranſtulerat, ſi apud Othonem relinqueretur.

[3] Poppæam Sabinam ] De quâ plura jam dicta ſunt Annal. XIII, 45. Cur autem alia de Othonis ac Poppææ amore ibi prodiderit, probabilem, ut opinor, cauſam hoc in loco attuli.

[4] Octaviam uxorem ] Vide Annal. XIV, 59 & 60.

[5] Seposuit ] Et Luſitaniæ præfecit, ut dictum ſuprà Annal. XIII, 46.

[6] In partes transgressus ] Vide Supplementum Annal. XVI, 77.

[7] De Vitellio ] Inferioris Germaniæ legato; ſuprà cap. 9.

[8] Comitia imperii ] Privatæ adoptiones comitiis apud pontifices tranſigebantur. At Galba, ut filium & Imperatorem adoptet, comitia imperii in caſtris prætorianis tranſigit.

[9] Mario Celso ] Olim XV legionis legato. Suprà Annal. XV, 25.

[10] Gemino ] De quo Annal. XV, 18.

[11] Arcessi jubet ] Sueton. in Galbâ, XVII. Ut nuntiata eſt ſuperioris Germaniæ exercitûs defectio, *deſpectui eſſe non tam ſenectam ſuam, quàm orbitatem ratus, Piſonem Frugi Licinianum, nobilem egregiumque juvenem, ac ſibi olim probatiſſimum, teſtamentoque ſemper in bona & nomen adſcitum, repentè e mediâ ſalutantium turbâ apprehendit ; filiumque appellans, perduxit in caſtra, ac pro concione adoptavit.*

[12] Propria electione ] Favet Plutarchus in Galbâ, pag. 1063.

quidam

A. U. C. 822. J. C. 69.

quidam tradiderunt, Lacone inſtante, cui, apud Rubellium Plautum [1], exercita cum Piſone amicitia: ſed callidè, ut ignotum, fovebat, & proſpera de Piſone fama conſilio ejus fidem addiderat. Piſo, M. Craſſo & Scriboniâ [2] genitus, nobilis utrimque, vultu habituque moris antiqui, & æſtimatione rectâ ſeverus, deteriùs interpretantibus triſtior habebatur: ea pars morum ejus, quo ſuſpectior ſollicitis, adoptanti placebat.

XV. Igitur Galba, apprehensâ Piſonis manu, in hunc modum locutus fertur: « Si te privatus, lege curiatâ [3], apud »pontifices, ut moris eſt, adoptarem; & mihi egregium erat »Cn. Pompeii & M. Craſſi ſubolem [4] in penates meos ad»ſciſcere; & tibi inſigne, Sulpiciæ ac Lutatiæ [5] decora, no»bilitati tuæ adjeciſſe. Nunc me, deorum hominumque con»ſenſu ad imperium vocatum, præclara indoles tua, & amor »patriæ impulit, ut Principatum, de quo majores noſtri ar»mis certabant, bello adeptus, quieſcenti offeram, exem»plo divi Auguſti, qui ſororis filium [6] Marcellum, dein ge»nerum Agrippam [7], mox nepotes ſuos [8], poſtremò Tibe»rium Neronem [9], privignum, in proximo ſibi faſtigio col»locavit. Sed Auguſtus in domo ſucceſſorem quæſivit; ego, »in republicâ: non, quia propinquos, aut ſocios belli non »habeam: ſed neque ipſe imperium ambitione accepi, & ju»dicii mei documentum ſint, non meæ tantùm neceſſitudi-

[1] Plautum ] De quo ſæpe ſuprà Annal. XIII & XIV.

[2] M. Craſſo et Scriboniâ ] Vide Stemma Piſonis in Notis & Emendationibus ad Hiſt. I, 14.

[3] Lege curiatâ ] De hac lege dictum ſuprà Annal. XI, 22.

[4] Subolem ] Matre Scriboniâ, Piſo erat ſoboles Cn. Pompeii Magni: patre Craſſo, M. Craſſi, Romanorum ditiſſimi. Vide Stemma Piſonis; & Stemma Cæſarum, num. 7.

[5] Sulpiciæ ac Lutatiæ ] Ser. Sulpicius Galba paterno ſanguine erat Sulpiciæ gentis; materno autem, Lutatiæ. Inde *ſtatuarum* ſuarum *titulis pronepotem Quinti Catuli Capitolini ſemper* adſcripſit. Teſte Suet. in Galbâ II & III. Ita quoque Plutarch. in Galbâ pag. 1054. At pro Κάτλυ, corrige Κατύλυ. Nummos Q. Catuli in familiâ Lutatiâ exhibet eruditus Vaillant, *Nummi antiqui familiarum Romanarum.* Tom. II. pag. 74 & ſeqq.

[6] Sororis filium ] Marcellum, filium Octaviæ, ſororis Auguſti. Vide Stemma Cæſarum, num. 16 & 18.

[7] Agrippam ] M. Vipſanium Agrippam. Vide Stemma Cæſarum, num. 47.

[8] Nepotes ſuos ] Caium & Lucium, Cæſares. Vide Stemma Cæſarum, num. 48 & 49.

[9] Tiberium Neronem ] Tiberium, Principem. Vide Stemma Cæſarum, num. 68.

A. U. C. 822. J. C. 69.

»nes, quas tibi poſtpoſui, ſed & tuæ. Eſt tibi frater [1] pari »nobilitate, natu major, dignus hac fortunâ, niſi tu potior »eſſes. Ea ætas tua, quæ cupiditates adoleſcentiæ jam effu»gerit: ea vita, in quâ nihil præteritum excuſandum habeas. »Fortunam adhuc tantùm adverſam tuliſti [2]. Secundæ res »acrioribus ſtimulis animos explorant: quia miſeriæ toleran»tur, felicitate corrumpimur. Fidem, libertatem [3], amici»tiam, præcipua humani animi bona, tu quidem eâdem conſ»tantiâ retinebis: ſed alii per obſequium imminuent. Inrum»pet adulatio, blanditiæ, peſſimum veri affectûs venenum, »ſua cuique utilitas. Etiam ego, ac tu, ſimpliciſſimè inter »nos hodie loquimur: ceteri, libentiùs cum fortunâ noſtrâ, »quàm nobiſcum. Nam ſuadere Principi, quod oporteat, »multi laboris: aſſentatio erga Principem quemcumque, ſine »affectu peragitur».

XVI. » Si immenſum imperii corpus ſtare, ac librari, »ſine rectore poſſet, dignus eram, a quo reſpublica inciperet. »Nunc eò neceſſitatis jampridem ventum eſt, ut nec mea »ſenectus conferre plus populo Romano poſſit, quàm bonum »ſucceſſorem; nec tua plus juventa, quàm bonum Princi»pem. Sub Tiberio, & Caio, & Claudio, unius familiæ »quaſi hereditas fuimus: loco libertatis erit, quod eligi cœ»pimus. Et finitâ Juliorum Claudiorumque domo, optimum »quemque adoptio inveniet. Nam generari, & naſci a Princi»pibus, fortuitum, nec ultrà æſtimatur; adoptandi judicium »integrum [4]; &, ſi velis eligere, conſenſu monſtratur. Sit

[1] Est tibi frater ] Scribonianus, de quo infrà cap. 47.

[2] Adversam tulisti ] Patre, matre, fratre a Claudio interfectis, fratre altero cæſo a Nerone. Vide Stemma Piſonis, cap. ſup. Ipſe diu exſul, infrà Hiſt. I, 48.

[3] Fidem, libertatem ] Boccalinus Tacitum arguit, quòd *fidem* virtutibus Principum annumeraverit, cùm tantùm privatorum ſit: Principes verò ſolâ ſuâ utilitate regi debeant. Hæc Boccalinus, hæc Machiavellus Principes ſuos docuerint. At Tacitum, Imperatoremque Romanum dedecent, penes quos FIDES primum & ſacroſanctum auctoritatis vinculum ac præſidium. Inde in nummis ceteriſque venerandæ antiquitatis reliquiis, tot FIDEI, nulla perfidiæ monumenta.

[4] Judicium integrum ] Integrum quidem eſt judicium adoptandi & eligendi Principes: fortuitum autem generari & naſci a Principibus. At adeò inconſulta ſunt hominum judicia, ut longo ſæculorum uſu compertum plures naſci

A. U. C. 822. J. C. 69.

» ante oculos Nero, quem, longâ Cæſarum ſerie tumentem, » non Vindex, cum inermi provinciâ [1], aut ego, cum unâ » legione [2], ſed ſua immanitas, ſua luxuria cervicibus publicis » depulere: neque erat adhuc damnati Principis exemplum. » Nos bello, & ab æſtimantibus adſciti, cum invidiâ, quam- » vis egregii, erimus. Ne tamen territus fueris, ſi duæ legio- » nes [3], in hoc concuſſi orbis motu, nondum quieſcunt. Ne » ipſe quidem ad ſecuras res acceſſi: & auditâ adoptione, » deſinam videri ſenex, quod nunc mihi unum objicitur. Ne- » ro a peſſimo quoque ſemper deſiderabitur: mihi ac tibi » providendum eſt, ne etiam a bonis deſideretur. Monere diu- » tiùs, neque temporis hujus; & impletum eſt omne conſi- » lium, ſi te bene elegi. Utiliſſimus idem, ac breviſſimus bo- » narum malarumque rerum delectus, cogitare, quid aut vo- » lueris ſub alio Principe, aut nolueris. Neque enim hic, ut » in ceteris gentibus, quæ regnantur, certa dominorum do- » mus, & ceteri ſervi: ſed imperaturus es hominibus, qui » nec totam ſervitutem pati poſſunt [4], nec totam libertatem ». Et Galba quidem, hæc ac talia, tamquam Principem faceret; ceteri, tamquam cum facto loquebantur.

XVII. Pisonem ferunt ſtatim intuentibus, & mox conjectis in eum omnium oculis, nullum turbati, aut exſultantis, animi motum prodidiſſe. Sermo erga patrem Imperatoremque reverens, de ſe moderatus, nihil in vultu habituque mutatum: quaſi imperare poſſet magis, quàm vellet. Conſultatum inde, « pro roſtris, an in ſenatu, an in caſtris adoptio » nuncuparetur ». « Iri in caſtra » placuit: « honorificum id mili- » tibus fore, quorum favorem, ut largitione & ambitu malè » adquiri, ita per bonas artes haud ſpernendum ». Circum-

maximos optimoſque Principes, quàm eligi.

[1] Cum inermi provincia ] Cum Galliâ, in quâ nulla erant legionum præſidia.

[2] Una legione ] Legione ſextâ, ut dicetur infra Hiſt. V, 16. Vulgò Hiſpaniæ tribus legionibus habebantur. Vide Annal IV, 5. Notas quoque & Emendationes ad Hiſt. II, 6.

[3] Duæ legiones ] Germaniæ ſuperioris.

[4] Pati possunt ] Hæc Galba: aliter dixiſſet Tiberius, qui Romanorum ingenia, imperiique vim & artes altiùs penetraverat.

ſteterat interim palatium publica exſpectatio, magni ſecreti impatiens, & malè coercitam famam ſupprimentes augebant [1].

A. U. C. 822. J. C. 69.

XVIII. Quartum Idus[2] Januarias, fœdum imbribus diem, tonitrua, & fulgura, & cæleſtes minæ ultra ſolitum, turbaverant. Obſervatum id antiquitus comitiis dirimendis [3], non terruit Galbam quominus in caſtra pergeret, contemptorem talium, ut fortuitorum; ſeu, quæ fato manent, quamvis ſignificata, non vitarentur. Apud frequentem militum concionem, Imperatoriâ brevitate [4], « adoptari a ſe Piſonem, »more divi Auguſti [5], & exemplo militari, quo vir virum legeret » [6], pronuntiat. Ac ne diſſimulata ſeditio in majus crederetur, ultrò adſeverat, « quartam & duoetviceſimam legio»nes, paucis ſeditionis auctoribus, non ultra verba ac voces »erraſſe, & brevì in officio fore ». Nec ullum orationi aut lenocinium [7] addit, aut pretium. Tribuni tamen centurioneſque, & proximi militum, grata auditu reſpondent: per ceteros mæſtitia ac ſilentium, tamquam uſurpatam etiam in pace [8] donativi neceſſitatem, bello perdidiſſent. Conſtat potuiſſe conciliari animos quantulâcumque parci ſenis liberalitate. Nocuit antiquus rigor, & nimia ſeveritas; cui jam pares non ſumus.

XIX. Inde apud ſenatum non comptior Galbæ, non longior, quàm apud militem, ſermo: Piſonis comis oratio:

[1] Augebant ] Famam, ni penitus ſupprimas, auges. Secreto etiam alitur fama.

[2] Quartum Idus ] Die decimâ Januarii.

[3] Dirimendis ] Tullius de Divinatione, II, 18. *In noſtris Commentariis ſcriptum habemus :*

*Jove tonante, fulgurante, comitia populi habere nefas.*

[4] Imperatoria brevitate ] Auctore Plutarcho in Galbâ, pag. 1063, orationem partim habuit, partim de ſcripto recitavit. Quod non ita Imperatorium.

[5] More divi Augusti ] Fortè olim ſcriptum, ut multis placet, *exemplo divi Auguſti, & more militari.*

[6] Vir virum legeret ] Diſciplinâ militari receptum ut miles militem legeret, quem fortiſſimum cognoſceret ſibique fidiſſimum, ut defenſorem ultoremve haberet. Sacrati illius fœderis, quo militum virtus vitaque veluti geminabantur, repertores videntur Etruſci. Sic enim apud Livium IX, 39. *Ad Vadimonis lacum Etruſci lege ſacratâ coacto exercitu, cùm vir virum legiſſet, quantis nunquam aliàs antè ſimul copiis, ſimul animis dimicarunt.*

[7] Lenocinium ] Orationi nec grata verba, nec præmia addit.

[8] Etiam in pace ] Sic Claudius donativum addidit, cùm Nero proconſulare imperium extra Urbem acciperet, ſuprà Annal. XII, 41.

A. U. C. 822. J. C. 69.

& patrum favor aderat: multi voluntate; effuſiùs, qui noluerant; mediè [1], at plurimi, obvio obſequio privatas ſpes agitantes, ſine publicâ curâ. Nec aliud ſequenti quatriduo [2] (quod medium inter adoptionem & cædem fuit) dictum a Piſone in publico, factumve. Crebrioribus in dies Germanicæ defectionis nuntiis, & facili civitate ad accipienda credendaque omnia nova, cùm triſtia ſunt, cenſuerant patres mittendos ad Germanicum exercitum legatos: agitatum ſecreto, num & Piſo proficiſceretur; majore prætextu [3]: illi auctoritatem ſenatûs, hic dignationem Cæſaris laturus. Placebat & Laconem, prætorii præfectum, ſimul mitti. Is conſilio [4] interceſſit. Legati quoque (nam ſenatus electionem Galbæ permiſerat) fœdâ inconſtantiâ nominati, excuſati, ſubſtituti, ambitu remanendi, aut eundi, ut quemque metus, vel ſpes, impulerat.

XX. Proxima pecuniæ cura [5]: & cuncta ſcrutantibus juſtiſſimum viſum eſt, inde repeti, unde inopiæ cauſa erat. Bis & vicies millies ſeſtertiùm [6] donationibus Nero effuderat. Appellari ſingulos juſſit, decumâ parte liberalitatis apud quemque eorum relictâ. At illis vix decumæ ſuper portiones erant, iiſdem erga aliena ſumptibus, quibus ſua prodegerant; cùm rapaciſſimo cuique, ac perditiſſimo, non agri, aut fenus, ſed ſola inſtrumenta vitiorum manerent. Exactio-

[1] Medie ] Fortè, *medii*. Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. I, 19.

[2] Sequenti quatriduo ] Paulò aliter Sueton. in Galbâ XVII. Piſonem *perduxit in caſtra, ac pro concione adoptavit: ne tunc quidem donativi ullâ mentione factâ: quod faciliorem occaſionem Marco Salvio Othoni præbuit perficiendi conata, intra ſextum adoptionis diem.* Quatriduum dixit Tacitus, non numeratis adoptionis & cædis diebus. Nam infrà cap. 29, ipſe Tacitus dixit, *ſextus dies agitur.*

[3] Majore prætextu ] Ad augendam legationis dignitatem & auctoritatem. Sic infrà cap. 76, *erat grande momentum in nomine Urbis, ac prætextu ſenatûs.*

[4] Is consilio ] Laco ipſe conſilio interceſſit. Hæc ad Piſonem retulit Cl. Davanzati, *Piſone contradiſſe.*

[5] Proxima pecuniæ cura ] Quam ſuſcepit ante ultimum hoc quatriduum, ut patet ex iis, quæ Tacitus mox narrat; & ex Dione LXIII, pag. 721, cùm Galba decies ſeſtertiùm, de quo dicetur ſequenti notâ, ab Hellanodicis repetierit.

[6] Bis et vicies millies sestertium ] Gallicæ monetæ libras 428,010,550. Nec mirum tantam pecuniæ vim Neronem prodegiſſe, cùm decies ſeſtertiùm, Gallicæ monetæ libras 194,531, Hellanodicis, quòd eum jugo excuſſum Olympiis coronaſſent, dederit; ut dictum eſt ſuprà in Supplemento Annal. XVI, 62. not. 7.

A. U. C. 822. J. C. 69.

ni triginta equites [1] Romani præpoſiti; novum officii genus, & ambitu ac numero oneroſum: ubique haſta, & ſector; & inquieta urbs auctionibus. Attamen grande gaudium, quod tam pauperes forent, quibus donaſſet Nero, quàm quibus abſtuliſſet. Exauctorati per eos dies tribuni, e prætorio Antonius Taurus, & Antonius Naſo: ex Urbanis cohortibus, Æmilius Pacenſis [2]: e vigiliis [3], Julius Fronto. Nec remedium in ceteros fuit, ſed metûs initium: tamquam per artem & formidinem ſinguli pellerentur, omnibus ſuſpectis [4].

XXI. Interea Othonem, cui, compoſitis rebus, nulla ſpes, omne in turbido conſilium, multa ſimul exſtimulabant: luxuria etiam Principi oneroſa, inopia [5] vix privato toleranda, in Galbam ira [6], in Piſonem invidia. Fingebat & metum, quo magis concupiſceret. « Prægravem ſe Neroni » fuiſſe: nec Luſitaniam rurſus, & alterius exſilii honorem » exſpectandum: ſuſpectum ſemper inviſumque dominantibus, » qui proximus deſtinaretur. Nocuiſſe id ſibi apud ſenem » Principem [7]: magis nociturum apud juvenem [8], ingenio » trucem, & longo exſilio efferatum [9]. Occidi Othonem poſ-

[1] Triginta equites] Fortè primùm fuere triginta, ſed, creſcente ambitu, creverit numerus, ita ut quinquaginta fuerint. Sic enim Suetonius in Galbâ, XV. *Liberalitates Neronis, non plus decimis conceſſis, per quinquaginta equites Romanos eâ conditione revocandas curavit exigendaſque, ut & ſi quid ſcenici aut xyſtici donatum olim vendidiſſent, auferretur emptoribus, quando illi, abſumpto pretio, ſolvere nequirent.* Eamdem adversùs emptores duritiam teſtatur Plutarchus in Galbâ, pag. 1060.

[2] Æmilius Pacensis] *Pacenſis* videtur patriæ nomen. Illi ergo patria vel Forum Julii, nunc *Frejus* in Galliâ, *colonia, quæ Pacenſis appellatur*, Plin. III, 4. vel potiùs Pax Julia, *Beya* in Luſitaniâ, *colonia Pacenſis*, Plin. IV, 22.

[3] E vigiliis] E cohortibus vigilum, de quibus ſæpe dictum eſt.

[4] Omnibus suspectis] Ut Nymphidii ſociis, Neronive addictis. Vide Suetonium in Galbâ, XVI. & Tacitum Hiſt. I, 25.

[5] Inopia] Tanta inopia, ut eum bis millies ſeſtertiûm ære alieno demerſum prodat Plutarchus in Galbâ, pag. 1062. *πεντακισχιλίων μυριάδων ὀφλήμασι βεβαπτισμένον*. Id eſt Gallicæ monetæ libris 38,910,050. Quod talem ei audaciam indidit, ut non diſſimularet, *niſi Principem, ſe ſtare non poſſe: nihilque referre, ab hoſte in acie, an in foro ſub creditoribus*, caderet, Sueton. in Othone, V.

[6] In Galbam ira] Ira in Galbam, qui eum non adoptaverat; invidia in Piſonem, qui fuerat adoptatus.

[7] Senem Principem.] Galbam.

[8] Apud juvenem] Piſonem.

[9] Exsilio efferatum] Inde cùm Tiberius, olim exſul, Princeps fuiſſet factus, pervulgatum eſt, teſte Suetonio in Tiber. LIX.

*... Roma perit; regnabit ſanguine multo,*
*Ad regnum quiſquis venit ab exſilio.*

» ſe : proinde agendum audendumque, dum Galbæ auctoritas » fluxa, Piſonis nondum coaluiſſet. Opportunos magnis cona- » tibus tranſitus rerum : nec cunctatione opus, ubi pernicio- » ſior ſit quies, quàm temeritas. Mortem omnibus ex naturâ » æqualem, oblivione apud poſteros, vel gloriâ diſtingui. Ac » ſi nocentem innocentemque idem exitus maneat, acrioris » viri eſſe, meritò perire ».

A. U. C. 822. J. C. 69.

XXII. Non erat Othonis mollis [1], & corpori ſimilis animus. Et intimi libertorum ſervorumque corruptiùs, quàm in privatâ domo, habiti, aulam Neronis, & luxus, adulteria, matrimonia, ceteraſque regnorum libidines, avido talium, ſi auderet, ut ſua oſtentantes; quieſcenti, ut aliena exprobabant: urgentibus etiam mathematicis, dum « novos » motus, & clarum Othoni annum, obſervatione ſiderum », adfirmant: genus hominum, potentibus inſidum [2], ſperantibus fallax, quod in civitate noſtrâ & vetabitur ſemper, & retinebitur [3]. Multos ſecreta Poppææ [4] mathematicos, peſſimum Principalis matrimonii inſtrumentum, habuerant: e quibus, Ptolemæus [5], Othoni in Hiſpaniâ comes, cùm « ſu- » perfuturum eum Neroni » promiſiſſet, poſtquam ex eventu fides, conjecturâ jam, & rumore, ſenium Galbæ, & juventam Othonis computantium, perſuaſerat, « fore, ut in im- » perium adſciſceretur ». Sed Otho, tamquam peritiâ & monitu fatorum prædicta, accipiebat, cupidine ingenii humani libentiùs obſcura credentis [6]. Nec deerat Ptolemæus,

[1] Non erat Othonis mollis ] Animum hunc Othonis tragœdiâ expreſſit Petrus Corneille; de quâ, cùm multa ad ſcriptoris Romani poetæque Gallici commendationem ſint dicenda, vide Notas & Emendationes ad Hiſt. I, 22.

[2] Potentibus inſidum ] Inſidum quidem potentibus, cùm ambitioſos ad res novas moliendas excitent.

[3] Vetabitur ſemper et retinebitur ] Vetabitur, quòd exitiabilibus fraudibus graſſatur; retinebitur, quòd blandiſſimis & deſideratiſſimis promiſſis lenocinatur. Plura vide apud Plinium XXX, 1.

[4] Secreta Poppææ ] Poppæa ſecretò habuerat multos mathematicos, qui fuerant peſſimum matrimonii ſui cum Principe inſtrumentum. De hoc matrimonio dictum ſuprà Annal. XIII, 45 & 46. XIV, 60.

[5] Ptolemæus ] Idem videtur, quem Suetonius in Othone, IV, appellat *Seleucum*. Vide & Juvenal. Sat. VI, 556.

[6] Obscura credentis ] Sic ferme Plinius, XXX, 1, *Nullo non avido futura de ſe ſciendi, atque ea e cælo veriſſimè peti credente.*

A. U. C. 822. J. C. 69.

jam & ſceleris inſtinctor [1], ad quod facillimè ab ejuſmodi voto tranſitur.

XXIII. Sed ſceleris cogitatio, incertum an repens [2]: ſtudia militum jam pridem, ſpe ſucceſſionis, aut paratu facinoris, adſectaverat: in itinere, in agmine [3], in ſtationibus, vetuſtiſſimum quemque militum nomine vocans, ac memoriâ Neroniani comitatûs, *contubernales* appellando: alios agnoſcere, quoſdam requirere, & pecuniâ, aut gratiâ, juvare: inſerendo ſæpius querelas, & ambiguos de Galbâ ſermones, quæque alia turbamenta vulgi. Labores itinerum, inopia commeatuum, duritia imperii, atrociùs accipiebantur: cùm Campaniæ lacus & Achaiæ urbes claſſibus adire ſoliti [4], Pirenæum, & Alpes, & immenſa viarum ſpatia, ægre ſub armis eniterentur.

XXIV. Flagrantibus jam militum animis, velut faces addiderat Mævius Pudens, e proximis Tigellini: is mobiliſſimum quemque ingenio, aut pecuniæ indigum, & in novas cupiditates præcipitem alliciendo, eò paullatim progreſſus eſt, ut, per ſpeciem convivii [5], quotiens Galba apud Othonem epularetur, cohorti, excubias agenti, viritim centenos nummos [6] divideret: quam velut publicam largitio-

[1] Sceleris instinctor ] Eamdem, ut videtur, rem molliùs narrat Suetonius in Othone, IV. Otho *conatibus Galbæ primus acceſſit: eodemque momento & ipſe ſpem imperii cepit: magnam quidem & ex conditione temporum, ſed aliquantò majorem ex affirmatione Seleuci Mathematici; qui cùm eum olim ſuperſtitem Neroni fore ſpopondiſſet, tunc ultro inopinatus advenerat, imperaturum quoque brevì repromittens.*

[2] An repens ] An recens, ut ſæpe dictum eſt.

[3] In agmine ] Hæc reſpuit Cl. Erneſtus, quòd eadem ei videantur, ac *in itinere.* Verùm bene Davanzati, *in cammino, in ordinanza, in guardie.*

[4] Adire soliti ] Nerone Principe.

[5] Per speciem convivii ] Bene per ſpeciem convivii; nempe ſportularum loco. Sportulæ enim, ſeu cibi, dabantur: eorum loco nummos dabat Otho. Sic Marmora Piſaurenſia, pag. 20. num. 44. SPORTULAS. DECUR. X. V. ITEMQ. COLLEGIIS. X. II. PLEBEI. X. I. Id eſt *Sportulas decurionibus, denarios quinos. Itemque collegiis denarios binos, plebi denarium unum.*

[6] Centenos nummos ] Gallicæ monetæ libras, 19. Videtur tamen Tacitum hìc rotundo numero uti. Aliter enim Suetonius in Othone, IV. *Nullo officii aut ambitionis in quemquam genere omiſſo, quoties cenâ Principem acciperet, aureos excubanti cohorti viritim dividebat.* Porro aureus, Principe Nerone, valebat Gallicæ monetæ libras 21. Fortè tamen ejus pretium imminuerat Galba. Ut ut eſt, cùm centenos illos nummos Otho daret cohorti, quoties apud eum Galba epulabatur, in his largi-

nem,

nem [1], Otho, ſecretioribus apud ſingulos præmiis, intendebat: adeo animoſus corruptor, ut Cocceio Proculo, ſpeculatori [2], de parte finium cum vicino ambigenti, univerſum vicini agrum, ſuâ pecuniâ emptum [3], dono dederit: per ſocordiam præfecti [4], quem nota pariter & occulta fallebant.

A. U. C. 822.
J. C. 69.

XXV. Sed tum e libertis Onomaſtum futuro ſceleri præfecit, a quo Barbium Proculum, teſſerarium ſpeculatorum [5], & Veturium, optionem eorumdem [6], perductos, poſtquam vario ſermone callidos audaceſque cognovit, pretio, & promiſſis onerat, datâ pecuniâ [7] ad pertentandos plurium animos. Suſcepere duo manipulares [8] imperium populi Romani trans-

tionibus expendebat Gallicæ monetæ libras circiter 19,000.

[1] Publicam largitionem ] Ac proinde minorem.

[2] Speculatori ] Speculatores, lanceis & gladiis armati, ſumendis quoque ſuppliciis deſtinati: alii legionibus & cohortibus addicti, ut conſtat ex plurimis inſcriptionibus apud Gruterum, Reineſium & Gorium. Alii comitabantur Principem, ut conſtat ex Suetonio in Claud. XXXV. ex Tacito Hiſt. II, 11. Sic quoque in nummis M. Antonii, triumviri, unus habetur COHORTIS SPECVLATORVM.

[3] Sua pecunia emptum ] Rem illuſtrat Suetonius in Othone, IV. *Cuidam etiam de parte finium cum vicino litiganti, adhibitus arbiter, totum agrum redemit, emancipavitque, ut jam vix ullus eſſet, qui non & ſentiret & prædicaret ſolum ſucceſſione imperii dignum.*

[4] Præfecti ] Laconis, præfecti prætorianorum, mortalium ignaviſſimi, ut dictum ſuprà cap. 6.

[5] Tesserarium speculatorum ] Teſſerarius dicebatur, qui teſſeram, ſeu ſignum, Gallicè *l'ordre*, accipiebat, militibuſque ſignificabat. Virgil. Æneïd. VII, 637.

*Claſſica jamque ſonant; it bello teſſera ſignum.*

Proculus erat teſſerarius ſpeculatorum. Sic apud Cl. Gori, *Inſcript. Antiq.* Tom. I. pag. 67, memoratur, MINERVINVS TESS. COH. XII. VRB. Id eſt *teſſerarius cohortis duodecimæ Urbanæ.* Teſſerarium Gallicè nunc dicimus *un Major.*

[6] Optionem eorumdem ] Eorumdem ſpeculatorum: Gallicè *Aide-Major.* Vegetius, II, 7. *Optiones ab optando appellati, quòd antecedentibus ægritudine præpeditis, hi tamquam adoptati eorum, atque vicarii ſolent univerſa curare.* Apud Gruterum & Reineſium multa occurrunt monumenta optionum. Nec in re tantùm militari adhibiti. Cl. Gori, Inſcript. Antiq. Tom. II. pag. 440 laudat vetus monumentum poſitum

TITO AELIO MONTANO AVG
LIB OPTIONI TABELLARI
ORVM OFFICI RATIONVM

7 Data pecunia ] Rem diſtinctiùs narrat Suetonius; & quam inops eſſet Otho, cùm tanta auderet, oſtendit. *Ante paucos dies ſervo Cæſaris pro impetratâ diſpenſatione, decies ſeſtertiûm*, Gallicæ monetæ libras 194,531, *expreſſerat. Hoc ſubſidium tanti cœpti fuit: ac primò quinque ſpeculatoribus commiſſa eſt res, deinde decem aliis, quos ſinguli binos produxerant: omnibus dena ſeſtertia*, Gallicæ monetæ libræ 1945, *repræſentata*, & *quinquagena*, Gallicæ monetæ libræ 9726, *promiſſa. Per hos ſollicitati reliqui, nec adeò multi, haud dubiâ fiduciâ in ipſo negotio pluribus affuturis*, Sueton. in Othone, V.

[8] Duo manipulares ] Proculus &

A. U. C. 822. J. C. 69.

ferendum, & tranſtulerunt. In conſcientiam facinoris pauci adſciti: ſuſpenſos ceterorum animos diverſis artibus ſtimulant: primores militum, « per beneficia [1] Nymphidii ut ſuſpectos »: vulgus & ceteros, irâ & deſperatione « dilati totiens dona»tivi »: erant quos memoria Neronis, ac deſiderium prioris licentiæ accenderet: in commune omnes metu mutandæ militiæ [2] terrebantur.

XXVI. Infecit ea tabes legionum quoque, & auxiliorum motas jam mentes, poſtquam vulgatum erat « labare Ger»manici exercitûs fidem ». Adeóque parata apud malos ſeditio, etiam apud integros diſſimulatio fuit, ut poſtero Iduum die [3], redeuntem a cenâ Othonem rapturi fuerint, niſi incerta noctis, & totâ Urbe ſparſa militum caſtra, nec facilem inter temulentos conſenſum timuiſſent: non reipublicæ curâ, quam fœdare Principis ſui ſanguine ſobrii parabant, ſed ne per tenebras, ut quiſque Pannonici, vel Germanici exercitûs militibus oblatus eſſet, ignorantibus pleriſque, pro Othone deſtinaretur. Multa erumpentis ſeditionis indicia, per conſcios oppreſſa: quædam apud Galbæ aures præfectus Laco eluſit, ignarus militarium animorum [4], conſiliique, quamvis egregii, quod non ipſe adferret, inimicus, & adversùs peritos pervicax.

XXVII. Octavodecimo [5] Calendas Februarii ſacrificanti pro æde Apollinis [6] Galbæ, haruſpex Umbricius « triſ»tia exta, & inſtantes inſidias, ac domeſticum hoſtem [7] »

Veturius, duo manipulares ſpeculatores, nec honoribus militaribus inſignes.

[1] Beneficia ] De his beneficiis dicetur infrà Hiſt. IV. 48.

[2] Mutandæ Militiæ ] Pœna erat militaris meliorem militiam in deteriorem mutari. In Digeſt. libr. XLIX, Tit. 16. de Re militari, leg. 3. ex Modeſtino, *Pœnæ militum hujuſce modi ſunt: caſtigatio, pecuniaria multa, munerum indictio, militiæ mutatio, gradûs dejectio, ignominioſa miſſio.* Metuebant prætoriani Urbanique milites ne in deteriorem militiam darentur.

[3] Postero Iduum die ] Legendum videtur *pridie Idus*; die 12 Januarii. Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. I, 27.

[4] Animorum ] Quippe qui ex adſeſſore factus fuerat prætorianorum præfectus, ut dictum eſt in Supplemento Annal. XVI, 96.

[5] Octavodecimo ] Die 15 Januarii.

[6] Pro æde Apollinis ] Quæ erat in monte Palatino ipſoque Cæſarum palatio. Vide Cl. Bianchini, *del Palazzo de Ceſari*, cap. 6. pag. 161 & ſeqq.

[7] Domesticum hostem ] Sueton. in Galbâ XIX, *Priùs verò quàm occideretur*,

A. U. C. 822. J. C. 69.

prædicit: audiente Othone (nam proximus adſtiterat) idque, ut lætum e contrario, & ſuis cogitationibus proſperum, interpretante. Nec multò poſt libertus Onomaſtus nuntiat, « exſpectari eum ab architecto, & redemptoribus [1] »: quæ ſignificatio coeuntium jam militum, & paratæ conjurationis convenerat. Otho, « cauſam digreſſûs » requirentibus, cùm « emi ſibi prædia vetuſtate ſuſpecta, eòque priùs exploranda », finxiſſet, innixus liberto, per Tiberianam domum [2], in Velabrum, inde ad Milliarium aureum [3], ſub ædem Saturni [4] pergit. Ibi tres & viginti ſpeculatores conſalutatum *Imperatorem*, ac paucitate ſalutantium trepidum, & ſellæ feſtinanter impoſitum, ſtrictis mucronibus [5], rapiunt [6]. Totidem ferme milites in itinere aggregantur; alii conſcientiâ, plerique miraculo: pars clamore & gladiis, pars ſilentio, animos ex eventu ſumpturi.

XXVIII. Stationem in caſtris agebat Julius Martialis, tribunus. Is, magnitudine ſubiti ſceleris, an corrupta latiùs caſtra, ac ſi contrà tenderet, exitium metuens, præbuit ple-

*ſacrificantem manè haruſpex identidem monuit, caveret periculum: non longè percuſſores abeſſe.* Idem Sueton. in Othone, VI, *Ergo deſtinatâ die, præmonitis conſciis, ut ſe in foro ſub æde Saturni ad Milliarium aureum opperirentur, manè Galbam ſalutavit: utque conſueverat, oſculo exceptus, etiam ſacrificanti interfuit, audivitque prædicta haruſpicis.*

[1] Redemptoribus ] Redemptores dicebantur, qui opera facienda conducebant, Gallicè *des Entrepreneurs.* Suet. in Othone VI. *Deinde liberto adeſſe architectos nuntiante, quod ſignum convenerat, quaſi venalem domum inſpecturus abſceſſit.*

[2] Per Tiberianam domum ] Quæ Auguſti domui a Tiberio fuerat addita, in Occidentali montis Palatini parte. Pariter Suetonius in Othone VI, *proripuit ſe poſticâ parte palatii.* Nempe proripuit ſe poſticâ parte palatii, ubi erat ædes Apollinis, & per Tiberianam domum, deſcendit in Velabrum. Deſcenſus ille adhuc eſt ab hortis Farneſianis ſupra templum D. Georgii in Velabro. Velabrum autem dictum eſt, quod locus ille inter forum Romanum monteſque Palatinum & Aventinum fuiſſet olim paludibus obſitus. Inde Propertius, IV, Eleg. X, 5.

*Qua Velabra ſuo ſtagnabant flumine, quaque*
*Nauta per Urbanas velificabat aquas.*

[3] Milliarium aureum ] Erat in capite fori Romani, ubi nunc noſocomium, appellatum *Santa Maria della Conſolazione.* De hoc milliario plura dicentur in Notis & Emendationibus ad Hiſt. I, 27.

[4] Ædem Saturni ] Quæ erat in imo clivo Capitolino. Ibi ærarium populi Romani, ut aliàs monuimus. Partim ejus ruderibus nunc nititur templum Sancti Hadriani.

[5] Strictis mucronibus ] *Inter fauſtas acclamationes ſtrictoſque gladios ad principia devenit: obvio quoque non aliter, ac ſi conſcius & particeps foret, adhærente.* Sueton. in Othone, VI.

[6] Rapiunt ] Feruntque in principia, quæ erant in caſtris prætoriis. De principiis dictum ſatis Annal. I, 61. not. 4.

A. U. C. 822. J. C. 69.

riſque ſuſpicionem conſcientiæ. Anteposuere ceteri quoque tribuni, centurioneſque, præſentia dubiis, & honeſtis. Iſque habitus animorum fuit, ut peſſimum facinus auderent pauci, plures vellent, omnes paterentur.

XXIX. Ignarus interim Galba, & ſacris intentus, fatigabat alieni jam imperii deos [1]: cùm adſertur rumor « rapi » in caſtra, incertum quem ſenatorem »: mox, « Othonem » eſſe, qui raperetur ». Simul ex totâ Urbe, ut quiſque obvius fuerat, alii formidinem augentes, quidam minora vero, ne tum quidem obliti adulationis. Igitur conſultantibus placuit, « tentari animum cohortis, quæ in palatio ſtationem agebat: nec per ipſum Galbam [2], cujus integra auctoritas majoribus remediis ſervabatur. Piſo pro gradibus domûs [3] vocatos, in hunc modum adlocutus eſt: « Sextus dies agitur, commilitones, » ex quo, ignarus futuri, & ſive optandum hoc nomen, ſive » timendum erat, Cæſar adſcitus ſum: quo domûs noſtræ, aut » reipublicæ fato, in veſtrâ manu poſitum eſt: non quia, meo » nomine, triſtiorem caſum paveam, ut qui adverſas res expertus, cùm maximè diſcam, ne ſecundas quidem minus » diſcriminis habere: patris [4], & ſenatûs, & ipſius imperii, » vicem doleo, ſi nobis, aut perire hodie neceſſe eſt, aut, » quod æquè apud bonos miſerum eſt, occidere. Solatium proximi motûs [5] habebamus, incruentam Urbem, & res ſine » diſcordiâ tranſlatas. Proviſum adoptione videbatur, ut ne » poſt Galbam quidem bello locus eſſet ».

XXX. » Nihil arrogabo mihi nobilitatis, aut modeſtiæ: neque enim relatu virtutum, in comparatione Othonis, opus eſt. Vitia, quibus ſolis gloriatur, evertêre imperium, etiam cùm amicum Imperatoris [6] ageret. Habitune & inceſſu, an illo muliebri ornatu [7], mereretur imperium?

[1] Fatigabat alieni jam imperii deos ] Quæ eloquentia!

[2] Nec per ipsum Galbam ] Nec cohortis animos per ipſum Galbam pertentandos, ut integra ejus auctoritas majoribus remediis ſervaretur.

[3] Pro gradibus domus ] Domûs Auguſtæ, ſeu palatii.

[4] Patris ] Galbæ.

[5] Proximi motus ] Quo Nero exauctoratus.

[6] Imperatoris ] Neronis.

[7] Muliebri ornatu ] Quippe qui & ipſa pedum veſtigia unguento tin-

A. U. C. 822. J. C. 69.

» Falluntur, quibus luxuria ſpecie liberalitatis imponit. Perdere iſte ſciet, donare neſciet. Stupra nunc, & comeſſationes, & feminarum cœtus, volvit animo: hæc Principatus præmia putat; quorum libido ac voluptas penes ipſum ſit, rubor ac dedecus penes omnes. Nemo enim umquam imperium, flagitio quæſitum, bonis artibus exercuit. Galbam conſenſus generis humani, me Galba, conſentientibus vobis, Cæſarem dixit. Si reſpublica, & ſenatus, & populus, vana nomina ſunt: veſtrâ, commilitones, intereſt, ne Imperatorem peſſimi faciant. Legionum ſeditio adverſum duces ſuos audita eſt aliquando: veſtra fides [1], famaque, inlæſa ad hunc diem manſit: & Nero quoque vos deſtituit, non vos Neronem. Minùs triginta transfugæ [2], & deſertores, quos centurionem, aut tribunum, ſibi eligentes nemo ferret, imperium adſignabunt? Admittitis exemplum? & quieſcendo commune crimen facitis? Tranſcendet hæc licentia in provincias: & ad nos ſcelerum exitus, bellorum ad vos pertinebunt. Nec eſt plus [3], quod pro cæde Principis, quàm quod innocentibus datur: ſed perinde a nobis donativum ob fidem, quàm ab aliis pro facinore accipietis ».

XXXI. Dilapsis ſpeculatoribus, certa cohors, non aſpernata concionantem, ut turbidis rebus evenit, ſorte magis, & nullo adhuc conſilio [4], parat ſigna, quàm quod poſtea creditum eſt, inſidiis & ſimulatione. Miſſus & Celſus Marius ad electos Illyrici exercitùs [5], Vipſaniâ in porticu [6] tendentes. Præceptum Amulio Sereno & Domitio Sabino, primipi-

geret, ut dictum eſt ſuprà inter Anecdota Neronis. Othonis ſpeculum, alioſque muliebres ornatus, nec Semiramidi, nec Cleopatræ notos, carpit Juvenalis Satyr. II, 99 & ſeqq.

[1] Vistra fidis ] Cohortem prætorianorum alloquebatur.

[2] Minus triginta transfugæ ] Tres & viginti ſpeculatores Othonem conſalutaverant Imperatorem, ut dictum eſt ſupra cap. 27.

[3] Nec est plus ] Nec plus vobis datur pro cæde Principis, quàm pro ejus ſalute vobis innocentibus dabitur.

[4] Nullo adhuc consilio ] Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. I, 31.

[5] Electos Illyrici exercitus ] De quibus ſuprà cap. 6. Iis notus eſſe potuit Marius Celſus, qui in Pannonià militaverat, ut vidimus Annal. XV, 25.

[6] Vipsania in porticu ] In Campo Martio, nec procul loco, ubi nunc *Palazzo* [illegible]

A. U. C. 822. J. C. 69.

laribus [1], « ut Germanicos milites e Libertatis atrio [2] arceſſerent ». Legioni claſſicæ diſſidebatur, infeſtæ ob cædem commilitonum, quos primo ſtatim introitu trucidaverat [3] Galba. Pergunt etiam in caſtra prætorianorum tribuni, Cetrius Severus, Subrius Dexter, Pompeius Longinus; ſi incipiens adhuc, & necdum adulta, ſeditio melioribus conſiliis flecteretur. Tribunorum Subrium & Cetrium milites adorti minis, Longinum manibus coercent, exarmantque: quia non ordine militiæ [4], ſed e Galbæ amicis, fidus Principi ſuo, & deſciſcentibus ſuſpectior erat. Legio claſſica, nihil cunctata, prætorianis adjungitur. Illyrici exercitûs electi, Celſum infeſtis pilis [5] proturbant. Germanica vexilla diu nutavere [6]; invalidis adhuc corporibus, & placatis animis, quòd eos, a Nerone Alexandriam præmiſſos [7], atque inde rurſus longâ navigatione ægros, impenſiore curâ Galba refovebat.

XXXII. Universa jam plebs palatium implebat, mixtis ſervitiis, & diſſono clamore, « cædem Othonis, & conjuratorum exitium poſcentium, ut ſi in circo, ac theatro, ludicrum aliquod poſtularent ». Neque illis judicium, aut veritas: quippe eodem die diverſa pari certamine poſtulaturis: ſed tradito more, quemcumque Principem adulandi, licentiâ acclamationum, & ſtudiis inanibus. Interim Galbam

hac porticu Horatius, I, Ep. VI, 25.

*Cùm bene notum*
*Porticus Agrippæ, & via te conſpexerit Appî.*

Hìc tendebat, ſeu tentoria habebat exercitus Illyricus.

[1] [illegible] ] De primipilaribus dictum ſuprà Annal. II, 11. not. 5.

[2] Libertatis atrio ] Libertatis atrium, vigente republicâ, in monte Aventino exſtructum. Manent ejus rudera prope templum Sanctæ Priſcæ.

[3] [illegible] ] Ut dictum eſt in Supplemento Annal. XVI, 95.

[4] Non ordine militiæ ] Non ordine militiæ, ſed gratiâ Galbæ factus erat tribunus, fortè cùm exauctorati ſunt Antonius Taurus & Antonius Naſo, de quibus ſuprà cap. 20.

[5] Infestis pilis ] Vegetius, II, 15. *[illegible] quinque & ſenis, quod [illegible] [illegible], nunc ſpiculum dicitur, ad [illegible] præcipue milites: [illegible] & virtute directum, & ſcutatos pedites, & loricatos equites ſæpe transverberabat.*

[6] Diu nutavere ] Fidem Germanorum teſtatur Suetonius in Galbâ, XX. *[illegible] fuerit, neque præſentium quempiam opem Imperatori ferre [illegible], & omnes qui arceſſerentur ſprevisse nuntium, exceptâ Germaniciorum vexillatione. Hi ob recens meritum, quòd ſe ægros & invalidos magnopere foviſſet, in auxilium advolavere: ſed ſeriùs itinere devio per ignorantiam locorum retardati.*

[7] Alexandriam præmissos ] Cùm Alexandriam proficiſci vellet Nero, & bellum adverſùs Æthiopas pararet. Vide Sueton. in Ner. XIX. & Supplementum Annal. XVI, 47.

A. U. C. 822. J. C. 69.

duæ ſententiæ diſtinebant. Titus Vinius « manendum intra do- »mum, opponenda ſervitia, firmandos aditus, non eundum »ad iratos » cenſebat: « daret malorum pænitentiæ, daret bo- »norum conſenſui ſpatium: ſcelera impetu, bona conſilia »morá valeſcere. Denique eundi ultro, ſi ratio ſit, eamdem »mox facultatem: regreſſus, ſi pæniteat, in alienâ poteſtate ».

XXXIII. « Festinandum » ceteris videbatur, « an- »tequam creſceret invalida adhuc conjuratio paucorum. Tre- »pidaturum etiam Othonem, qui furtim digreſſus [1], ad igna- »ros inlatus, cunctatione nunc, & ſegnitiâ terentium tempus, »imitari Principem diſcat. Non exſpectandum, ut, compo- »ſitis caſtris, forum invadat, & proſpectante Galbâ, Capito- »lium adeat: dum egregius Imperator, cum fortibus amicis, »januâ ac limine tenus domum cludit [2], obſidionem nimirum »toleraturus. Et præclarum in ſervis auxilium, ſi conſenſus »tantæ multitudinis, & quæ plurimùm valet, prima indigna- »tio langueſcat. Proinde intuta, quæ indecora: vel, ſi cadere »neceſſe ſit, occurendum diſcrimini. Id Othoni invidioſius, »& ipſis honeſtum ». Repugnantem huic ſententiæ Vinium, Laco minaciter invaſit, ſtimulante Icelo, privati odii [3] per- tinaciâ, in publicum exitium.

XXXIV. Nec diutiùs Galba cunctatus, ſpecioſiora ſua- dentibus acceſſit. Præmiſſus tamen in caſtra Piſo, ut juvenis magno nomine, recenti favore, & infenſus T. Vinio; ſeu quia erat, ſeu quia irati ita volebant: & faciliùs de odio creditur. Vix dum egreſſo Piſone, « occiſum in caſtris Othonem », va- gus primùm & incertus rumor, mox, ut in magnis mendaciis, « interfuiſſe ſe » quidam, « & vidiſſe » adfirmabant, credulâ famâ, inter gaudentes, & incurioſos. Multi arbitrabantur com- poſitum auctumque rumorem, mixtis jam Othonianis, qui ad evocandum Galbam, læta falsò vulgaverint.

XXXV. Tum vero non populus tantùm, & imperita plebs

[1] Furtim digressus ] Otho e pa- latio furtim erat digreſſus, & ad igna- ros prætorianos in caſtra illatus.

[2] Domum cludit ] Antiquè dictum pro claudit; ut ſuprà Annal. XVI, 28. not. 4. vidimus in nummis Neronis IANVM CLVSIT.

[3] Privati odii ] In Vinium.

A. U. C. 822. J. C. 69.

in plauſus, & immodica ſtudia, ſed equitum plerique, ac ſenatorum, poſito metu incauti, refractis palatii foribus, ruere intus, ac ſe Galbæ oſtentare, « præreptam ſibi ultionem », querentes. Ignaviſſimus quiſque, &, ut res docuit, in periculo non auſurus, nimii verbis, linguæ feroces: nemo ſcire, & omnes adfirmare: donec inopiâ veri, & conſenſu errantium victus, ſumpto thorace [1], Galba, inruenti turbæ, neque ætate, neque corpore ſiſtens [2], ſellâ levaretur. Obvius, in palatio Julius Atticus ſpeculator, cruentum gladium oſtentans, « occiſum a ſe Othonem » exclamavit. Et Galba, « Commi»lito », inquit, « quis juſſit [3] »? inſigni animo ad coercendam militarem licentiam, minantibus intrepidus, adversùs blandientes incorruptus.

XXXVI. Haud dubiæ jam in caſtris omnium mentes; tantuſque ardor, ut non contenti agmine, & corporibus, in ſuggeſtu, in quo paullo antè aurea Galbæ ſtatua [4] fuerat, medium inter ſigna Othonem vexillis circumdarent. Nec tribunis, aut centurionibus, adeundi locus: gregarius miles « ca»veri » inſuper « præpoſitos » jubebat. Strepere cuncta clamoribus, & tumultu, & exhortatione mutuâ, non tamquam in populo, ac plebe, variis ſegni adulatione vocibus, ſed, ut quemque adfluentium militum aſpexerant, prenſare manibus, complecti armis, collocare juxtà [5], præire ſacramentum [6], modo Imperatorem militibus, modo Imperatori milites

commendare.

[1] Sumpto thorace ] Sueton. in Galbâ, XIX. *Loricam induit linteam, quamquam haud diſſimulans parum adversùs tot mucrones profuturam.*

[2] Sistens ] Meliùs *reſiſtens.*

[3] Quis jussit? ] Militem reſpondiſſe, *Fidem & Sacramentum*, Πίστιν καὶ τὸν ὅρκον ὃν ὤμοσε, tradit Plutarchus in Galbâ, pag. 1065. Hæc omiſit Tacitus, ne narratio langueſceret, & ut Galba major videretur.

[4] Galbæ statua ] De hoc uſu vide Annal. XV, 29.

[5] Collocare juxta ] Juxta Othonem.

[6] Præire sacramentum ] Cujus formulam habere mihi videtur Ammianus Marcellinus, XXI, 4, *Juſſique univerſi*, milites, *in ejus*, Juliani, *nomen jurare ſolemniter, gladiis cervicibus ſuis admotis, ſub execrationibus diris verbis juravere conceptis, OMNES PRO EO CASUS, QUOAD VITAM PROFUDERINT, SI ID NECESSITAS EXEGERIT, PERLATUROS. Quæ ſecuti rectores omneſque Principis proximi fidem ſimili religione firmarunt.* Aliud eſt generale militiæ ſacramentum, de quo Vegetius II, 5, matriculis inſerti, *jurant milites, omnia ſe ſtrenuè facturos, quæ præceperit imperator, numquam deſerturos militiam, nec mortem recuſaturos pro Romanâ republicâ.*

A. U. C. 822. J. C. 69.

commendare. Nec deerat Otho protendens manus, adorare vulgum, jacere oſcula, & omnia ſerviliter pro dominatione. Poſtquam univerſa claſſicorum legio ſacramentum ejus accepit, fidens viribus, & quos adhuc ſingulos exſtimulaverat, accendendos in commune ratus, pro vallo caſtrorum ita cœpit.

XXXVII. « Quis ad vos proceſſerim, commilitones, dicere non poſſum: quia nec privatum me vocare ſuſtineo, Princeps a vobis nominatus; nec Principem, alio imperante. Veſtrum quoque nomen in incerto erit, donec dubitabitur Imperatorem populi Romani in caſtris, an hoſtem habeatis. Auditiſne, ut pœna mea, & ſupplicium veſtrum ſimul poſtulentur? adeò manifeſtum eſt, neque perire nos, neque ſalvos eſſe, niſi unà, poſſe. Et, cujus lenitatis eſt Galba, jam fortaſſe promiſit: ut qui, nullo expoſcente, tot millia innocentiſſimorum militum trucidaverit. Horror animum ſubit, quotiens recordor feralem introitum, & hanc ſolam Galbæ victoriam, cùm in oculis Urbis decumari [1] deditos juberet, quos deprecantes in fidem acceperat. His auſpiciis Urbem ingreſſus, quam gloriam ad Principatum adtulit, niſi occiſi Obultronii Sabini, & Cornelii Marcelli in Hiſpaniâ, Betui Chilonis in Galliâ, Fonteii Capitonis in Germaniâ, Clodii Macri in Africâ, Cingonii in viâ, Turpiliani in Urbe, Nymphidii in caſtris? Quæ uſquam provincia, quæ caſtra ſunt, niſi cruenta & maculata? aut, ut ipſe prædicat, emendata & correcta? Nam quæ alii ſcelera, hic remedia vocat: dum falſis nominibus, ſeveritatem pro ſævitiâ, parſimoniam pro avaritiâ, ſupplicia & contumelias veſtras, diſciplinam appellat. Septem a Neronis fine menſes ſunt, & jam plus rapuit Icelus, quàm quod Polycleti, & Vatinii, & Helii, & Haloti [2] paraverunt. Minore avaritiâ ac licentiâ graſſatus eſſet T. Vinius, ſi ipſe imperaſſet: nunc & ſubjectos nos habuit,

[1] Decumari ] Vide Supplementum Annal. XVI, 95. De aliis cædibus ibidem dictum cap. 92, 93 & 94.

[2] Et Haloti ] Polycletus, Vatinius, Helius, Halotus, famoſi ſub Nerone liberti, ſæpe memorati in Annalium libris. De Haloto vide adhuc Suetonium in Galba XV.

A. U. C. 822. J. C. 69.

»tamquam ſuos: & viles, ut alienos. Una illa domus [1] ſufficit »donativo, quod vobis numquam datur, & quotidie exprobratur [2].

XXXVIII. » Ac ne qua ſaltem in ſucceſſore Galbæ ſpes »eſſet, arceſſit ab exſilio, quem triſtitiâ & avaritiâ ſui ſimillimum [3] judicabat. Vidiſtis, commilitones, notabili tempeſtate [4], etiam deos infauſtam adoptionem averſantes. Idem »ſenatûs, idem populi Romani animus eſt. Veſtra virtus exſpectatur, apud quos omne honeſtis conſiliis robur, & ſine »quibus, quamvis egregia, invalida ſunt. Non ad bellum vos, »nec ad periculum voco: omnium militum arma nobiſcum »ſunt. Nec una cohors togata [5] defendit nunc Galbam, ſed »detinet. Cùm vos aſpexerit, cùm ſignum meum [6] acceperit, »hoc ſolum erit certamen, quis mihi plurimum imputet. Nullus cunctationi locus eſt in eo conſilio, quod non poteſt laudari, niſi peractum ». Aperire deinde armamentarium juſſit: rapta ſtatim arma, ſine more & ordine militiæ, ut prætorianus, aut legionarius inſignibus [7] ſuis diſtingueretur. Miſcentur auxiliaribus, galeis ſcutiſque. Nullo tribunorum centurionumve adhortante, ſibi quiſque dux, & inſtigator: & præcipuum peſſimorum incitamentum, quòd boni mærebant.

XXXIX. Jam exterritus Piſo fremitu crebreſcentis ſeditionis, & vocibus in Urbem uſque reſonantibus [8], egreſſum

[1] Una illa domus ] Titi Vinii domus. Ex magnitudine donativi, de quâ dictum ſuprà in Supplemento Annal. XVI, 85, quàm opulenta fuerit Vinii domus æſtimari poteſt.

[2] Exprobratur ] Exprobrat enim, qui ſemper promittit.

[3] Simillimum ] Piſonem.

[4] Tempestate ] De quâ actum eſt ſuprà cap. 18.

[5] Cohors togata ] Toga, veſtis erat urbana, quam poſito ſago, ſeu veſtimento militari, induebant milites, ne Urbs efferaretur, & caſtrorum ſpeciem haberet. Togata erat cohors, quæ in palatio ſtationem agebat, ut dictum eſt ſuprà cap. 29. Domitianum, quòd in Urbe reſideret, Martem togatum appellavit Martialis, Epigram. VI, 76.

*Ille ſacri lateris cuſtos, Martiſque togati,*
*Credita cui ſummi caſtra fuere ducis.*

[6] Signum meum ] Ne hoc accipias de vexillo. Signum eſt quod vulgò dicimus *l'ordre, le mot du guet.* Supra Annal. XIII, 2. Nero *ſignum more militiæ petenti tribuno dedit*, *OPTIMAE MATRIS.*

[7] Insignibus ] Hæc prætorianorum, legionum, auxiliarium inſignia videre eſt, in nummis, in veteribus monumentis, ac maximè in columnâ Trajanâ.

[8] In Urbem usque resonantibus ] Caſtra enim prætoria tunc erant extra Urbem, ubi nunc *la Vigna del Noviziato de Padri Geſuiti.*

A. U. C. 822. J. C. 69.

interim Galbam, & foro appropinquantem, aſſecutus erat: jam Marius Celſus, haud læta retulerat: cum alii, « in palatium redire », alii « Capitolium petere », plerique « roſtra [1] occupanda » cenſerent, plures tantùm ſententiis aliorum contradicerent, utque evenit in conſiliis infelicibus, optima viderentur, quorum tempus effugerat. Agitaſſe Laco, ignaro Galbâ, de occidendo T. Vinio dicitur, ſive ut pœnâ ejus animos militum mulceret, ſeu conſcium Othonis [2] credebat, ad poſtremum vel odio. Hæſitationem adtulit tempus ac locus, quia, initio cædis orto, difficilis modus: & turbavere conſilium trepidi nuntii, ac proximorum diffugia, languentibus omnium ſtudiis, qui primò alacres fidem atque animum oſtentaverant.

XL. Agebatur huc illuc Galba, vario turbæ fluctuantis impulſu; completis undique baſilicis ac templis [3], lugubri proſpectu: neque populi, aut plebis ulla vox: ſed attoniti vultus, & converſæ ad omnia aures: non tumultus, non quies: quale magni metûs & magnæ iræ ſilentium [4] eſt. Othoni tamen « armari plebem » nuntiabatur. Ire præcipites, & occupare pericula jubet. Igitur milites Romani, quaſi Vologeſen, aut Pacorum, avito Arſacidarum ſolio depulſuri, ac non Imperatorem ſuum, inermem & ſenem, trucidare pergerent, disjectâ plebe, proculcato ſenatu, truces armis, rapidis equis forum inrumpunt: nec illos Capitolii aſpectus, & imminentium templorum [5] religio, & priores & futuri Principes terruere, quominus facerent ſcelus, cujus ultor eſt quiſquis ſucceſſit.

XLI. Viso cominus armatorum agmine, vexillarius comitantis Galbam cohortis ( « Atilium Vergilionem fuiſſe » tradunt ) dereptam Galbæ imaginem [6] ſolo adflixit. Eo ſigno

[1] Rostra ] In ipſo foro Romano.

[2] Conscium Othonis ] *Quia Vinii vidua filia, cælebs Otho, gener ac ſocer deſtinabantur*, ut dictum ſuprà cap. 13.

[3] Basilicis ac templis ] Maximè quæ erant in foro Romano, & ei vicina. Baſilicas autem vulgari nunc ſenſu ne accipias. Baſilicæ, ædes erant ampliſſimæ, ac magnificæ, ad jus dicendum negotiaque pertractanda conſtitutæ.

[4] Iræ silentium ] Magna ira ſilet, & ardet: levis clamat, tumultuatur.

[5] Imminentium templorum ] Templum Jovis Capitolini aliaque plurima deorum templa in Capitolio imminebant foro Romano.

[6] Galbæ imaginem ] Vexillo affixam.

A. U. C. 822. J. C. 69.

manifeſta in Othonem omnium militum ſtudia, deſertum fugâ populi forum, deſtricta adversùs dubitantes tela. Juxta Curtii lacum [1], trepidatione ferentium Galba projectus e ſellâ, ac provolutus eſt. Extremam ejus vocem, ut cuique odium, aut admiratio fuit, variè prodidere. Alii ſuppliciter interrogaſſe, « quid mali meruiſſet »? « paucos dies exſolvendo donativo » deprecatum. Plures obtuliſſe ultro percuſſoribus jugulum, « agerent ac ferirent, ſi ita e republicâ videretur ». Non interfuit occidentium quid diceret. De percuſſore non ſatis conſtat: quidam « Terentium, evocatum [2] »: alii « Lecanium »: crebrior fama tradidit « Camurium, quintædecimæ legionis militem, impreſſo gladio, jugulum ejus hauſiſſe ». Ceteri crura brachiaque (nam pectus tegebatur [3]) fœdè laniavere: pleraque vulnera, feritate & ſævitiâ, trunco jam corpori adjecta.

XLII. Titum inde Vinium invaſere: de quo & ipſo ambigitur, conſumpſerit ne vocem ejus [4] inſtans metus, an proclamaverit, « non eſſe ab Othone mandatum, ut occideretur ». Quod ſeu finxit formidine, ſeu conſcientiâ conjurationis confeſſus eſt: huc potiùs ejus vita famaque inclinat, ut conſcius ſceleris fuerit, cujus cauſa erat [5]. Ante ædem divi Julii [6] jacuit, primo ictu in poplitem, mox ab Julio Caro, legionario milite, in utrumque latus tranſverberatus.

XLIII. Insignem illâ die virum Sempronium Denſum ætas noſtra vidit. Centurio is prætoriæ cohortis, a Galbâ cuſtodiæ Piſonis [7] additus, ſtricto pugione, occurrens armatis, & ſcelus exprobrans, ac modò manu, modò voce, vertendo in ſe percuſſores, quamquam vulnerato Piſoni effugium de-

[1] Curtii lacum ] In foro Romano, ante roſtra.

[2] Terentium, evocatum ] *Evocatum*, officii nomen eſt. *Evocatos* Galba olim ſibi addixerat, teſte Suetonio in Galbâ, X. *Delegit & equeſtris ordinis juvenes, qui manente anulorum aureorum uſu, Evocati appellarentur, excubiaſque circa cubiculum ſuum vice militum agerent.* Alii erant *Evocati*, de quibus dixi ſuprà Annal. II, 68. not. 4.

[3] Pectus tegebatur ] Thorace, ut dictum eſt ſuprà cap. 35.

[4] Vocem ejus ] Sic apud Q. Curtium, VII, 7, *per metum etiam ſuppreſſâ voce.*

[5] Cujus causa erat ] Cùm Vinius Galbam *odio flagitiorum* oneraſſet, ut rectè obſervat eruditus Savilius ex ſup. cap. 6.

[6] Ædem divi Julii ] In foro Romano.

[7] Custodiæ Pisonis ] Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. I, 43.

dit. Piſo in ædem Veſtæ [1] pervaſit, exceptuſque miſericordiâ publici ſervi, & contubernio ejus abditus, non religione [2], nec cærimoniis, ſed latebrâ imminens exitium differebat: cùm advenere, miſſu Othonis, nominatim in cædem ejus ardentes, Sulpicius Florus, e Britannicis cohortibus, nuper a Galbâ civitate donatus [3], & Statius Murcus, ſpeculator: a quibus protractus Piſo, in foribus templi trucidatur.

A. U. C. 822. J. C. 69.

XLIV. Nullam cædem [4] Otho majore lætitiâ excepiſſe, nullum caput tam inſatiabilibus oculis perluſtraſſe dicitur: ſeu tum primùm levata omni ſollicitudine mens, vacare gaudio cœperat: ſeu recordatio majeſtatis in Galbâ, amicitiæ in T. Vinio, quamvis immitem animum imagine triſti confuderat. Piſonis, ut inimici & æmuli, cæde lætari, jus faſque credebat. Præfixa contis capita geſtabantur, inter ſigna cohortium, juxta Aquilam legionis, certatim oſtentantibus cruentas manus, qui occiderant, qui interfuerant, qui verè, qui falsò, ut pulchrum & memorabile facinus, jactabant. Plures quàm centum & viginti libellos præmia expoſcentium, ob aliquam notabilem illâ die operam, Vitellius poſtea invenit: omneſque conquiri & interſici juſſit; non honore Galbæ, ſed tradito Principibus more, munimentum ad præſens [5], in poſterum ultionem.

XLV. Alium crederes ſenatum, alium populum: ruere cuncti in caſtra, anteire proximos, certare cum præcurren-

[1] In ædem Vestæ ] Quæ erat ædi D. Julii proxima, in clivo Palatini montis, & prope Palatii portam, ut dictum eſt ſuprà Annal. XV, 41. not. 2.

[2] Non religione ] Non Veſtæ aram amplexus, non loci Veſtaliumque cærimonias invocans, ſed, quod tutius rebatur, contubernio ſervi publici, qui ædem illam curaret, abditus, hac vili latebrâ imminens exitium differebat.

[3] Civitate donatus ] Duas æneas tabulas honeſtæ miſſionis & civitatis a Galbâ datas laudavi ſuprà in Notis & Emendationibus ad Annal. XIV, 27. De jure civitatis Romanæ dictum in Notis & Emendationibus ad Annal. XI, 23.

[4] Nullam cædem ] Allato etiam Galbæ capite, *vociferatus fertur: Hoc nihil eſt, Commilitones; Piſonis mihi caput oſtendite.* Ἀνακραγεῖν λέγουσιν, Οὐδὲν ἐστι τοῦτο, ὦ συστρατιῶται· τὴν Πείσωνος μοι κεφαλὴν δείξατε. Plutarch. in Galbâ, pag. 1062.

[5] Munimentum ad præsens ] More Principibus tradito ultionem in poſterum, & poſt mortem etiam Principis exigendam, præcipuum eſſe ad præſentem regnantis ſecuritatem munimentum. Jam antè dixerat cap. 40. *Scelus, cujus ultor eſt quiſquis ſuccedit.*

A. U. C. 822. J. C. 69.

tibus, increpare Galbam, laudare militum judicium, exoſculari Othonis manum: quantoque magis falſa erant, quæ ſiebant, tantò plura facere. Nec aſpernabatur ſingulos Otho, avidum & minacem militum animum, voce vultuque temperans. Marium Celſum, conſulem deſignatum [1], & Galbæ uſque in extremas res amicum ſidumque, ad ſupplicium expoſtulabant, induſtriæ ejus innocentiæque, quaſi malis artibus, infenſi. Cædis & prædarum initium, & optimo cuique perniciem quæri apparebat: ſed Othoni nondum auctoritas inerat ad prohibendum ſcelus; jubere jam poterat. Ita, ſimulatione iræ, « vinciri » juſſum, & « majores pœnas daturum » adfirmans, præſenti exitio ſubtraxit.

XLVI. Omnia deinde arbitrio militum acta. Prætorii præfectos ſibi ipſi legère; Plotium Firmum, e manipularibus quondam, tum vigilibus præpoſitum, &, incolumi adhuc Galbâ, partes Othonis ſecutum. Adjungitur Licinius Proculus, intimâ familiaritate Othonis, ſuſpectus conſilia ejus foviſſe. Urbi Flavium Sabinum [2] præfecere, judicium Neronis ſecuti, ſub quo eamdem curam obtinuerat, pleriſque Veſpaſianum fratrem in eo reſpicientibus. Flagitatum, « ut vacationes [3], præſtari cen» turionibus ſolitæ, remitterentur ». Namque gregarius miles, ut tributum annuum, pendebat. Quarta pars manipuli, ſparſa per commeatus, aut in ipſis caſtris vaga, dum mercedem centurioni exſolveret; neque modum oneris quiſquam, neque ge-

[1] Consulem designatum ] De quo ſuprà Hiſt. I, 14.

[2] Flavium Sabinum ] Fratrem Veſpaſiani, laudatum a Suetonio in Veſpaſ. I; & ſæpe infra memorandum.

[3] Ut vacationes ] Non perpetuas militiæ, ſed munerum temporarias vacationes & a graviſſimis oneribus immunitates, ingenti pretio centurionibus exſoluto redimebant milites; & ideo quaſi tributum annuum pendere tenebantur. Quod dum centurionibus ſolverent, quarta pars cujuſque manipuli ſpargebatur per commeatus, Gallicè *des congés*, aut in ipſis caſtris vagabatur: neque modum oneris quiſquam, neque genus quæſtûs penſi habebat. Per latrocinia, per raptus, per ſervilia miniſteria, conniventibus centurionibus, militare otium redimebant. Tum locupletiſſimus quiſque miles, labore ac ſævitiâ fatigari, donec vacationem emeret. Ubi emptæ vacationis ſumptibus exhauſtus, & inſuper ſocordiâ elanguerat, redibat in manipulum, & ad militiæ munera, inops pro locuplete, & iners pro ſtrenuo. Vidimus ſuprà militum querelas ob vacationum pretia, Annal. I, 17 & 35: infirmatas quoque fuiſſe legiones promiſcuis militum commeatibus dictum eſt, Annal. XV, 10.

A. U. C. 822. J. C. 69.

nus quæſtûs penſi habebat: per latrocinia & raptus, aut ſervilibus miniſteriis, militare otium redimebant. Tum locupletiſſimus quiſque miles, labore ac ſævitiâ fatigari, donec vacationem emeret: ubi ſumptibus exhauſtus, ſocordiâ inſuper elanguerat, inops pro locuplete, & iners pro ſtrenuo, in manipulum redibat: ac rurſus alius atque alius, eâdem egeſtate ac licentiâ corrupti, ad ſeditiones & diſcordias, & ad extremum, bella civilia ruebant. Sed Otho, ne vulgi largitione [1], centurionum animos averteret, « fiſcum ſuum vacationes an- » nuas exſoluturum » promiſit: rem haud dubiè utilem, & a bonis poſtea Principibus, perpetuitate diſciplinæ, firmatam. Laco præfectus, tamquam in inſulam ſeponeretur, ab evocato [2], quem ad cædem ejus Otho præmiſerat, confoſſus. In Martianum Icelum, ut in libertum, palam animadverſum.

XLVII. Exacto per ſcelera die, noviſſimum malorum fuit lætitia. Vocat ſenatum prætor Urbanus [3]: certant adulationibus ceteri magiſtratus. Accurrunt patres: decernitur Othoni « tribunicia poteſtas [4], & nomen Auguſti, & omnes Prin- » cipum honores », adnitentibus cunctis abolere convicia ac probra, quæ promiſcuè jacta, hæſiſſe animo ejus nemo ſenſit: omiſiſſet offenſas, an diſtuliſſet, brevitate imperii in incerto fuit. Otho, cruento adhuc foro, per ſtragem jacentium, in Capitolium [5], atque inde in palatium [6] vectus, « concedi » corpora ſepulturæ, cremarique » permiſit. Piſonem Verania [7]

[1] Vulgi largitione ] Vulgo, id eſt manipularibus militibus, largitus eſt Otho vacationum, centurionibus præſtari ſolitarum, remiſſionem; at, ne hac largitione, centurionum animos averteret, quaſi ſuis commodis fraudarentur, fiſcum ſuum vacationes annuas iis exſoluturum promiſit.

[2] Ab evocato ] De evocatis jam dictum eſt ſuprà cap. 41.

[3] Vocat senatum prætor Urbanus ] Interfectis duobus conſulibus Galbâ & Vinio, eorum munia obibat prætor Urbanus. Ita Cicero Epiſt. X, 12. *Placuit nobis, ut ſtatim ad Cornutum, prætorem Urbanum, literas deferremus: qui, quòd conſules aberant, conſulare munus ſuſtinebat more majorum.*

[4] Tribunicia potestas ] Fuit in muſeo Collegii Ludovici Magni nummus argenteus: IMP. OTHO CAESAR AVG. TR. P. capite nudo. In poſticâ parte, PAX ORBIS TERRARUM. Pax ſtans cum caduceo & ramo oleæ.

[5] In Capitolium ] Ut grates Jovi Capitolino ageret.

[6] In palatium ] Domum Auguſtam. Prima hæc Othonis Principis tempora illuſtrat Suetonius in Oth. VII. *Vergente jam die ingreſſus ſenatum, poſitaque brevi ratione, quaſi raptus de publico, & ſuſcipere imperium vi coactus, geſturuſque communi omnium arbitrio, palatium petit.*

[7] Verania ] Veraniam precibus ca-

A. U. C. 822. J. C. 69.

uxor, ac frater Scribonianus, T. Vinium Criſpina filia compoſuere, quæſitis redemptiſque capitibus [1], quæ venalia interfectores ſervaverant.

XLVIII. Piso unum & triceſimum ætatis annum explebat, famâ meliore, quàm fortunâ. Fratres ejus [2] Magnum Claudius, Craſſum Nero interfecerant. Ipſe diu exſul, quatriduo Cæſar, properatâ adoptione, ad hoc tantum majori fratri prælatus eſt, ut prior occideretur. T. Vinius quinquaginta ſeptem annos variis moribus egit. Pater illi e prætoriâ familiâ, maternus avus e proſcriptis. Primâ militiâ [3] infamis, legatum Calviſium Sabinum [4] habuerat: cujus uxor, malâ cupidine viſendi ſitum caſtrorum, per noctem militari habitu ingreſſa, cùm vigilias & cetera militiæ munia eâdem laſciviâ temeraſſet, in ipſis principiis [5] ſtuprum auſa: & criminis hujus reus T. Vinius arguebatur. Igitur juſſu C. Cæſaris [6] oneratus catenis: mox, mutatione temporum [7], dimiſſus, curſu honorum inoffenſo, legioni poſt præturam præpoſitus, probatuſque, ſervili deinceps probro reſperſus eſt, tamquam ſcyphum aureum in convivio Claudii furatus; & Claudius poſterâ die ſoli omnium Vinio fictilibus [8] miniſtrari juſſit. Sed Vinius proconſulatu Galliam Narbonenſem ſeverè integreque rexit: mox Galbæ amicitiâ in abruptum tractus, audax, callidus, promptus, &, prout animum intendiſſet, pravus, aut induſtrius,

put Piſonis accepiſſe teſtatur Plutarchus in Galbâ, pag. 1066. Τὴν δὲ Πείσωνος (κεφαλὴν) ἡ γυνὴ λαβοῦσα Οὐρανὶς ἐκήδευσε. Pro Οὐρανὶς emendandum Οὐερανία, ut eruditis omnibus compertum. De Veraniâ, ejuſque morte ac Reguli fraude vide Plinium Ep. II, 20.

[1] Redemptisque capitibus ] Vinii caput filia ejus Criſpina redemit, decem millibus ſeſtertiûm, Gallicæ monetæ libris 1945, teſte Plutarcho in Galbâ, pag. 1066.

[2] Fratres ejus ] De his vide Stemma Craſſi ac Piſonis in Notis & Emendationibus ad Hiſt. I, 14.

[3] Prima militia ] In Pannoniâ.

[4] Calvisium Sabinum ] De Calviſio Sabino ejuſque uxore Corneliâ vide Supplementum Annal. VIII, 16. Fortè idem eſt de quo Seneca Ep. 27. *Calviſius Sabinus memoriâ noſtrâ fuit dives: & patrimonium habebat libertini & ingenium. Numquam vidi hominem beatum indecentiùs.*

[5] In ipsis principiis ] Ubi erant aquilæ, ſigna, caſtrorum numina. Vide quæ de principiis notata ſunt ſuprà Annal. I, 61. not. 4.

[6] C. Cæsaris ] Caii Caligulæ.

[7] Mutatione temporum ] Occiſo Caligulâ, imperante Claudio.

[8] Fictilibus ministrari ] Eadem vide apud Plutarchum in Galbâ, pag. 1058.

eâdem

cǎdem vi. Teſtamentum T. Vinii magnitudine opum inritum: Piſonis ſupremam voluntatem paupertas firmavit.

A. U. C. 822. J. C. 69.

XLIX. Galbæ corpus diu neglectum [1], & licentiâ tenebrarum plurimis ludibriis vexatum, diſpenſator Argius [2], e prioribus ſervis [3], humili ſepulturâ, in privatis ejus hortis [4] contexit. Caput per lixas caloneſque [5] ſuffixum, laceratumque ante Patrobii tumulum (libertus is Neronis punitus a Galbâ fuerat) poſterâ demum die repertum, & cremato jam corpori admixtum eſt. Hunc exitum habuit Ser. Galba, tribus & ſeptuaginta annis [6], quinque Principes proſperâ fortunâ emen-

[1] Diu neglectum ] Sueton. in Galbâ, XX. Galba *jugulatus eſt ad lacum Curtii, ac relictus, ita uti erat, donec gregarius miles a frumentatione rediens abjecto onere caput ei amputavit. Et quoniam capillo præ calvitie arripere non poterat, in gremium abdidit. Mox inſerto per os pollice, ad Othonem detulit. Ille lixis calonibuſque donavit: qui haſtâ ſuffixum, non ſine ludibrio circùm caſtra portarunt, acclamantes idemtidem: Galba cupidè fruaris ætate tuâ. Maximè irritati ad talem jocorum petulantiam, quòd ante paucos dies exierat in vulgus, laudanti cuidam formam ſuam, ut adhuc floridam & vegetam, reſpondiſſe eum:*

Ἔτι μοι μένος ἔμπεδόν ἐστι.

Id eſt, *adhuc mihi vires integræ ſunt:* ex Homero, Iliad. V, 254.

[2] Dispensator Argius ] Diſpenſator dicebatur ſervus, quem dominus Kalendario, id eſt credendis & exigendis pecuniis, præponebat. Vide Digeſt. lib. XII. Tit. 1. de Rebus creditis. leg. 41. ex Africano.

[3] E prioribus servis ] E ſervis, quos ante Principatum Galba habuerat.

[4] In privatis ejus hortis ] Hæc, & quæ ſequuntur, diſtinctiùs explicat Suetonius in Galbâ, XX. Galbæ caput *Patrobii Neroniani libertus centum aureis*, Gallicæ monetæ libris 2100, *redemptum, eo loco ubi juſſu Galbæ animadverſum in patronum fuerat, abjecit. Serò tandem diſpenſator Argius, & hoc, & ceterum truncum in privatis ejus hortis Aureliæ viæ ſepulturæ dedit.* De Patrobio, Neronis liberto, a Galbâ occiſo, dictum eſt in Supplem. Annal. XVI, *97.*

[5] Lixas caloneſque ] Auctore Acrone in Horat. I. Serm. II, 44. *Calones ſunt miniſtri militum, liberi homines: lixæ verò ſunt ſervi proprii eorumdem.*

[6] Tribus et septuaginta annis ] Ita Plutarchus in Galbâ, pag. 1056. Victor, in Epitome, & Eutropius. At juxta Dionem, LXIV, pag. 730, natus erat tantùm duos & ſeptuaginta annos. Suetonius autem non ſibi conſtat: ait enim in Galbâ XXIII. *Periit tertio & ſeptuageſimo ætatis anno:* contrà verò cap. IV. *Servius Galba Imperator, Marco Valerio Meſſalâ, Cneio Lentulo conſulibus natus eſt, nono Kalendas Januarii.* Ergo natus eſt tantùm exeunte anno U. C. DCCLI: nec periit *tertio & ſeptuageſimo*, ſed ineunte *primo & ſeptuageſimo ætatis anno.* Huic ſententiæ favet Cl. Reimarus, quòd Dio LVI, pag. 589, tradit Galbam accepiſſe togam virilem anno U. C. DCCLXVII, Sexto Apuleio & Sexto Pompeio conſulibus. Incertum tamen argumentum, cùm Caius viceſimo ætatis anno togam ſumpſerit, teſte Suetonio, in Caio Calig. X. Oraculum Delphicum priori & vulgari ſententiæ ſuffragatur: Nero enim, *conſulto Delphis Apolline, ſeptuageſimum ac tertium annum cavendum ſibi audivit, quaſi eo demum obiturus, ac nihil conjectans de ætate Galbæ*, Sueton. in Ner. XL. Videtur ergo Suetonii libros errare in notâ conſulum; idque tantò probabilius, quòd *Lentulo* non prænomen fuerit *Cneio*, ſed *Lucio*, ut conſtat ex Teſſerâ gladiatoriâ apud Muratori, *Theſaurus Inſcript.* Tom. I. pag. CCXCVIII, num. 2.

L. LENTV. M. MES. COS.

A. U. C. 822. J. C. 69.

ſus, & alieno imperio felicior, quàm ſuo. Vetus in familiâ nobilitas [1], magnæ opes: ipſi medium ingenium, magis extra vitia, quàm cum virtutibus. Famæ nec incurioſus, nec venditator. Pecuniæ alienæ non appetens, ſuæ parcus, publicæ avarus. Amicorum libertorumque, ubi in bonos incidiſſet, ſine reprehenſione patiens: ſi mali forent, uſque ad culpam ignarus. Sed claritas natalium, & metus temporum obtentui [2], ut, quod ſegnitia erat, ſapientia vocaretur. Dum vigebat ætas, militari laude apud Germanias floruit: proconſul Africam moderatè: jam ſenior, citeriorem Hiſpaniam [3] pari juſtitiâ continuit: major privato viſus, dum privatus fuit, & omnium conſenſu capax imperii, niſi imperaſſet.

L. TREPIDAM Urbem, ac ſimul atrocitatem recentis ſceleris, ſimul veteres Othonis mores paventem, novus inſuper « de Vitellio, » nuntius exterruit, ante cædem Galbæ ſuppreſſus, ut tantùm ſuperioris Germaniæ exercitum deſciviſſe crederetur. Tum « duos [4], omnium mortalium impudicitiâ, ignaviâ, luxuriâ, deterrimos, velut ad perdendum imperium fataliter electos », non ſenatus modò & eques, quîs aliqua pars & cura reipublicæ, ſed vulgus quoque palam mærere. Nec jam recentia ſævæ pacis exempla, ſed repetitâ bellorum civilium memoriâ, « captam totiens ſuis exercitibus Urbem, »vaſtitatem Italiæ, direptiones provinciarum, Pharſaliam, »Philippos, & Peruſiam ac Mutinam [5] », nota publicarum

[1] IN FAMILIA NOBILITAS ] Vidimus ſupra cap. 15, Sulpiciæ ac Lutatiæ familiæ decora; quibus fabulas addebat Galba, teſte Suetonio in Galb. II. *Imperator Stemma in atrio propoſuit, quo paternam originem ad Jovem: maternam, ad Paſiphaen, Minois uxorem, referret.* Eruditus Harduinus, *Selecta Opera*, pag. 726. nummum e Cimelio D. Foucault publicavit, ΛΟΥΚ. ΛΙΒ. ΣΟΥΛΠ. ΓΑΛΒΑ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. id eſt *Lucius Livius Sulpicius Galba Cæſar Auguſtus*, capite laureato: Victoria. In aversâ parte', ΚΡΑΤΗΣΙΣ. id eſt *Imperium.* Ex hoc nummo novum & veteribus ſcriptoribus incognitum Galbæ Stemma fabricavit. Fabulæ ſunt. Nummus in ipſis Galbiani Imperii initiis cuſus eſt. Inde *Lucius* appellatur *pro Servio*, ut apud Suet. in Galbâ IV. *Livius* autem adulatoriè vocatur, ob affinitatem cum Liviâ, ut dictum eſt ſuprà in Supplemento Annal. XVI, 93.

[2] OBTENTUI ] Prætextui erat.

[3] CITERIOREM HISPANIAM ] Vide Supplementum Annal. XVI, 67.

[4] DUOS ] Othonem & Vitellium.

[5] PERUSIAM AC MUTINAM ] Pharſalicis in campis pugnavere Julius Cæſar & Pompeius anno U. C. DCCVI. Ad Mutinam atrox fuit prœlium inter M. Antonium & conſules Hirtium & Panſam,

cladium nomina, loquebantur. « Propè everſum orbem etiam » cum de principatu inter bonos [1] certaretur: ſed manſiſſe C. » Julio, manſiſſe Cæſare Auguſto victore, imperium; manſu» ram fuiſſe, ſub Pompeio Brutoque, rempublicam. Nunc pro » Othone, an pro Vitellio, in templa ituros? Utraſque impias » preces, utraque deteſtanda vota, inter duos, quorum bello » ſolum id ſcires, deteriorem fore, qui viciſſet ». Erant, qui Veſpaſianum, & arma Orientis augurarentur: &, ut potior utroque Veſpaſianus, ita bellum aliud, atque alias clades horrebant. Et ambigua de Veſpaſiano fama [2]: ſoluſque omnium ante ſe Principum, in melius mutatus eſt.

A. U. C. 822. J. C. 69.

LI. Nunc initia cauſaſque motûs Vitelliani expediam. Cæſo cum omnibus copiis Julio Vindice [3], ferox prædâ gloriâque exercitus, ut cui, ſine labore ac periculo, ditiſſimi belli victoria eveniſſet, expeditionem & aciem, præmia quàm ſtipendia malebat: diuque infructuoſam & aſperam militiam toleraverat, ingenio loci cælique [4], & ſeveritate diſciplinæ; quam in pace inexorabilem diſcordiæ civium reſolvunt, paratis utrimque corruptoribus, & perfidiâ impunitâ. Viri, arma, equi [5], ad uſum, & ad decus, ſupererant. Sed ante bellum, centurias tantùm ſuas turmaſque noverant: exercitus finibus provinciarum [6] diſcernebantur. Tum adverſus Vindicem contractæ legiones, ſeque & Gallias expertæ, quærere rurſus arma, novaſque diſcordias: nec « ſocios [7] », ut olim, ſed « hoſtes & victos » vocabant. Nec deerat pars Galliarum, quæ Rhenum adcolit, eaſdem partes [8] ſecuta, ac tum acerrima

anno U. C. dccxi. Cum Bruto & Caſſio Octavius & Antonius in Theſſalia ad urbem Philippos decertavere anno U. C. dccxii. L. Antonium, Antonii triumviri fratrem, Peruſiæ incluſum, ad deditionem compulit Octavius anno U. C. dccxiv. Pharſalia, nunc *Farſa*: Philippi periere. Peruſia, *Pérouſe*: Mutina, *Modene*.

[1] Inter bonos ] Certe neque Othonis, neque Vitellii vitiis oneratos.

[2] Fama ] Olim Caio Caligulæ erat adulatus; Cænidi quoque obnoxius. Vide Suetonium in Veſpaſian. II, III & IV.

[3] Julio Vindice ] Ut dictum eſt in Supplemento Annal. XVI, 66.

[4] Loci cælique ] Germaniæ.

[5] Arma, equi ] Victoriæ præmia, ſuperato Vindice, Galliſque debellatis.

[6] Finibus provinciarum ] Inferioris & ſuperioris Germaniæ.

[7] Nec socios ] Nec Gallos, ſocios, ut olim, ſed hoſtes & victos vocabant.

[8] Easdem partes ] Legionum & Verginii, ut dictum fuerat in Supplemento Annal. XVI, 78.

inſtigatrix adverſus *Galbianos*: hoc enim nomen, faſtidito Vindice, indiderant. Igitur Sequanis Æduiſque [1], ac deinde, prout opulentia civitatibus erat, infenſi, expugnationes urbium, populationes agrorum, raptus penatium hauſerunt animo: ſuper avaritiam & arrogantiam, præcipua validiorum vitia, contumaciâ Gallorum inritati, qui « remiſſam ſibi a Galbâ quar- » tam tributorum partem, & publicè donatos [2], in ignominiam » exercitûs » jactabant. Acceſſit callidè vulgatum, temere creditum, « decumari legiones, & promptiſſimum quemque cen- » turionum dimitti »: undique atroces nuntii, ſiniſtra ex Urbe fama; infenſa Lugdunenſis colonia, & pertinaci pro Nerone fide [3] fecunda rumoribus. Sed plurima ad fingendum credendumque materies in ipſis caſtris, odio, metu, &, ubi vires ſuas reſpexerant, ſecuritate.

A. U. C. 822. J. C. 69.

LII. Sub ipſas ſuperioris anni Calendas Decembres Aulus Vitellius, inferiorem Germaniam ingreſſus, hiberna legionum cum curâ adierat: redditi pleriſque ordines, remiſſa ignominia, adlevatæ notæ [4]: plura ambitione, quædam judicio: in quibus ſordem & avaritiam Fonteii Capitonis [5], adimendis adſignandiſve militiæ ordinibus, integre mutaverat. Nec conſularis legati menſurâ [6], ſed in majus omnia accipiebantur. Et Vitellius [7] apud ſeveros humilis. Ita comitatem bonitatem-

[1] Sequanis Æduisque ] Julii Vindicis partes ſecutis. Vide Supplementum Annal. XVI, loc. cit.

[2] Publice donatos ] Publicè donatos finibus, ſeu agris, Treverorum aliarumque civitatum, Vindici infenſarum: quod in ignominiam exercitûs, qui Vindicem debellaverat, factum videbatur.

[3] Pro Nerone fide ] Ob beneficium a Nerone recèns acceptum, de quo dictum eſt Annal. XVI, 13, Neroni addicta, Galbæ infenſa.

[4] Adlevatæ notæ ] Eraſæ, aut ſaltem mollitæ notæ, quæ nominibus, in tabulis cenſualibus, apponebantur. Idem teſtatur Suetonius in Vitell. VIII. *Caſtra verò ingreſſus nihil cuiquam poſcenti negavit: atque etiam ultro ignominioſis notas, reis ſordes, damnatis ſupplicia, demſit.* De notis vide Suetonium, in Claud. XVI.

[5] Fonteii Capitonis ] De quo dictum in Supplemento Annal. XVI, 77 & 92.

[6] Consularis legati mensura ] Nec eæ liberalitates pro conſularis legati menſurâ, ſed in majus, ut Principalis animi indicia felicitatiſque pignora, accipiebantur. Atque ut hac popularitate apud ſeveros humilis habebatur, ita apud faventes comis & bonus. Ii enim comitatem bonitatemque vocabant, quòd Princeps facilis & prodigus ſine modo, ſine judicio, donaret ſua, largiretur aliena.

[7] Ut Vitellius ] Fortè ſcriptum olim, *apud ſeveros humilis, ita comitatem bonitatemque*, &c. Sic certè mallem: nec ita ſalebroſa foret oratio.

que [1] favêntes vocabant, quod ſine modo, ſine judicio, donaret ſua, largiretur aliena: ſimul, aviditate imperandi [2], ipſa vitia pro virtutibus interpretabantur. Multi in utroque exercitu ſicut modeſti quietique, ita mali & ſtrenui: ſed profuſâ cupidine, & inſigni temeritate, legati legionum, Alienus Cæcina, & Fabius Valens: e quibus Valens, infenſus Galbæ, tamquam detectam a ſe Verginii cunctationem [3], oppreſſa Capitonis conſilia [4], ingratè tuliſſet [5], inſtigare Vitellium, « ardo»rem militum » oſtentans. « Ipſum celebri ubique famâ: nul»lam in Flacco Hordeonio [6] moram: adfore Britanniam: ſe»cutura Germanorum auxilia: malè fidas provincias: preca»rium ſeni imperium, & brevi tranſiturum: panderet modò »ſinum, & venienti fortunæ occurreret. Meritò dubitaſſe Ver»ginium, equeſtri familiâ, ignoto patre: imparem, ſi rece»piſſet imperium: tutum, ſi recuſaſſet. Vitellio tres patris con»ſulatus, cenſuram, collegium Cæſaris [7], & imponere jampri»dem Imperatoris dignationem, & auferre privati ſecurita»tem ». Quatiebatur his ſegne ingenium, ut concupiſceret magis, quàm ut ſperaret.

A. U. C. 822. J. C. 69.

LIII. At in ſuperiore Germaniâ, Cæcina, decorâ juventâ, corpore ingens, animi immodicus, ſcito ſermone, erecto

[1] Comitatem bonitatemque ] Ut noſcatur ingenium hominis, quo fortè numquam exſtitit magis ſpernendus, paulo longiora afferam ex Suetonio in Vitell. VII. Vitellium advenientem *malè animatus erga Principem exercitus, pronuſque ad res novas, libens ac ſupinis manibus excepit, velut dono deûm oblatum, tertiò conſulis filium, ætate integrâ, facili ac prodigo animo. Quam veterem de ſe perſuaſionem Vitellius recentibus etiam experimentis auxerat, totâ viâ caligatorum quoque militum obvios exoſculans: perque ſtabula ac diverſoria, mulionibus ac viatoribus præter modum comis: ut manè ſingulos, jamne jentaſſent? ſciſcitaretur, ſeque feciſſe ructu quoque oſtenderet.*

[2] Aviditate imperandi ] Simul avidi, ut Imperatorem haberent Vitellium, ſeu ut imperaret Vitellius, ipſa vitia pro virtutibus interpretabantur. Hæc enim aviditas militibus inerat, non autem ſegni præpinguis ac ventroſi Vitellii ingenio. De hac, rarâ quidem, non tamen inſolenti, dicendi ratione vide Notas & Emendationes ad Hiſt. I, 52.

[3] Verginii cunctationem ] Tacit. ſuprà cap. 8. *Nec ſtatim pro Galbâ Verginius.*

[4] Oppressa Capitonis consilia ] Ut dictum eſt in Supplemento Annalium XVI, 92.

[5] Ingrate tulisset ] Nullo reddito ſibi præmio, ut rectè explicat Illuſtr. Huetius.

[6] Flacco Hordeonio ] De quo ſuprà Hiſt. I, 9.

[7] Collegium Cæsaris ] Pater Vitellii fuerat ter conſul, cenſor, collega Claudii Cæſaris. Vide quæ dicta ſunt ſuprà Hiſt. I, 9.

A. U. C. 822. P. C. 69.

inceſſu, ſtudia militum inlexerat. Hunc juvenem Galba, quæſtorem in Bæticâ [1], impigre in partes ſuas tranſgreſſum, legioni præpoſuit: mox compertum publicam pecuniam avertiſſe, ut peculatorem flagitari juſſit. Cæcina ægre paſſus [2], miſcere cuncta, & privata vulnera [3] reipublicæ malis operire ſtatuit. Nec deerant in exercitu ſemina diſcordiæ, quod & bello adversùs Vindicem univerſus adfuerat [4], nec, niſi occiſo Nerone, tranſlatus in Galbam, atque in eo ipſo ſacramento vexillis inferioris Germaniæ præventus erat. Et Treveri ac Lingones, quaſque alias civitates atrocibus edictis, aut damno ſinium Galba perculerat [5], hibernis legionum propius miſcentur [6]. Unde ſeditioſa colloquia, & inter paganos [7] corruptior miles, & in Verginium favor [8], cuicumque alii profuturus.

LIV. Miserat civitas Lingonum [9], vetere inſtituto, dona legionibus, dextras, hoſpitii inſigne [10]. Legati eorum, in ſqualorem mæſtitiamque compoſiti, per principia [11], per contubernia, modò « ſuas injurias », modò « civitatum vicinarum [12] præmia », &, ubi pronis militum auribus accipie-

[1] In Bætica ] Bætica, nunc *les royaumes de Grenade, de Séville, de Cordoue, preſque tout le royaume de Jaen, & une partie de l'Eſtramadure.*

[2] Ægre passus ] Id dedecoris ægre paſſus.

[3] Privata vulnera ] Cum poſtulatus fuiſſet peculatûs. Qui pecuniam publicam averterat, ſeu in ſuos uſus verterat, lege Juliâ peculatûs tenebatur.

[4] Universus adfuerat ] Ut dictum eſt in Supplemento Annal. XVI, 78.

[5] Perculerat ] Quòd contra Vindicem ſteterant. Vide Supplementum Annal. XVI, loc. cit. & cap. 92.

[6] Propius miscentur ] Ob vicinitatem.

[7] Inter paganos ] Miles corruptior eſt inter paganos, quàm in caſtris. Pagani dicuntur ii, qui non militant. Sic paſſim in Digeſtorum libris, ac maximè Digeſt. libr. XXXV. Tit. 2. ad legem Falcidiam. leg. 96. ex Scævolâ. *Miles, ſi, dum paganus erat, fecerit teſtamentum, [illegible] tempore [illegible]: lex Falcidia in [illegible] locum non habet: in [illegible] locum habebit.* Ut *Paganos* Romani dixere, qui non militarent; ita *paganos* dicimus, qui Deo non militant.

[8] In Verginium favor ] Quem Principem feciſſent, ni ipſe reſtitiſſet; utì vidimus in Supplemento Annal. XVI, 89.

[9] Civitas Lingonum ] Quæ in Neronis fide perſtiterat, ut dictum eſt ſuprà in Supplemento Annal. XVI, 78.

[10] Dextras, hospitii insigne ] Lingones miſerant legatos, qui dona ferrent legionibus, & cum illis dextras, hoſpitii inſigne, conjungerent. Inde in nummis toties occurrunt duæ manus junctæ, cum variâ epigraphe, FIDES EXERCITVVM: CONCORDIA EXERCITVVM: CONSENSVS EXERCITVVM.

[11] Per principia ] De quibus jam ſuprà cap. 28.

[12] Civitatum vicinarum ] Quæ, Vindicis partes ſecutæ, a Galbâ præmiis fuerant publicè donatæ; ut ſæpe dictum eſt ſuprà.

bantur « ipſius exercitûs pericula & contumelias » conquerentes, accendebant animos. Nec procul ſeditione aberant, cùm Hordeonius Flaccus « abire legatos », utque occultior digreſſus eſſet, « nocte caſtris excedere » jubet. Inde atrox rumor, adfirmantibus pleriſque, « interfectos, ac niſi ipſi conſulerent, » fore, ut acerrimi militum, & præſentia conqueſti, per tene» bras, & inſcitiam ceterorum, occiderentur ». Obſtringuntur inter ſe tacito fœdere legiones. Adſciſcitur auxiliorum miles, primò ſuſpectus, tamquam, circumdatis cohortibus aliſque, impetus in legiones pararetur, mox eadem acrius volvens; faciliore inter malos conſenſu ad bellum, quàm in pace ad concordiam.

A. U. C. 822. J. C. 69.

LV. Inferioris tamen Germaniæ legiones, ſollemni Calendarum Januariarum ſacramento pro Galbâ adactæ, multâ cunctatione, & raris primorum ordinum vocibus: ceteri ſilentio, proximi cujuſque audaciam exſpectantes; inſitâ mortalibus naturâ, properè ſequi, quæ piget inchoare. Sed ipſis legionibus inerat diverſitas animorum. Primani, quintanique turbidi adeò, ut quidam ſaxa in Galbæ imagines jecerint: quintadecima ac ſextadecima legiones, nihil, ultra fremitum & minas, auſæ, initium erumpendi circumſpectabant. At in ſuperiori exercitu [1], quarta ac duoetvicesſima legiones, iiſdem hibernis [2] tendentes, ipſo Calendarum Januariarum die dirumpunt imagines Galbæ: quarta legio promptiùs, duoetvicesſima cunctanter, mox conſenſu, ac ne reverentiam imperii exuere viderentur, *ſenatûs populique Romani* obliterata jam nomina, ſacramento advocabant: nullo legatorum tribunorumve pro Galbâ nitente; quibuſdam, ut in tumultu, notabiliùs turbantibus. Non tamen quiſquam in modum concionis, aut ſuggeſtu [3] locutus: neque enim erat adhuc, cui imputaretur [4].

[1] Exercitu ] In ſuperioris Germaniæ exercitu. De IV & XXII ceteriſque legionibus, quæ in his bellis paſſim memorantur, vide Notas & Emendationes ad Hiſt. II, 6.

[2] Iisdem hibernis ] Mogontiaci, *Mayence*.

[3] Aut suggestu ] Exſtruebatur enim tribunal, ex quo dux auctorque rebellionis ſeditioſos adloquebatur, ut vidimus ſupra Annal. I, 18.

[4] Cui imputaretur ] Neque enim erat in eo tumultu, qui ducem ſe oſtentaret.

A. U. C. 822. J. C. 69.

LVI. Spectator flagitii Hordeonius Flaccus, conſularis legatus, aderat, non compeſcere ruentes, non retinere dubios, non cohortari bonos auſus; ſed ſegnis, pavidus [1], & ſocordiâ innocens. Quatuor centuriones duoetviceſimæ legionis, Nonius Receptus, Donatius Valens, Romilius Marcellus, Calpurnius Repentinus, cum protegerent Galbæ imagines, impetu militum abrepti, vinctique. Nec cuiquam ultrà fides, aut memoria prioris ſacramenti: ſed, quod in ſeditionibus accidit, unde plures erant, omnes fuere. Nocte, quæ Calendas Januarias ſecuta eſt, in coloniam Agrippinenſem [2] aquilifer quartæ legionis epulanti Vitellio nuntiat, « quartam » & duoetviceſimam legiones, projectis Galbæ imaginibus, in » ſenatûs & populi Romani verba juraſſe ». Id ſacramentum inane viſum: « occupari nutantem fortunam, & offerri Prin» cipem » placuit. Miſſi a Vitellio ad legiones legatoſque, qui « deſciviſſe a Galbâ ſuperiorem exercitum » nuntiarent: « proinde aut bellandum adversùs deſciſcentes, aut ſi concor» dia & pax placeat, faciendum Imperatorem: & minore diſ» crimine ſumi Principem, quàm quæri ».

LVII. Proxima legionis primæ hiberna erant [3], & promptiſſimus e legatis Fabius Valens. Is die poſtero coloniam Agrippinenſem cum equitibus legionis, auxiliariorumque ingreſſus, *Imperatorem* Vitellium conſalutavit [4]. Secutæ ingenti certamine ejuſdem provinciæ legiones: & ſuperior exercitus, ſpecioſis ſenatûs populique Romani nominibus relictis, tertium Nonas Januarias [5] Vitellio acceſſit: ſcires illum priore biduo

[1] Segnis, pavidus ] Eadem vitia, cauſaſque vidimus ſuprà cap. 9.

[2] Coloniam Agrippinensem ] Nunc *Cologne*. Vide originem coloniæ ſuprà Annal. XII, 27.

[3] Hiberna erant ] Quæ erant Bonnæ, nunc *Bonn*.

[4] Vitellium consalutavit ] Rem fuſiùs narrat Suetonius in Vitell. VIII. *Vix dum menſe tranſacto*, quo Vitellius in Germaniam inferiorem venerat, *neque diei, neque temporis ullâ ratione, ac jam veſpere ſubitò a militibus e cubiculo raptus, ita ut erat in veſte domeſticâ Imperator eſt conſalutatus: circumlatuſque per celeberrimos vicos, ſtrictum divi Julii gladium tenens, detractum delubro Martis, atque in primâ gratulatione porrectum ſibi a quodam: nec antè in prætorium rediit, quàm flagrante triclinio ex conceptu camini: tum quidem conſternatis, & quaſi omine adverſo anxiis omnibus, inquit: Bono animo eſtote, nobis alluxit: nullo ſermone alio apud milites uſus.*

[5] Tertium Nonas Januarias ] Die tertio Januarii.

non

A. U. C. 822. J. C. 69.

non penes rempublicam [1] fuiſſe. Ardorem exercituum Agrippinenſes, Treveri, Lingones æquabant, « auxilia, equos, » arma, pecunias » offerentes, ut quiſque corpore, opibus, ingenio validus. Nec principes modo coloniarum, aut caſtrorum, quibus præſentia ex affluenti [2], & partâ victoriâ magnæ ſpes: ſed manipuli quoque, & gregarius miles, viatica ſua, & balteos [3], phalerasque, inſignia armorum argento decora, loco pecuniæ tradebant: inſtinctu, & impetu, & avaritiâ [4].

LVIII. Igitur, laudatâ militum alacritate, Vitellius, miniſteria principatûs, per libertos agi ſolita [5], in equites Romanos diſponit: vacationes [6] centurionibus ex fiſco numerat: ſævitiam militum, pleroſque ad pœnam expoſcentium, ſæpius approbat, partim ſimulatione vinculorum fruſtratur. Pompeius Propinquus, procurator Belgicæ, ſtatim interfectus. Julium Burdonem, Germanicæ claſſis præfectum, aſtu ſubtraxit. Exarſerat in eum iracundia exercitûs, tamquam crimen, ac mox inſidias, Fonteio Capitoni ſtruxiſſet. Grata erat memoria Capitonis: & apud ſævientes occidere palam, ignoſcere non niſi fallendo licebat. Ita cuſtodiâ habitus: & poſt victoriam demum, ſtratis jam militum odiis, dimiſſus eſt. Interim, ut piaculum, objicitur centurio Criſpinus, qui ſe ſanguine Capitonis cruentaverat: eoque & poſtulantibus manifeſtior, & punienti vilior fuit.

LIX. Julius deinde Civilis periculo exemptus, præpotens inter Batavos, ne ſupplicio ejus ferox gens alienaretur. Et erant in civitate Lingonum octo Batavorum cohortes, quar-

[1] Non penes rempublicam ] Unde cognoſceres exercitum illum, qui priore biduo, projectis Galbæ imaginibus, in ſenatûs & populi Romani verba juraverat, non penes rempublicam fuiſſe; id eſt, non id egiſſe reipublicæ ſtudio, ſed ob averſam a Galbâ voluntatem.

[2] Ex affluenti ] Id eſt, affluenter. Nempe in præſens divites, & ex partâ victoriâ magna ſperabant.

[3] Viatica sua, et balteos ] Viaticum eſt pecunia ad ſumptus viæ, ut patet ex Ulpiano. Digeſt, libr. XII. Tit. I. de Rebus creditis. leg. 17. Vide quoque Suetonium in Jul. LXVIII. Balteus, cingulum erat e corio bullatum, quo ab humeris enſis ſuſpendebatur. Phaleræ hoc in loco ſunt ornamenta equorum, in quibus vulgò plurimum erat argenti.

[4] Et avaritia ] Majoris lucri ſpe.

[5] Agi solita ] Maxime Claudio ac Nerone Principibus.

[6] Vacationes ] De his vacationibus dictum ſupra cap. 46.

A. U. C. 822. J. C. 69.

tædecimæ legionis auxilia, tum diſcordiâ temporum a legione digreſſæ: prout inclinaſſent, grande momentum [1], ſociæ aut adverſæ. Nonium, Donatium, Romilium, Calpurnium, centuriones, de quibus ſuprà retulimus [2], occidi juſſit, damnatos fidei crimine, graviſſimo inter deſciſcentes. Acceſſere partibus Valerius Aſiaticus, Belgicæ provinciæ legatus, quem mox Vitellius generum adſcivit: & Junius Blæſus, Lugdunenſis Galliæ rector, cum Italicâ legione [3], & alâ Taurinâ [4], Lugduni tendentibus. Nec in Ræticis copiis [5] mora, quominus ſtatim adjungerentur. Ne in Britanniâ quidem dubitatum.

LX. Præerat Trebellius Maximus [6], per avaritiam & ſordes contemptus exercitui inviſuſque. Accendebat odium ejus Roſcius Cælius, legatus viceſimæ legionis, olim diſcors, ſed occaſione civilium armorum atrociùs proruperat. Trebellius « ſeditionem & confuſum ordinem diſciplinæ » Cælio; « ſpo- » liatas & inopes legiones » Cælius Trebellio objectabat: cùm interim, fœdis legatorum certaminibus, modeſtia exercitûs corrupta, eóque diſcordiæ ventum, ut auxiliarium quoque militum conviciis proturbatus, & aggregantibus ſe Cælio cohortibus aliſque, deſertus Trebellius ad Vitellium perfugerit: quies provinciæ, quamquam remoto conſulari, manſit: rexere legati legionum, pares jure, Cælius audendo potentior.

LXI. Adjuncto Britannico exercitu, ingens viribus opibuſque Vitellius, duos duces, duo itinera bello deſtinavit. Fabius Valens « allicere, vel ſi abnuerent, vaſtare Gallias, » & Cottianis Alpibus [7] Italiam inrumpere »; Cæcina « pro-

[1] Grande momentum ] Sic de Curione, quem egregiè laudat Lucanus, IV, 719.

*Momentumque fuit, mutatus Curio, rerum.*

[2] Supra retulimus ] Cap. 56.

[3] Italica legione ] Primâ Italicâ legione. Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. II, 6.

[4] Ala Taurina ] Ita dicta a Taurinis, *antiquâ Ligurum ſtirpe*, Plin. III, 17: quorum urbs princeps erat Auguſta Taurinorum, nunc *Turin.*

[5] In Ræticis copiis ] De quibus plura infrà cap. 68.

[6] Trebellius Maximus ] Segnis, & nullis caſtrorum experimentis, ut dicetur infrà in Vit. Agric. XVI.

[7] Cottianis Alpibus ] Cottianæ Alpes, quibus Italiam irrumpere juſſus eſt Valens, nunc dicuntur *le paſſage de Briançon à Suze*: quo in loco Cottius, Alpium Cottiarum rex, in amicitiam Octaviani Auguſti Principis receptus, molibus magnis exſtruxerat compendiarias & viantibus opportunas vias, teſte Ammiano Marcellino, XV, 9.

A. U. C. 822. J. C. 69.

»piore tranſitu, Peninis jugis [1] degredi » juſſus. Valenti inferioris exercitûs electi, cum aquilâ quintæ legionis & cohortibus aliſque, ad quadraginta millia armatorum data : triginta millia Cæcina e ſuperiore Germaniâ ducebat, quorum robur legio unaetviceſima fuit : addita utrique Germanorum auxilia, e quibus Vitellius ſuas quoque copias ſupplevit, totâ mole belli ſecuturus.

LXII. Mira inter exercitum Imperatoremque diverſitas. Inſtare miles, « arma » poſcere, « dum Galliæ trepident, dum »Hiſpaniæ cunctentur: non obſtare hiemem, neque ignavæ pa»cis moras: invadendam Italiam, occupandam Urbem: nihil »in diſcordiis civilibus feſtinatione tutius, ubi facto magis, »quàm conſulto, opus eſſet. » Torpebat Vitellius, & fortunam principatûs inerti luxu ac prodigis epulis præſumebat, medio diei temulentus, & saginâ gravis [2] : cùm tamen ardor & vis militum ultro ducis munia implebat, ut ſi adeſſet Imperator, & ſtrenuis, vel ignavis, ſpem metumque adderet. Inſtructi intentique « ſignum profectionis » expoſcunt. Nomen *Germanici* [3] Vitellio ſtatim additum: *Cæſarem* ſe appellari, etiam victor prohibuit [4]. Lætum augurium Fabio Valenti, exer-

[1] Peninis jugis ] Penina juga, ſeu Peninæ Alpes, quibus degreſſus eſt Cæcina, nunc vocitantur *le paſſage du grand S. Bernard.* Malè Plinius, III, 17, Alpes *Pæninas* ſcripſit, quòd *his Pœnos.... tranſiſſe memorant.* Alpes Peninæ appellantur a voce Celticâ *Pen*, quæ caput, verticem, ſignificat. Ibi colebatur Deus Peninus, ut docet vetus Inſcriptio, quam a Grævio accepit Gudius, pag. LIV, num. *6.*

LVCIVS. LYCILIVS
DEO. PENINO
OPTIMO
MAXIMO
DONVM. DEDIT.

Non Peninis jugis, ſed viâ, quæ nunc vocatur *le mont Genevre*, tranſiere Pœni.

[2] Sagina gravis ] Suetonius in Vitell. XVII. *Erat in eo*, Vitellio, *enormis proceritas*, *facies rubida plerumque ex vinolentiâ*, *venter obeſus.*

[3] Nomen Germanici ] Sueton. in Vitell. VIII. *Cognomen Germanici delatum ab univerſis cupidè recepit: Auguſti diſtulit: Cæſaris in perpetuum recuſavit.* Tum cuſus fuit nummus argenteus, qui fuit in Muſeo Collegii Ludovici Magni: A. VITELLIVS IMP. GERMAN. Caput Vitellii laureatum. In poſticâ parte, FIDES EXERCITVVM. Dexteræ duæ junctæ. Fuit in eodem Muſeo nummus alter argenteus, A. VITELLIVS GERM. IMP. AVG. TR. P. Caput Vitellii laureatum. In averſâ parte, XVVIR SAC. FAC. id eſt, *quindecimvir ſacris faciendis* : tripus cum Delphino, & infrà avis corvus, aut cornix, cujus uſus plurimus in præſagiis.

[4] Victor prohibuit ] Datum tamen Cæſaris nomen in provinciis teſtatur nummus, in Ægypto cuſus, quem publici juris fecit Cl. Pellerin, *Mélange de Medailles*, Tom. I, pag. 228. Tab.

A. U. C. 822. J. C. 69.

citiique, quem in bellum agebat, ipſo profectionis die, aquila [1] leni meatu, prout agmen incederet, velut dux viæ, prævolavit: longumque per ſpatium, is gaudentium militum clamor, ea quies interritæ alitis fuit, ut haud dubium magnæ & proſperæ rei omen acciperetur.

LXIII. Et Treveros quidem, ut ſocios, ſecuri adiere. Divoduri [2] (Mediomatricorum [3] id oppidum eſt) quamquam omni comitate exceptos, ſubitus pavor exterruit, raptis repentè armis, ad cædem innoxiæ civitatis; non ob prædam, aut ſpoliandi cupidine, ſed furore & rabie, & cauſis incertis, eòque difficilioribus remediis; donec precibus ducis mitigati, ab excidio civitatis temperavere; cæſa tamen ad quatuor millia hominum. Iſque terror Gallias invaſit, ut venienti mox agmini univerſæ civitates, cum magiſtratibus & precibus, occurrerent, ſtratis per vias pueris feminiſque; quæque alia placamenta [4] hoſtilis iræ, non quidem in bello, ſed pro pace tendebantur.

LXIV. Nuntium de cæde Galbæ, & imperio Othonis, Fabius Valens in civitate Leucorum [5] accepit. Nec militum animus in gaudium, aut formidinem permotus: bellum volvebat. Gallis cunctatio exempta, & in Othonem ac Vitellium odium par, ex Vitellio & metus. Proxima Lingonum civitas erat, fida partibus: benignè excepti, modeſtiâ certavere: ſed brevis lætitia fuit, cohortium intemperie, quas a legione quartadecimâ, ut ſuprà memoravimus [6], digreſſas, exercitui ſuo

XIII, num. 3. ΩΛΟΥ. ΟΥΙΤ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. ΓΕΡΜ. ΑΥΤ. Id eſt, *Auli Vitellii Cæſaris Auguſti Germanici Imperatoris*: caput Vitellii laureatum. Ex averſâ parte, L A, id eſt *anno primò*: Victoria ſtans dextrâ coronam, lævâ oleam tenet. Ni fortaſſe cuſus ſit hic nummus, cùm Vitellius, ſuperſtitione ductus, nomen Cæſaris poſtea uſurpavit, ut dicetur infrà Hiſt. III, 58.

[1] Aquila ] De hac aquilarum ſpecie diximus ſuprà Annal. II, 17. not. 7. Poſtea quoque in bellis Germanicis, ducibus Carolo V, & Ferdinando, Archiduce Cardinali, prævolavere aquilæ; ut videre eſt in *Pompâ Introitûs Ferdinandi*, pag. 2.

[2] Divoduri ] Hodie *Metz*.

[3] Mediomatricorum ] Mediomatrici, nunc *les dioceſes de Metz & de Verdun*.

[4] Placamenta ] Velamenta, infulæ, & quæque alia hoſtilis iræ placamenta, etſi bellum non foret, pro pace tamen tendebantur. Vide infrà cap. 66.

[5] Civitate Leucorum ] Nunc *le dioceſe de Toul*.

[6] Memoravimus ] Suprà cap. 59.

A. U. C. 822. J. C. 69.

Fabius Valens adjunxerat. Jurgia primum: mox rixa inter Batavos & legionarios. Dum his, aut illis, ſtudia militum adgregantur, propè in prœlium exarſere; ni Valens, animadverſione paucorum, oblitos jam Batavos imperii admonuiſſet. Fruſtra adverſus Æduos quæſita belli cauſa. Juſſi « pecuniam » atque arma deferre », gratuitos inſuper commeatus [1] præbuere: quod Ædui formidine, Lugdunenſes gaudio fecere. Sed legio Italica & ala Taurina [2] abductæ. Cohortem duodevicesimam [3] Lugduni, ſolitis ſibi hibernis [4], relinqui placuit. Manlius Valens, legatus Italicæ legionis, quamquam bene de partibus meritus, nullo apud Vitellium honore fuit: ſecretis eum criminationibus infamaverat Fabius ignarum, & quò incautior deciperetur, palam laudatum.

LXV. Veterem inter Lugdunenſes Viennenſeſque diſcordiam [5] proximum bellum accenderat: multæ invicem clades, crebriùs infeſtiuſque, quàm ut tantùm propter Neronem Galbamque pugnaretur. Et Galba reditus Lugdunenſium, occaſione iræ, in fiſcum verterat [6]. Multus contrà in Viennenſes honor: unde æmulatio, & invidia, & uno amne [7] diſcretis connexum odium. Igitur Lugdunenſes exſtimulare ſingulos militum, & in everſionem Viennenſium impellere, « obſeſſam ab » illis coloniam ſuam [8], adjutos Vindicis conatus, conſcriptas » nuper legiones in præſidium Galbæ » referendo. Et ubi cauſas odiorum prætenderant, magnitudinem prædæ oſtendebant. Nec jam ſecreta exhortatio, ſed publicæ preces: « Irent ultores, exſcinderent ſedem Gallici belli [9]: cuncta illic externa

[1] Gratuitos insuper commeatus ] Gratuita cibaria ad exercitûs alimoniam.

[2] Ala Taurina ] De quâ ſuprà cap. 59.

[3] Cohortem duodevicesimam ] Sic infrà cap. 80, memoratur ſeptimadecima cohors.

[4] Solitis sibi hibernis ] Vide ſupra Annal. III, 41.

[5] Discordiam ] De quâ dictum ſuprà in Supplemento Annal. XVI, 78.

[6] In fiscum verterat ] Cùm Gallos, Vindici adverſatos, puniret. Vide Supplementum Annal. XVI, 92.

[7] Uno amne ] Rhodano, le Rhône.

[8] Coloniam suam ] Claudius Imperator, natus Lugduni, urbem hanc coloniam fecit, vocavitque, ut conſtat ex veteribus monumentis, C. C. C. AVG. LVG. Id eſt *Coloniam Claudiam Copiam Auguſtam Lugdunenſem*. Interiptum quoque veteri Taurobolio, COLON. COPIAE. AVG. LVG. Vide Cl. de Colonia, *Hiſtoire Littéraire de la ville de Lyon*. Tom. I. pag. 128 & ſeq.

[9] Gallici belli ] Quod bellum erat pro Vindice adversùs Neronem.

A. U. C. 822. J. C. 69.

„& hoſtilia [1] : ſe coloniam Romanam, & partem exercitûs, „& proſperarum adverſarumque rerum ſocios : ſi fortuna con„trà daret [2], iratis ne relinquerentur ».

LXVI. His & pluribus in eumdem modum perpulerant, ut ne legati quidem, ac duces partium, reſtingui poſſe iracundiam exercitûs arbitrarentur : cum haud ignari diſcriminis ſui Viennenſes, velamenta & inſulas [3] præferentes, ubi agmen inceſſerat, arma, genua, veſtigia prenſando, flexere militum animos. Addidit Valens trecenos [4] ſingulis militibus ſeſtercios : tum vetuſtas dignitaſque coloniæ [5] valuit, & verba Fabii, ſalutem incolumitatemque Viennenſium commendantis, æquis auribus accepta : publicè tamen armis mulctati [6], privatis & promiſcuis copiis [7], juvere militem. Sed fama conſtans fuit, « ipſum Valentem magnâ pecuniâ emptum ». Is diu ſordidus, repentè dives, mutationem fortunæ malè tegebat, accenſis egeſtate longâ cupidinibus, immoderatus, & inopi juventâ, ſenex prodigus. Lento deinde agmine, per fines Allobrogum [8] & Vocontiorum [9] ductus exercitus : ipſa itinerum ſpatia, & ſtativorum mutationes venditante duce, fœdis pactionibus adverſus poſſeſſores agrorum, & magiſtratus civitatum, adeo mina-

[1] Cuncta illic externa et hostilia ] Ob partes Galbæ, quas ſecuti erant Viennenſes. Alioquin Vienna fuit quoque colonia Romana, & Lugdunenſi coloniâ antiquior. Id tamen diſcriminis in utrâque coloniâ fuit, ut obſervat eruditus Lacarry, *Hiſtoria coloniarum*, pag. 192, quòd Lugdunum colonia fuerit Romani juris, Vienna Italici. Sic tollitur difficultas, in quâ hæſere docti viri Lipſius & de Marca.

[2] Contra daret ] Si fortuna adverſa eſſet, ne Viennenſibus iratis relinquerentur. Jam dictum ſuprà Annal. XV, 13. *Quotiens fortuna contra daret.*

[3] Velamenta et insulas ] Quæ erant ſupplicum inſignia. Sic apud Livium XXIV, 30, *ramos oleæ ac velamenta alia ſupplicum porrigentes, orare, ut reciperent ſe ſe, receptoſque tutarentur.*

[4] Trecenos ] Trecenos ſeſtertios, Gallicæ monetæ libras 58. At cùm Valens, ut vidimus ſuprà cap. 61 & 64, quadraginta hominum millibus legionem Italicam & alam Taurinam addidiſſet, Viennenſes ſolvêre Gallicæ monetæ libras circiter 2,733,000. Præterea ipſe Valens multâ pecuniâ emptus.

[5] Vetustas dignitasque coloniæ ] Quam Claudius Imperator *ornatiſſimam valentiſſimamque Viennenſium coloniam* in oratione ſuâ appellavit. Vide hanc orationem in Notis & Emendationibus ad Annal. XI, 24.

[6] Armis mulctati ] Juſſi ſunt arma deferre, ut de Æduis dictum ſuprà cap. 64.

[7] Promiscuis copiis ] Juvere militem non tantùm privatis commeatibus, ſed promiſcuis quoque; id eſt, ad totius exercitûs uſum ſepoſitis.

[8] Allobrogum ] Allobroges, nunc *partie du Dauphiné & de la Savoie.*

[9] Vocontiorum ] Vocontii, nunc *les dioceſes de Vaiſon & de Die.*

A. U. C. 822. J. C. 69.

citer, ut Luco [1] ( municipium id Vocontiorum eſt ) faces admoverit, donec pecuniâ mitigaretur: quotiens pecuniæ materia deeſſet, ſtupris & adulteriis exorabatur. Sic ad Alpes perventum.

LXVII. Plus prædæ ac ſanguinis Cæcina hauſit. Inritaverant turbidum ingenium Helvetii [2], Gallica gens, olim armis viriſque, mox memoriâ nominis clara, de cæde Galbæ ignari, & Vitellii imperium abnuentes. Initium bello fuit avaritia ac feſtinatio unaetviceſimæ legionis: rapuerant pecuniam miſſam in ſtipendium caſtelli, quod olim Helvetii ſuis militibus ac ſtipendiis tuebantur: ægre id paſſi Helvetii, interceptis epiſtolis, quæ nomine Germanici exercitûs ad Pannonicas legiones ferebantur, centurionem & quoſdam militum in cuſtodiâ retinebant. Cæcina, belli avidus, proximam quamque culpam, antequam pæniteret, ultum ibat. Mota properè caſtra: vaſtati agri: direptus, longâ pace in modum municipii exſtructus, locus, amœno ſalubrium aquarum [3] uſu frequens: miſſi ad Rætica auxilia nuntii, ut verſos in legionem [4] Helvetios a tergo adgrederentur.

LXVIII. Illi, ante diſcrimen feroces, in periculo pavidi, quamquam primo tumultu Claudium Severum ducem legerant, non arma noſcere, non ordines ſequi, non in unum conſulere: exitioſum adversùs veteranos prœlium, intuta obſidio, dilapſis vetuſtate mœnibus: hinc Cæcina cum valido exercitu, inde Ræticæ alæ cohorteſque, & ipſorum Rætorum juventus, ſueta armis, & more militiæ exercita: undique po-

[1] Luco ] Plin. III, 5. *Vocontiorum civitatis fœderatæ duo capita, Vaſio*, nunc *Vaiſon*, *& Lucus Auguſti*, nunc *Luc.* Pars tamen maxima Luci aquis tegitur.

[2] Helvetii, Gallica gens ] Qui, teſte Julio Cæſare, Bell. Gall. I, 1, *reliquos Gallos virtute præcedunt, quòd fere quotidianis prœliis cum Germanis contendunt, cùm aut ſuis finibus eos prohibent, aut ipſi in eorum finibus bellum gerunt.* Helvetii tunc multò latiùs habitabant, quàm quos nunc dicimus Helvetios, *les Suiſſes.*

[3] Salubrium aquarum ] Unde municipium illud dicebatur Aquæ, nunc *Baden, dans le comté de Baden, en Suiſſe.* Inter alia vetera monumenta, in Inſcriptione ibi repertâ, & Antonino Caracallæ nuncupatâ, memoratur RESP. AQV. id eſt *reſpublica Aquenſis.* Vide Plantinum, *Helvetia antiqua & nova*, pag. 283.

[4] Verſos in legionem ] Ut aggrederentur a tergo Helvetios, qui arma verterant in legionem unaetviceſimam, illatam ſibi injuriam ulturi.

A. U. C. 822. J. C. 69.

pulatio & cædes: ipſi in medio [1] vagi, abjectis armis, magna pars ſaucii, aut palantes, in montem Vocetium [2] perfugere. Ac ſtatim, immiſsâ cohorte Thracum, depulſi, &, conſectantibus Germanis Rætiſque, per ſilvas atque in ipſis latebris trucidati. Multa hominum millia cæſa, multa ſub coronâ venumdata [3]. Cùmque, dirutis omnibus, Aventicum [4], gentis caput, juſto agmine peteretur, miſſi qui dederent civitatem, & deditio accepta. In Julium Alpinum e principibus, ut concitorem belli, Cæcina animadvertit: ceteros veniæ, vel ſævitiæ Vitellii reliquit.

LXIX. Haud facile dictu eſt, legati Helvetiorum minùs placabilem Imperatorem, an militem invenerint: « civitatis » excidium » poſcunt; tela ac manus in ora legatorum intentant. Ne Vitellius quidem minis ac verbis temperabat: cùm Claudius Coſſus, unus ex legatis, notæ facundiæ, ſed dicendi artem aptâ trepidatione occultans, atque eò validior, militis animum mitigavit: ut eſt mos vulgo; mutabile ſubitis, & tam pronum in miſericordiam, quàm immodicum ſævitiâ fuerat: effuſis lacrimis, & meliora conſtantiùs poſtulando, impunitatem ſalutemque civitati impetravere.

LXX. Cæcina paucos in Helvetiis moratus dies, dum ſententiæ Vitellii certior fieret, ſimul tranſitum Alpium parans, lætum ex Italiâ nuntium accipit, « alam Syllanam [5] circa Pa» dum [6] agentem, ſacramento Vitellii acceſſiſſe ». Proconſulem [7] Vitellium Syllani in Africâ habuerant: mox a Nerone, ut in

[1] In medio ] Inter Romanum exercitum & Rætica auxilia.

[2] Montem Vocetium ] Nunc *la montagne de Boetz-berg.* Pars eſt montis Juræ.

[3] Sub corona venumdata ] De hoc uſu dictum ſatis Annal. XIII, 39.

[4] Aventicum ] Germanicè appellatur *Wiſtispurg*; Gallicè, ſervato veteri nomine, dicitur *Avenches.* Splendorem urbis, quæ olim gentis fuit caput, teſtantur adhuc multa monumenta, quæ, de patriâ, de literis optimè meritus, edidit eruditus Schmidt, *Recueil d'Antiquités trouvées à Avenches, à Culm, & en d'autres lieux de la Suiſſe.*

[5] Alam Syllanam ] Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. I, 70.

[6] Circa Padum ] Padus, nunc *le Pô*, Græcis dictus Eridanus, ac pœnâ Phaëtontis illuſtratus: vectigalibus aquis nobilior, *triginta flumina in mare Adriaticum defert*, Plin. III, 16.

[7] Proconsulem ] Sueton. in Vitell. V. Vitellius *Proconſulatum Africæ..... adminiſtravit* ... Quâ *in provinciâ ſingularem innocentiam præſtitit biennio continuato*, cùm *ſuccedenti fratri legatus ſubſtitiſſet.*

Ægyptum

A. U. C. 822. J. C. 69.

Ægyptum præmitterentur [1], exciti, & ob bellum Vindicis revocati, ac tum in Italiâ manentes, inſtinctu decurionum, qui Othonis ignari, Vitellio obſtricti, robur adventantium legionum & famam Germanici exercitûs attollebant, tranſiere in partes: & ut donum aliquod novo Principi, ſirmiſſima Transpadanæ regionis municipia, Mediolanum, ac Novariam, & Eporediam, ac Vercellas [2], adjunxere. Id Cæcinæ per ipſos compertum. Et quia præſidio alæ unius latiſſima pars Italiæ defendi nequibat, præmiſſis Gallorum, Luſitanorum, Britannorumque cohortibus, & Germanorum vexillis, cum alâ Petrinâ [3], ipſe paullulum cunctatus, num Ræticis jugis [4] in Noricum flecteret, adversùs Petronium ibi procuratorem [5], qui concitis auxiliis, & interruptis fluminum pontibus, ſidus Othoni putabatur. Sed metu, ne amitteret præmiſſas jam cohortes alaſque, ſimul reputans plus gloriæ retentâ Italiâ, & ubicumque certatum foret, Noricos in cetera victoriæ præmia ceſſuros, Penino [6] ſubſignanum militem [7] itinere, & grave legionum agmen [8], hibernis adhuc Alpibus traduxit.

LXXI. Otho interim, contra ſpem omnium, non deliciis, neque deſidiâ torpeſcere: dilatæ voluptates, diſſimulata

[1] Præmitterentur ] Cùm bellum in Æthiopes pararet, ut dictum eſt in Supplemento Annal. XVI, 47.

[2] Eporediam, ac Vercellas ] Mediolanum, *Milan*; Novariam, *Novare, dans le Milanez*: Eporediam, *Ivrée*; Vercellas, *Verceil, dans le Piémont.* De Eporediâ, Plinius III, 17. *Oppidum Eporedia, Sibyllinis a populo Romano conditum juſſis. Eporedias Galli bonos equorum domitores vocant.* Vide & Velleium Paterculum I, 15. In veteri Inſcriptione, *Théâtre de Savoie*, Tom. I. pag. 105, memoratur P. METELLVS DECVRIO EPOREDIAE IIVIR, id eſt *duumvir.*

[3] Ala Petrina ] De hac alâ dictum ſuprà in Notis & Emendationibus ad Annal. XI, 4.

[4] Ræticis jugis ] Rætica juga, nunc *les montagnes des Griſons*: pars eſt Alpium altiſſima.

[5] Ibi procuratorem ] Petronius erat Norici procurator. Vide Notas & Emendationes ad cap. 70.

[6] Penino ] Penino itinere, ſeu Peninis jugis, de quibus ſuprà cap. 61.

[7] Subsignanum militem ] Cùm Cæcinæ agmen conſtaret legionariis & auxiliaribus, ut dictum eſt ſuprà cap. 61, videretur hîc ſubſignano milite auxilia, quæ ſua ſigna ſequebantur, ſignificari: at infrà Hiſt. IV, 33, ſubſignanus miles ab auxiliis diſtinguitur & de legionariis quoque dicitur. Quæ tamen inter ſe pugnare ne exiſtimes: at probant ſubſignanum militem dici eos qui ſub ſignis, vexillis, non verò ſub aquilis, erant; ſeu auxiliares, ſeu vexillarii, ſeu lecti e legionibus forent. Id conſtat ex locis inter ſe collatis Hiſt. I, 70. & Hiſt. III, 24 & 33.

[8] Legionum agmen ] Ergo præter unaetviceſimam legionem, de quâ ſuprà cap. 61, aderant adhuc multæ cohortes legionum IV & XXII, de quibus ſupra cap. 55.

A. U. C. 822. J. C. 69. luxuria, & cuncta ad decorem imperii compoſita. Eóque plus formidinis adferebant falſæ virtutes, & vitia reditura. Marium Celſum [1], conſulem deſignatum, per ſpeciem vinculorum, ſævitiæ militum ſubtractum [2], acciri in Capitolium jubet: clementiæ titulus, e viro claro, & partibus inviſo, petebatur. Celſus, conſtanter ſervatæ erga Galbam ſidei crimen confeſſus, exemplum ultro imputavit [3]. Nec Otho, quaſi ignoſceret, ſed, ne hoſtis metum reconciliationis [4] adhiberet, ſtatim inter intimos amicos habuit, & mox bello inter duces delegit: manſitque Celſo, velut fataliter [5], etiam pro Othone fides integra, & infelix. Læta primoribus civitatis, celebrata in vulgus Celſi ſalus, ne militibus quidem ingrata fuit, eamdem virtutem admirantibus [6], cui iraſcebantur.

LXXII. Par inde exſultatio, diſparibus cauſis conſecuta, impetrato Tigellini exitio. Sophonius Tigellinus [7], obſcuris parentibus, fœdá puéritiâ, impudicâ ſenectâ, præfecturam vigilum & prætorii, & alia præmia virtutum, quia velociùs erat vitiis adeptus, crudelitatem mox, deinde avaritiam, & virilia ſcelera exercuit: corrupto ad omne facinus Nerone, quædam ignaro auſus, ac poſtremò ejuſdem deſertor ac proditor. Unde non alium pertinaciùs ad pœnam flagitavere [8], diverſo adfectu, quibus odium Neronis inerat, & quibus deſiderium. Apud Galbam T. Vinii potentiâ defenſus, prætexentis « ſer-

[1] Marium Celsum ] Jam memoratum ſuprà cap. 14, 31 & 39.

[2] Subtractum ] Vide ſupra cap. 45.

[3] Ultro imputavit ] Exemplo fidei erga Galbam, conſtanter ſervatæ, ſe æquè fidelem fore Othoni demonſtravit. Ita exemplum ultro Othoni imputatum. Jam dictum ſuprà cap. 38, *hoc ſolum erit certamen, quis mihi plurimùm imputet.*

[4] Metum reconciliationis ] Ne Vitellius, qui hoſtis erat, adhiberet metum reconciliationis, ut Othonem formidabiliorem inviſioremque faceret. Nec aliter Illuſtr. Huetius, *ne, accepto inclementiùs Celſo, metum Vitellio injiceret, quominus ſibi reconciliari vellet.*

[5] Velut fataliter ] Ut olim pro Galbâ, ſic etiam pro Othone manſit Celſo fides integra: ſed, velut fato, utrique Principi infelix. Celſus enim ſub ipſo Vitellio conſulatum retinuit, ut dicetur infrà Hiſt. II, 60.

[6] Admirantibus ] Sic quoque de Camillo Livius V, 26. *Magna militum ira: ſed ſeveritate imperii victi, eamdem virtutem & oderant, & mirabantur.*

[7] Tigellinus ] Sæpe memoratus in Annalium libris XIV, XV & XVI. Vide quoque quæ Tigellinum ſpectant in Notis & Emendationibus ad Annal. XIV, 51.

[8] Flagitavere ] Sed fruſtra; cum defendente Titi Vinii potentiâ, ut dictum eſt in Supplemento Annal. XVI, 57.

A. U. C. 822. J. C. 69.

» vatam ab eo filiam »: & haud dubiè ſervaverat, non clementiâ (quippe tot interfectis) ſed effugio in futurum: quia peſſimus quiſque, diffidentiâ præſentium mutationem pavens, adversùs publicum odium privatam gratiam præparat: unde nulla innocentiæ cura, ſed vices impunitatis. Eo inſenſior populus, additâ ad vetus Tigellini odium recenti T. Vinii invidiâ, concurrere e totâ Urbe in palatium ac fora, &, ubi plurima vulgi licentia, in circum ac theatra effuſi, ſeditioſis vocibus obſtrepere: donec Tigellinus, accepto apud Sinueſſanas aquas [1] ſupremæ neceſſitatis nuntio, inter ſtupra concubinarum, & oſcula, & deformes moras, ſectis novaculâ faucibus, infamem vitam fœdavit etiam exitu ſero & inhoneſto.

LXXIII. Per idem tempus expoſtulata ad ſupplicium Calvia Criſpinilla [2], variis fruſtrationibus, & adverſâ diſſimulantis Principis famâ, periculo exempta eſt: magiſtra libidinum Neronis, tranſgreſſa in Africam ad inſtigandum in arma Clodium Macrum [3], famem populo Romano haud obſcurè molita, totius poſtea civitatis gratiam obtinuit, conſulari matrimonio ſubnixa, & apud Galbam, Othonem, Vitellium inlæſa: mox potens pecuniâ, & orbitate, quæ bonis maliſque temporibus juxtà valent.

LXXIV. Crebræ interim, & muliebribus blandimentis infectæ, ab Othone ad Vitellium epiſtolæ, offerebant « pecu» niam & gratiam, & quemcumque quietis locum prodigæ vi» tæ legiſſet ». Paria Vitellius oſtentabat, primò molliùs, ſtultâ utrimque & indecorâ ſimulatione: mox, quaſi rixantes, ſtupra & flagitia invicem objectavere; neuter falſo. Otho, revocatis, quos Galba miſerat, legatis [4], rurſus alios ad utrumque Germanicum exercitum, & ad legionem Italicam, eaſque, quæ Lugduni agebant [5], copias, ſpecie ſenatûs miſit. Legati apud Vitellium remanſere, promptiùs, quàm ut retenti viderentur.

[1] Sinuessanas aquas ] De quibus dictum ſuprà Annal. XII, 66. not. 2.

[2] Calvia Crispinilla ] Hanc libidinum Neronis magiſtram miniſtramque vidimus ſuprà in Supplemento Annal. XVI, 52.

[3] Clodium Macrum ] Vide ſuprà Hiſt. I, 7.

[4] Legatis ] De his dictum ſuprà Hiſt. I, 74.

[5] Lugduni agebant ] Supra Hiſt. I, 59.

A. U. C. 822. J. C. 69.

Prætoriani, quos, per ſimulationem officii, legatis Otho adjunxerat, remiſſi, antequam legionibus miſcerentur [1]. Addidit epiſtolas Fabius Valens, nomine Germanici exercitûs, ad prætorias & Urbanas cohortes, de viribus partium magnificas, & concordiam offerentes. Increpabat ultro, « quod tanto antè [2] » traditum Vitellio imperium ad Othonem vertiſſent ». Ita promiſſis ſimul, ac minis tentabantur; « ut bello impares, in pa» ce nihil amiſſuri »: neque ideo prætorianorum fides mutata.

LXXV. Sed inſidiatores ab Othone in Germaniam, a Vitellio in Urbem miſſi: utriſque fruſtra fuit; Vitellianis impunè, per tantam hominum multitudinem, mutuâ ignorantiâ fallentibus: Othoniani, novitate vultûs, omnibus invicem ignaris, prodebantur. Vitellius literas ad Titianum, fratrem Othonis, compoſuit, « exitium ipſi filioque ejus » minitans, « ni inco» lumes ſibi mater ac liberi [3] ſervarentur ». Et ſtetit domus utraque: ſub Othone, incertum an metu; Vitellius victor, clementiæ gloriam tulit.

LXXVI. Primus Othoni fiduciam addidit ex Illyrico nuntius, juraſſe in eum Dalmatiæ, ac Pannoniæ, & Mœſiæ legiones. Idem ex Hiſpaniâ allatum: laudatuſque per edictum Cluvius Rufus [4]: & ſtatim cognitum eſt, converſam ad Vitellium Hiſpaniam. Ne Aquitania quidem, quamquam a Julio Cordo in verba Othonis obſtricta, diu manſit. Nuſquam fides, aut amor: metu ac neceſſitate huc illuc mutabantur. Eadem formido provinciam Narbonenſem ad Vitellium vertit, facili tranſitu ad proximos & validiores. Longinquæ provinciæ, & quidquid armorum mari dirimitur [5], penes Othonem mane-

[1] Legionibus miſcerentur ] Ne legiones illas a Vitellii fide averterent, ad Othonem converterent.

[2] Tanto ante ] Traditum Vitellio imperium die primâ Januarii, Othoni die quintadecimâ.

[3] Ac liberi ] Hos Vitellii & Galeriæ Fundanæ liberos videre eſt in aureis & argenteis Vitellii nummis A. VITELLIVS GERM. IMP. AVG. TR. P. Capite laureato. In aversâ parte, LIBERI IMP. GERM. Id eſt *liberi Imperatoris Germanici.* Capita duo juvenilia adverſa. In quibuſdam nummis inter duo capita eſt ſtella. De his Vitellii liberis vide Suetonium in Vitell. VI. & Stemma Vitelliorum ſuprà cap. 9.

[4] Cluvius Rufus ] Qui Hiſpaniæ præerat, ut vidimus ſuprà Hiſtor. I, 8.

[5] Mari dirimitur ] Atque ibi plu-

bant, non partium ſtudio; ſed erat grande momentum in nomine Urbis [1], ac prætextu ſenatûs: & occupaverat animos prior auditus. Judaicum exercitum Veſpaſianus, Syriæ legiones [2] Mucianus ſacramento Othonis adegere. Simul Ægyptus [3], omneſque verſæ in Orientem provinciæ, nomine ejus tenebantur. Idem Africæ obſequium, initio a Carthagine orto. Neque exſpectatâ Vipſtani Aproniani, proconſulis, auctoritate, Creſcens, Neronis libertus (nam & hi malis temporibus partem ſe reipublicæ faciunt) epulum plebi, ob lætitiam recentis imperii, obtulerat: & populus pleraque ſine modo feſtinavit. Carthaginem ceteræ civitates ſecutæ. Sic diſtractis exercitibus ac provinciis, Vitellio quidem ad capeſſendam principatûs fortunam bello opus erat.

A. U. C. 822. J. C. 69.

LXXVII. Otho, ut in multâ pace, munia imperii obibat: quædam ex dignitate reipublicæ, pleraque contra decus, ex præſenti uſu properando. Conſul [4], cum Titiano fratre, in Calendas Martias ipſe; proximos menſes Verginio deſtinat,

rimum erat armorum, magnus legionum numerus, immenſa auxilia, & opulentiſſimæ provinciæ.

[1] In nomine Urbis] Grande quidem momentum in nomine Urbis, quam Otho occupabat. Roma enim imperii caput, & opum magnitudine validiſſima. Multum quoque auctoritatis in prætextu ſenatûs, qui Othonis partes fovebat. Nihil hîc dixerim de ſacro & occulto Urbis nomine, de quo multa Plinius III, 5. & XXVIII, 2. Roma vi ſuâ & opibus magis, quàm arcanâ hac religione præpotuit.

[2] Syriæ legiones] Atque ut monetâ conſtaret fides, & nummi Othonis nomine inſignes ſtatim divulgarentur, impreſſum Tiberii nummis Hierapoli in Phrygiâ, Tripoli in Syriâ monogramma *Imperatoris Othonis*, IMP. OTH. Eodem impetu paulo antè Tripolitani in Syriâ impreſſerant Neronis nummis monogramma *Imperatoris Galbæ*, IMP. GA. Vide Cl. Pellerin, *Mélange de diverſes Médailles*, Tom. II, pag. 37. Tunc quoque cuſus a Muciano æreus Othonis nummus, e cimelio Comitis de Pembrock, & in Muſeo Theupolitano, Tom. II, p. 849. IMP. M. OTHO CAE. AVG. Caput Othonis. E poſticâ parte, in coronâ: ΕΠΙ ΜΟΥΚΙΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ET. ZIP. Id eſt *ſub Muciano*, *Antiochenſium* nummus *anno* CXVII. Similem nummum Galbæ vidimus ſuprà cap. 10. not. 3.

[3] Simul Ægyptus] Simulque cuſi Alexandriæ in Ægypto nummi ΑΥΤΟΚ. ΜΑΡΚ. ΟΘΩΝΟΣ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. Caput Othonis laureatum: ante caput, L A. id eſt *Imperatoris Marci Othonis Cæſaris Auguſti anno primo.* Ex alterâ parte ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ, caput Ægypti cum proboſcide. Aliorum nummorum pars poſtica exhibet feminam ſtantem, dextrâ Victoriolam, ſiniſtrâ cornucopiam tenentem, cum epigraphe ΚΡΑΤΗΣΙΣ, id eſt, *imperium.* Vide eumdem Cl. Pellerin, *Mélange de diverſes Médailles*, Tom. I. pag. 228. Tab. XIII. num. 1 & 2.

[4] Consul] Otho ejuſque frater Titianus tunc temporis conſules erant ſuffecti. De his aliiſque hujus anni conſulibus ſuffectis, quorum ingens fuit numerus, vide Notas & Emendationes ad Hiſt. I, 77.

A. U. C. 822. J. C. 69.

ut aliquod exercitui Germanico delinimentum [1]. Jungitur Verginio Pompeius Vopiſcus, prætextu veteris amicitiæ; plerique Viennenſium honori [2] datum interpretabantur. Ceteri conſulatus ex deſtinatione Neronis, aut Galbæ, manſere. Cælio ac Flavio Sabinis, in Julias; Arrio Antonino [3] & Mario Celſo, in Septembres: quorum honori ne Vitellius quidem victor interceſſit. Sed Otho, pontificatus auguratuſque [4] honoratis jam ſenibus, cumulum dignitatis, addidit; & recèns ab exſilio reverſos nobiles adoleſcentulos, avitis ac paternis ſacerdotiis in ſolatium recoluit. Redditus Cadio Rufo [5], Pedio Blæſo, Sevino Pomptino ſenatorius locus, qui repetundarum criminibus, ſub Claudio ac Nerone, ceciderant. Placuit ignoſcentibus [6], verſo nomine, quod avaritia fuerat, videri majeſtatem: cujus tum odio, etiam bonæ leges peribant.

LXXVIII. Eadem largitione civitatum quoque ac provinciarum animos adgreſſus, Hiſpalienſibus & Emeritenſibus [7] familiarum adjectiones [8], Lingonibus univerſis [9] civitatem Romanam, provinciæ Bæticæ Maurorum civitates [10] dono dedit:

[1] Delinimentum ] Exercitûs Germanici in Verginium benevolentiam vidimus ſuprà in Supplemento Annal. XVI, 79.

[2] Viennensium honori ] Viennenſes, Vindicis partes ſecuti, ut dictum eſt in Supplemento Annal. XVI, 78, tunc plurimùm valebant in Galliâ; afflicti contrà Lugdunenſes. Vide ſuprà cap. 65.

[3] Arrio Antonino ] Antonini Pii, poſtea Imperatoris optimi, *avus maternus Arrius Antoninus, bis conſul, homo ſanctus*, Jul. Capitolin. in Antonin. I. Egregii & literati viri laudes vide in epiſtolis, quas ad eum ſcripſit Plinius IV, 3 & 18. V, 10.

[4] Pontificatus auguratusque ] Inde in veteribus Inſcriptionibus inter honoratorum virorum titulos paſſim occurrunt PONTIFEX. AVGVR. SACERDOS.

[5] Cadio Rufo ] De Cadio Rufo dictum ſuprà Annal. XII, 22. De Pedio Blæſo, Annal. XIV, 18.

[6] Placuit ignoscentibus ] Placuit Othoni, & ſenatoribus ignoſcentibus, crimen reorum, verſo nomine, mutari; &, quod avaritia fuerat, ſi quidem repetundarum criminibus ceciderant, majeſtatem appellari. Quod quidem majeſtatis crimen tanto odio erat propter tot innocentes olim damnatos, ut etiam bonæ leges perirent. Quiſquis enim majeſtatis accuſabatur, inſons videbatur, licèt multorum aliorum criminum foret reus.

[7] Hispaliensibus et Emeritensibus] Hiſpalis, nunc *Séville dans l'Andalouſie.* Emerita, nunc *Mérida dans l'Eſtramadoure.*

[8] Familiarum adjectiones ] Sic apud Livium XLIII, 17. *Poſtulantibus Aquileienſium legatis, ut numerum coloniarum augeret* ( meliùs, *numerus .... augeretur*), *mille & quingentæ familiæ ex ſenatuſconſulto ſcriptæ.*

[9] Lingonibus universis ] Ita libri omnes. Suſpecta tamen hìc Lingonum mentio. Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. I, 78.

[10] Maurorum Civitates ] Voluit

nova jura Cappadociæ, nova Africæ, oſtentui magis, quàm manſura. Inter quæ, neceſſitate præſentium rerum & inſtantibus curis excuſata, ne tum quidem immemor amorum [1], ſtatuas Poppææ per ſenatuſconſultum repoſuit. Creditus eſt etiam de celebrandâ Neronis memoriâ agitaviſſe, ſpe vulgum alliciendi [2]: & fuere, qui imagines Neronis proponerent [3]: atque etiam Othoni, quibuſdam diebus populus & miles, tamquam nobilitatem ac decus adſtruerent, NERONI OTHONI adclamavit. Ipſe in ſuſpenſo tenuit [4], vetandi metu, vel agnoſcendi pudore. A. U. C. 822. J. C. 69.

LXXIX. Conversis ad civile bellum animis, externa ſine curâ habebantur. Eò audentiùs Rhoxolani [5], Sarmatica gens, priore hieme cæſis duabus cohortibus, magnâ ſpe ad Mœſiam [6] inruperant: novem millia equitum, ex ferociâ & ſucceſſu, prædæ magis, quàm pugnæ intenta. Igitur vagos & incurioſos, tertia legio [7], adjunctis auxiliis, repentè invaſit: apud Romanos omnia prœlio apta: Sarmatæ diſperſi cupidine prædæ, aut graves onere ſarcinarum, & lubrico itinerum ademptâ equorum pernicitate, velut vincti cædebantur. Nam-

ut Maurorum civitates a Bæticâ jura peterent, ejuſque conventus juridicos adirent. Huc fortè ſpectat Rufus Feſtus, in Breviario, cap. 5. *Trans fretum etiam in ſolo terræ Africæ provincia Hiſpaniarum eſt, quæ Tingitania Mauritania cognominatur.* Præcipuas Maurorum civitates Bæticæ datas fuiſſe Tingin & Lixum, nunc *Tanja & Alkaſr* meritò exiſtimat eruditus Aldrete, *Varias Antiguedades de Eſpaña, Africa, y otras provincias.* Libr. IV. cap. 21.

[1] Immemor amorum ] Suprà Annal. XIII, 45 & 46. Prorutas autem Poppææ effigies vidimus Annal. XIV, 61. Romæ, in hortis Farneſianis, monte Palatino, exſtat egregia Poppææ ſedentis ſtatua.

[2] Vulgum alliciendi ] Manſit enim apud vulgum amor Neronis: nec *deſuerunt qui per longum tempus vernis æſtiviſque floribus tumulum ejus ornarent: ac modò imagines prætextatas in roſtris proferrent, modò edicta, quaſi viventis, & brevi magno inimicorum malo reverſuri*, Suet. in Ner. LVII.

[3] Proponerent ] Publicè exponerent. Sic Plinius XXXV, 4, de M. Valerio Max. Meſſalâ, *qui princeps tabulam picturæ prœlii, quo Carthaginienſes & Hieronem in Siciliâ devicerat, propoſuit in latere curiæ Hoſtiliæ, anno ab Urbe conditâ* CCCCXC.

[4] In suspenso tenuit ] Teſte etiam Suetonio, in Othone, VII. *Super ceteras gratulantium adulantiumque blanditias, ab infimâ plebe appellatus Nero, nullum indicium recuſantis dedit: immo, ut quidam tradiderunt, etiam diplomatibus primiſque epiſtolis ſuis ad quoſdam provinciarum præſides, Neronis cognomen adjecit.*

[5] Rhoxolani ] Habitabant inter Boryſthenem, *le Dnieper*, & Tanaim, *le Don*: nunc *partie de la Ruſſie & de la Tartarie.*

[6] Ad Mœsiam ] Nunc *la Bulgarie & la Servie.* A Tauruno, hodie [illegible], ad Pontum uſque, *la Mer noire*, decurrebat Mœſia, teſte Plinio, III, 26.

[7] Tertia legio ] Quæ e Syria in Mœſiam *tranſierat*: infra Hiſt. II, 74.

A. U. C. 822. J. C. 69.

que mirum dictu, ut ſit omnis Sarmatarum virtus, velut extra ipſos [1]: nihil ad pedeſtrem pugnam tam ignavum; ubi per turmas advenere, vix ulla acies obſtiterit [2]. Sed tum humido die, & ſoluto gelu, neque conti [3], neque gladii, quos prælongos utrâque manu regunt, uſui, lapſantibus equis, & cataphractarum [4] pondere. Id principibus & nobiliſſimo cuique tegmen, ferreis laminis, aut præduro corio conſertum; ut adverſùs ictus impenetrabile, ita impetu hoſtium provolutis inhabile ad reſurgendum: ſimul altitudine, & mollitiâ nivis, hauriebantur. Romanus miles facili loricâ, & miſſili pilo, aut lanceis adſultans, ubi res poſceret, levi gladio inermem Sarmatam, (neque enim defendi ſcuto mos eſt) cominus fodiebat: donec pauci, qui prœlio ſuperfuerant, paludibus abderentur. Ibi ſævitiâ hiemis, & vi vulnerum abſumpti. Poſtquam id Romæ compertum, M. Aponius Mœſiam obtinens, triumphali ſtatuâ [5], Fulvius Aurelius, & Julianus Tertius, ac Numiſius Lupus, legati legionum [6], conſularibus ornamentis [7] donantur: læto Othone, & gloriam in ſe trahente [8], « tamquam & »ipſe felix bello, & ſuis ducibus ſuiſque exercitibus rempu»blicam auxiſſet ».

LXXX. Parvo interim initio, unde nihil timebatur, orta ſeditio, propè Urbi excidio fuit. Septimamdecimam cohortem [9],

[1] Extra ipsos ] Egregiè dictum. Eorum enim virtus in equis & cataphractis.

[2] Obstiterit ] Sic hodieque, & eodem impetu, pugnant Poloni, gens Sarmatica, ut rectè obſervat Ill. Huetius.

[3] Conti ] Contus, prælonga haſta ferro inſtructa, ut dictum eſt ſuprà Annal. VI, 35. not. 2.

[4] Cataphractarum ] Sic ferme, & graviores adhuc, crupellarios vidimus ſuprà Annal. III, 43.

[5] Triumphali statua ] De triumphalibus in foro imaginibus dictum ſuprà Annal. XV, 72.

[6] Legati legionum ] Vulgò duæ tantùm legiones in Mœſiâ, ut videre eſt ſuprà Annal. IV, 5. At tunc aderat quoque tertia legio, de quâ mox dictum eſt. Inde tres legionum legati: nempe Fulvius Aurelius, legatus tertiæ legionis; Julianus Titius ſeptimæ Claudianæ, & Numiſius Lupus octavæ.

[7] Consularibus ornamentis ] Vide ſuprà Annal. XII, 21.

[8] In se trahente ] Tum ſanè cuſi aurei argenteique nummi, in quorum poſticâ parte ſtat Victoria dextrâ coronam, ſiniſtrâ oleam, in aliis coronam, tenens, cum epigraphe VICTORIA OTHONIS.

[9] Septimamdecimam cohortem ] Claſſiariorum, ut patet ex Suetonio in Oth. VIII. *Ducibus & copiis, quas Vitellius præmiſerat, appropinquantibus, animum fidemque prætorianorum erga ſe, pene internecione ampliſſimi ordinis, expertus eſt:* Otho: *& placuerat per claſſiarios arma transferri, remittique navibus. Ea cùm in*

e

e coloniâ Oſtienſi [1], in Urbem acciri Otho juſſerat: armandæ ejus cura Vario Criſpino, tribuno e prætorianis, data. Is, quo magis vacuus, quietis caſtris [2], juſſa exſequeretur, vehicula cohortis, incipiente nocte, onerari, aperto armamentario, jubet. Tempus, in ſuſpicionem; cauſa, in crimen; affectatio quietis, in tumultum evaluit: & viſa inter temulentos arma, cupidinem ſui movêre. Fremit miles, & tribunos centurioneſque « proditionis » arguit, « tamquam familiæ ſenatorum [3] ad perniciem Othonis armarentur »: pars ignari, & vino graves: peſſimus quiſque in occaſionem prædarum: vulgus, ut mos eſt, cujuſcumque motûs novi cupidum: & obſequia meliorum nox abſtulerat. Reſiſtentem ſeditioni tribunum, & ſeveriſſimos centurionum obtruncant: rapta arma, nudati gladii, inſidentes equis Urbem ac palatium petunt.

A. U. C. 822. J. C. 69.

LXXXI. Erat Othoni celebre convivium, primoribus feminis viriſque; qui trepidi, fortuitus ne militum furor, an dolus Imperatoris, manere ac deprehendi, an fugere & diſpergi, periculoſius foret; modò conſtantiam ſimulare, modò formidine detegi, ſimul Othonis vultum intueri: utque evenit, inclinatis ad ſuſpicionem mentibus, cùm timeret Otho, timebatur. Sed haud ſecus diſcrimine ſenatûs, quàm ſuo territus, & præfectos prætorii, ad mitigandas militum iras, ſtatim miſerat, & « abire properè omnes e convivio » juſſit. Tum vero paſſim magiſtratus, projectis inſignibus, vitatâ comitum & ſervorum frequentiâ, ſenes feminæque, per tenebras, diverſa Urbis itinera, rari domos, plurimi amicorum tecta, &, ut cuique humillimus cliens, incertas latebras petivere.

*caſtris ſub noctem promerentur, inſidias quidam ſuſpicati, tumultum excitaverunt: ac repentè omnes, nullo certo duce, in palatium cucurrerunt, cædem ſenatûs flagitantes: repulſiſque tribunorum, qui inhibere tentabant, nonnullis & occiſis, ſicut erant cruenti, ubinam Imperator eſſet requirentes, perruperunt in triclinium uſque, nec niſi viſo deſtiterunt.* Illa autem ſeptimadecima cohors eadem videtur, quam *Oſtiæ ad arcendos incendiorum caſus* Claudius collocaverat. Sueton. in Claud. XXV.

[1] Colonia Ostiensi ] Nunc *Oſtia.* De hoc oppido ſæpe ſuprà.

[2] Quietis castris ] Bene Lipſius, quia vigiliæ jam tunc conſtitutæ, & omnes in contuberniis, exceptis vigilibus.

[3] Familiæ senatorum ] Servi Senatorum.

A. U. C. 822. J. C. 69.

LXXXII. Militum impetus ne foribus quidem palatii coercitus, quominus convivium inrumperent, « oſtendi ſibi » Othonem » expoſtulantes: vulnerato Julio Martiale, tribuno [1], & Vitellio Saturnino, præfecto legionis [2], dum ruentibus obſiſtunt. Undique arma & minæ, modo in centuriones tribunoſque, modo in ſenatum univerſum: lymphatis cæco pavore animis, & quia neminem unum deſtinare iræ poterant, licentiam in omnes poſcentibus: donec Otho, contra decus imperii, thoro inſiſtens, precibus & lacrimis ægre cohibuit: redieruntque in caſtra inviti, neque innocentes. Poſterâ die, velut captâ Urbe, clauſæ domus, rarus per vias populus; mæſta plebs; dejecti in terram militum vultus, ac plus triſtitiæ, quàm pœnitentiæ. Manipulatim [3] adlocuti ſunt Licinius Proculus, & Plotius Firmus, præfecti [4]: ex ſuo quiſque ingenio, mitiùs aut horridiùs. Finis ſermonis in eo, ut quina millia nummûm [5] ſingulis militibus numerarentur. Tum Otho ingredi caſtra auſus: atque illum tribuni centurioneſque circumſiſtunt, abjectis militiæ inſignibus [6], « otium & ſalutem [7] » flagitantes. Senſit invidiam miles, & compoſitus in obſequium « auctores ſedi» tionis ad ſupplicium » ultro poſtulabat.

LXXXIII. Otho, quamquam turbidis rebus, & diverſis militum animis, cùm optimus quiſque « remedium præſen-

[1] Tribuno ] Prætorianorum, ut videre eſt ſuprà Hiſt. I, 28.

[2] Præfecto legionis ] Præfectum legionis, qui judex erat, & abſentis legati legionis vicarius, memorat Vegetius II, 9. Certè præfectus legionis legato erat dignitate inferior. Inde in veteri Inſcriptione apud Gruterum, pag. cccxlvii, num. 1. P. AELIO MARCELLO.... PRIMIPILO LEG. VII. GEM. PIAE. FEL. ADLECTO. AD. MVNERA. PRAEFF. LEGG. VII. CLAV. ET. PRIMAE. ADIVTRICIS. Id eſt *præfectorum legionum ſeptimæ Claudianæ & primæ adjutricis.* Aliàs ſæpe memorantur præfecti legionum, ac ſemper infra legati dignitatem videntur.

[3] Manipulatim ] Singulos prætorianorum manipulos.

[4] Præfecti ] Præfecti prætorii, ut vidimus ſuprà Hiſt. I, 46.

[5] Quina millia nummum ] Gallicæ monetæ libræ 972. Impenſum ergo in hac largitione quadringenties quinquagies nummûm, Gallicæ monetæ libræ 8,754,856. Tanti conſtabat fluxa auctoritas!

[6] Militiæ insignibus ] Parazonium, ſeu gladius, erat inſigne tribunorum. Inde Martialis, XIV, 32. in epigrammate, quod inſcripſit *Parazonium.*

*Militiæ decus hoc & grati nomen honoris:*
*Arma tribunicium cingere digna latus.*

Centurionum autem inſigne erat vitis, ut dictum ſuprà Annal. I, 23.

[7] Et salutem ] Nam, ut vidimus ſuprà cap. 80, tribunus & centuriones a militibus obtruncati.

A. U. C. 822. J. C. 69.

»tis licentiæ poſceret; vulgus, & plures, ſeditionibus & ambitioſo imperio [1] læti, per turbas & raptus facilius ad civile bellum impellerentur: ſimul reputans non poſſe principatum, ſcelere quæſitum, ſubitá modeſtiâ, & priſcâ gravitate retineri: ſed diſcrimine Urbis & periculo ſenatus anxius, poſtremo ita diſſeruit. « Neque ut affectus veſtros in amorem mei accenderem, commilitones, neque ut animum ad virtutem cohortarer: utraque enim egregiè ſuperſunt: ſed veni poſtulaturus a »vobis temperamentum veſtræ fortitudinis, & erga me modum »caritatis. Tumultùs proximi initium, non cupiditate, vel »odio, quæ multos exercitus in diſcordiam egère, ac ne detrectatione quidem, aut formidine periculorum: nimia pietas veſtra, acrius quàm conſideratius, excitavit. Nam ſæpe honeſtas rerum cauſas, ni judicium adhibeas, pernicioſi exitus conſequuntur. Imus ad bellum: num omnes nuntios palam audiri, omnia conſilia cunctis præſentibus tractari, ratio rerum, »aut occaſionum velocitas patitur? Tam neſcire quædam milites, quàm ſcire oportet. Ita ſe ducum auctoritas, ſic rigor »diſciplinæ habet, ut multa etiam centuriones tribunoſque »tantùm juberi expediat. Si, ubi jubeantur, quærere ſingulis »liceat; pereunte obſequio, etiam imperium intercidit. An & »illic nocte intempeſtà rapientur arma? Unus alterve perditus »ac temulentus (neque enim plures conſternatione proximà inſaniſſe crediderim) centurionis ac tribuni ſanguine manus »imbuet? Imperatoris ſui tentorium inrumpet?

LXXXIV. » Vos quidem iſtud pro me [2]: ſed in diſcurſu »ac tenebris, & rerum omnium confuſione, pateſieri occaſio »etiam adversùs me poteſt. Si Vitellio & ſatellitibus ejus eligendi facultas detur, quem nobis animum, quas mentes imprecentur? quid aliud, quàm ſeditionem & diſcordiam, optabunt? ne miles centurioni, ne centurio tribuno obſequatur: »hinc confuſi pedites equiteſque, in exitium ruamus. Parendo

[2] Ambitioso imperio ] Imperio per ambitum quæſito & retento.

[3] Istud pro me ] Vos quidem iſtud pro me egiſtis: ſed in diſcurſu ac tenebris, & rerum omnium confuſione, hoſtis aliquis, aut malevolus, occaſione uti poteſt, ut mihi exitium afferat.

A. U. C. 822. J. C. 69.

» potiùs [1], commilitones, quàm imperia ducum ſciſcitando; » res militares continentur: & fortiſſimus in ipſo diſcrimine » exercitus eſt, qui ante diſcrimen quietiſſimus. Vobis arma & » animus ſit: mihi conſilium, & virtutis veſtræ regimen relin- » quite. Paucorum culpa fuit, duorum pœna erit. Ceteri abo- » lete memoriam fœdiſſimæ noctis: nec illas adversùs ſenatum » voces ullus umquam exercitus audiat. Caput imperii [2], & de- » cora omnium provinciarum, ad pœnam vocare, non hercle » illi, quos cùm maximè Vitellius in nos ciet, Germani au- » deant. Ulline Italiæ alumni, & Romana verè juventus, ad » ſanguinem & cædem depoſcerent ordinem, cujus ſplendore » & gloriâ, ſordes & obſcuritatem Vitellianarum partium perſ- » tringimus? Nationes aliquas occupavit Vitellius, imaginem » quamdam exercitûs habet: ſenatus nobiſcum eſt. Sic fit, ut » hinc reſpublica, inde hoſtes reipublicæ conſtiterint. Quid? » vos pulcherrimam hanc Urbem, domibus & tectis, & con- » geſtu lapidum, ſtare creditis? Muta iſta & inanima interci- » dere, ac reparari promiſcua ſunt: æternitas rerum, & pax » gentium, & mea cum veſtrâ ſalus, incolumitate ſenatùs fir- » matur. Hunc auſpicatò a parente & conditore Urbis noſtræ » inſtitutum, & a regibus uſque ad Principes continuum, & » immortalem, ſicut a majoribus accepimus, ſic poſteris tra- » damus. Nam ut ex vobis ſenatores, ita ex ſenatoribus Prin- » cipes naſcuntur ».

LXXXV. Ea oratio ad perſtringendos mulcendoſque militum animos, & ſeveritatis modus (neque enim in plures, quàm in duos animadverti juſſerat) gratè accepta, compoſitique ad præſens, qui coerceri non poterant. Non tamen quies

[1] Parendo potius] Sic quoque Paulus Æmilius in oratione ad milites apud Livium, XLIV, 34. *Unum imperatorem in exercitu providere & conſulere quid agendum ſit debere; nunc per ſe, nunc cum iis quos advocaverit in conſilium: qui non ſint advocati, eos nec palam, nec ſecretò jactare conſilia ſua . . . In quo exercitu, milites, conſul & imperator, rumoribus vulgi circumaguntur, ibi nihil ſalutare eſſe.*

[2] Caput imperii] Non hercle illi Germani, quos cùm maximè Vitellius in nos ciet, audent ſenatores, caput imperii, & omnium provinciarum decora, ad pœnam vocare: voſne, prætoriani, Italiæ alumni, & Romana verè juventus, ad ſanguinem & cædem depoſceretis ordinem, cujus ſplendore & gloriâ, ſordes & obſcuritatem Vitellianarum partium perſtringimus?

Urbis redierat: ſtrepitus telorum, & facies belli erat: militibus, ut nihil in commune turbantibus, ita ſparſis per domos, occulto habitu [1], & malignâ curâ in omnes, quos nobilitas, aut opes, aut aliqua inſignis claritudo rumoribus objecerat. Vitellianos quoque milites veniſſe in Urbem, ad ſtudia partium noſcenda, plerique credebant. Unde plena omnia ſuſpicionum, & vix ſecreta domuum ſine formidine: ſed plurimum trepidationis in publico. Ut quemque nuntium fama attuliſſet, animum vultumque converſi, ne diffidere dubiis, ac parum gaudere proſperis viderentur. Coacto verò in curiam ſenatu, arduus rerum omnium modus, ne contumax ſilentium, ne ſuſpecta libertas. Et privato Othoni nuper, atque eadem dicenti, nota adulatio. Igitur verſare ſententias, & huc atque illuc torquere, « hoſtem & parricidam » Vitellium vocantes. Providentiſſimus quiſque, vulgaribus conviciis [2]; quidam, vera probra jacere, in clamore tamen, & ubi plurimæ voces, aut tumultu verborum ſibi ipſi obſtrepentes.

A. U. C. 822. J. C. 69.

LXXXVI. Prodigia inſuper terrebant, diverſis auctoribus vulgata. « In veſtibulo Capitolii [3], omiſſas habenas bigæ, cui Victoria inſtiterat: erupiſſe cellâ Junonis [4], majorem humanâ ſpeciem: ſtatuam divi Julii, in inſulâ Tiberini amnis [5], ſereno & immoto die, ab Occidente in Orientem converſam: prolocutum in Etruriâ bovem: inſolitos anima-

[1] Occulto habitu ] Plebeio, non militari, habitu. Hanc malignam exploratorum curam, quam Gallicè dicimus *l'eſpionnage*, deſcribit Arrianus, in Epictet. IV, 13. Οὕτω καὶ ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν ἐν Ῥώμῃ οἱ προπετεῖς λαμβάνονται. Παρακεκάθικέ σοι στρατιώτης ἐν σχήματι ἰδιωτικῷ, καὶ ἀρξάμενος κακῶς λέγειν τὸν Καίσαρα, εἶτα σὺ ὥσπερ ἐνέχυρον παρ' αὐτοῦ λαβὼν τῆς πίστεως τὸ αὐτὸν τῆς λοιδορίας κατῆρχθαι, λέγεις καὶ αὐτὸς ὅσα φρονεῖς· εἶτα δεθεὶς, ἀπάγῃ. *Sic etiam a militibus Romæ temerarii capiuntur. Aſſidet tibi miles habitu plebeio: atque ubi cœpit maledicere Cæſari; tu, veluti pignore fidei ejus accepto, quòd ipſe convicium auſpicatus eſt, dicis & ipſe quæ ſentis: deinde vinctus, in carcerem adduceris.*

[2] Vulgaribus conviciis ] Providentiſſimus quiſque vulgaribus tantùm utebatur conviciis, quæ facilè excuſantur: quidam inconſultiores, vera jaciebant probra, quæ ſemper plectuntur; periculi tamen formidine hæc jaciebant in clamore, & ubi plurimæ voces, aut tumultu verborum ſibi ipſi obſtrepentes.

[3] In vestibulo Capitolii ] Templi Jovis Capitolini. Ex hoc autem prodigio, incertas, aut nullas, imperii habenas interpretabantur.

[4] Cella Junonis ] Adhærebat templo Jovis Capitolini cella Junonis, eratque ſub eodem tecto.

[5] Insula Tiberini amnis ] Nunc *l'Iſola di S. Bartolomeo.*

A. U. C. 822. J. C. 69.

»lium partus »: & plura alia, rudibus ſæculis, etiam in pace obſervata, quæ nunc tantum in metu audiuntur. Sed præcipuus, & cum præſenti exitio, etiam futuri pavor, ſubitâ inundatione Tiberis: qui immenſo auctu, proruto ponte Sublicio [1], ac ſtrage obſtantis molis refuſus, non modo jacentia & plana Urbis loca, ſed ſecura hujuſmodi caſuum implevit [2]. Rapti e publico plerique, plures in tabernis & cubilibus intercepti. Fames in vulgus, inopiâ quæſtûs, & penuriâ alimentorum: corrupta ſtagnantibus aquis inſularum fundamenta [3], dein, remeante flumine [4], dilapſa. Utque primùm vacuus a periculo animus fuit, id ipſum, quod paranti expeditionem Othoni, campus Martius, & via Flaminia, iter belli eſſet obſtructum [5], a fortuitis vel naturalibus cauſis, in prodigium & omen imminentium cladium vertebatur.

LXXXVII. Otho, luſtratâ Urbe [6], & expenſis belli conſiliis, quando Peninæ Cottiæque Alpes [7], & ceteri Galliarum aditus Vitellianis exercitibus claudebantur, Narbonenſem Galliam adgredi ſtatuit, claſſe validâ [8] & partibus fidâ,

[1] Ponte Sublicio ] Sæpe poſtea reſtitutus periit. Nunc manent tantùm rudera prope portam Portuenſem, *Porta Porteſe*.

[2] Implevit ] Par inundatio contigit, priore ſæculo, die 4 Novembris, anno 1660. Tiberis tantùm excrevit, ut aquæ ejus ſuper muros Urbis influerent; maximas in eâ regiones occuparent; & in viâ latâ, *ſtrada del corſo*, hominis magnitudinem ferme æquarent; a ponte Milvio, *Ponte Molle*, uſque ad gradus eccleſiæ S. Petri lintribus non exiguis navigarentur: ac poſtmodùm, proruto ponte Sublicio, templum Pantheon uſque impleverint, multas domos everterint, arbores evulſerint, multos in tabernis & cubilibus interceperint. Vide Cornelium Meyer, *l'Arte di reſtituire a Roma la tralaſciata navigatione del ſuo Tevere*. Quomodo & quibus operibus Nero, & antea Julius Cæſar atque Auguſtus inundationibus Tiberis occurrere voluerint, commodiùs dicetur in Notis & Emendationibus ad Hiſt. I, 86.

[3] Insularum fundamenta ] Plebeiorum ædificiorum fundamenta. Vide quæ de his inſulis dicta ſunt ſuprà Annal. XV, 41 & 43.

[4] Remeante flumine ] Obſerva exitiabiles illas inundationes oriri ab aquis, tum defluentibus ex montibus tum a mari refluentibus: unde Horatius, I Od. II, 13.

*Vidimus flavum Tiberim, retortis*
*Litore Etruſco violenter undis,*
*Ire dejectum monumenta regis,*
*Templaque Veſtæ.*

[5] Esset obstructum ] Hic aggeſtis inundatione, ob viciniam alvei Tiberini, ruinis. Inde Suetonio in Oth. VIII. inter adverſa auſpicia obſervatur: Otho ad bellum proficiſcens, *primo egreſſu inundationibus Tiberis retardatus, ad vigeſimum etiam lapidem ruinâ ædificiorum præcluſam viam offendit*.

[6] Lustrata Urbe ] De his luſtrationibus dictum ſupra Annal. XIII, 24.

[7] Peninæ Cottiæque Alpes ] Vide ſupra Hiſt. I, 61.

[8] Classe valida ] Quæ erat in por-

quòd reliquos cæſorum ad pontem Milvium [1], & ſævitiâ Galbæ in cuſtodiam habitos, in numeros legionis [2] compoſuerat: facta & ceteris ſpes honoratioris [3] in poſterum militiæ. Addidit claſſi Urbanas cohortes, & pleroſque e prætorianis, vires & robur exercitûs, atque ipſis ducibus conſilium & cuſtodes [4]. Summa expeditionis Antonio Novello, Suedio Clementi, primipilaribus, Æmilio Pacenſi [5], cui ademptum a Galbâ tribunatum reddiderat, permiſſa. Curam navium Oſcus libertus retinebat, ad obſervandam honeſtiorum fidem [6] invitatus. Peditum equitumque copiis Suetonius Paullinus, Marius Celſus, Annius Gallus, rectores deſtinati. Sed plurima fides Licinio Proculo, prætorii præfecto: is Urbanæ militiæ impiger, bellorum inſolens, auctoritatem Paullini, vigorem Celſi, maturitatem Galli, ut cuique erat criminando, quod facillimum factu eſt, pravus & callidus, bonos & modeſtos anteibat.

A. U. C. 822. J. C. 69.

LXXXVIII. Sepositus per eos dies Cornelius Dolabella [7] in coloniam Aquinatem [8], neque arctâ cuſtodiâ, neque obſcurâ: nullum ob crimen, ſed vetuſto nomine, & propinquitate Galbæ monſtratus [9]. Multos e magiſtratibus, magnam conſularium partem, Otho, non participes aut miniſtros bello, ſed comitum ſpecie, ſecum expedire jubet. In quis & L. Vitellium, eodem quo ceteros cultu, nec ut Imperatoris fra-

tu Forojulienſi, nunc *Frejus*; ut vidimus ſupra Annal. IV, 5.

[1] Ad pontem Milvium ] De eo dictum accuratè ſup. An. XIII, 47. not. 3. Hanc verò claſſiariorum occidionem diximus ſuprà in Supplemento Annal. XVI, 95.

[2] In numeros legionis ] Ut jam legionarii, non claſſiarii, eſſent. De numeris ſæpe dictum ſuprà.

[3] Honoratioris ] Cùm honoratior eſſet legionum, quàm claſſium, militia, facta quoque iis ſpes militiæ legionariæ.

[4] Custodes ] Ne duces ab Othonis ſacramento deſciſcerent. Sic prætorianos legatis additos jam vidimus ſuprà Hiſt. I, 74.

[5] Æmilio Pacensi ] De quo ſupra Hiſt. I, 20.

[6] Honestiorum fidem ] Ad obſervandam fidem eorum, qui in claſſe erant honeſtiores.

[7] Cornelius Dolabella ] Idem videtur, quem Suetonius in Galbâ, XII, Cneium Dolabellam appellat; quique imperio deſtinabatur, teſte Plutarcho in Galbâ, pag. 1063. De eo jam dictum ſuprà in Supplemento Annal. XVI, 95.

[8] Coloniam Aquinatem ] Nunc *Aquino, dans la terre de Labour.* Hujus urbis nummum primus publicavit Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de peuples & de villes*, Tom. I. pag. 39. Ex unâ parte caput galeatum: ex alterâ, gallus gallinaceus, AQVINO.

[9] Monstratus ] [illegible] non Othoni tantùm, ſed etiam Galbæ; poſteaque & Vitellio.

A. U. C. 822. J. C. 69.

trem, nec ut hoſtis.[1] Igitur motæ Urbis curæ[2]: nullus ordo metu, aut periculo vacuus: primores ſenatûs ætate invalidi, & longâ pace deſides; ſegnis, & oblita bellorum, nobilitas; ignarus militiæ eques; quantò magis occultare & abdere pavorem nitebantur, manifeſtiùs pavidi. Nec deerant e contrario, qui ambitione ſtolidâ, conſpicua arma, inſignes equos, quidam luxurioſos apparatus conviviorum, & inritamenta libidinum, ut inſtrumenta belli, mercarentur. Sapientibus quietis & reipublicæ cura, leviſſimus quiſque, & futuri improvidus, ſpe vanâ tumens. Multi adflictâ fide in pace, ac turbatis rebus alacres, & per incerta tutiſſimi.

LXXXIX. Sed vulgus, & magnitudine nimiâ communium curarum expers populus, ſentire paullatim belli mala, conversâ in militum uſum omni pecuniâ, intentis alimentorum pretiis: quæ, motu Vindicis, haud perinde plebem attriverant, ſecurâ tum Urbe, & provinciali bello, quod inter legiones Galliaſque velut externum fuit. Nam, ex quo divus Auguſtus res Cæſarum compoſuit, procul & in unius[3] ſollicitudinem, aut decus, populus Romanus bellaverat. Sub Tiberio, & Caio, tantùm pacis adverſa pertimuere: Scriboniani[4] contra Claudium incepta, ſimul audita, & coercita: Nero nuntiis magis & rumoribus, quàm armis depulſus. Tum legiones claſſeſque, & quod raro aliàs, prætorianus Urbanuſque miles, in aciem deducti. Oriens Occidenſque, & quidquid utrimque virium eſt a tergo[5]: ſi ducibus aliis bellatum foret, longo bello materia. Fuere, qui proficiſcenti Othoni moras, « religionemque nondum conditorum ancilium[6] » adferrent.

[1] Nec ut hostis ] Cultu, ut infra Imperatoris, ſic ſupra hoſtis fratrem.

[2] Motæ Urbis curæ ] Hoc bellico apparatu motæ ſunt Urbis curæ.

[3] In unius ] Principis.

[4] Scriboniani ] De quo dicetur in Supplemento Annal. IX, 35 & 36.

[5] A tergo ] A tergo Othonis, Oriens; Vitellii, Occidens.

[6] Nondum conditorum ancilium ] Numa, religionum artifex, ancilia cælo delapſa, quæ ſi ſervarentur, Romam fore invictam, finxerat. Inde ancilibus honos. Singulis annis, initio menſis Martii, quo Martis ſacrum peragebatur, ancilia, per reliquum anni tempus in ejus templo condita, movebantur. Salios enim *cæleſtia arma, quæ ancilia appellantur, ferre, ac per Urbem ire canentes carmina cum tripudiis ſollemnique ſaltatu* juſſerat Numa. Livius, I, 20. Triginta dies his cærimoniis ſacri, teſte Polybio, Excerpt. Legat. cap. 23. Vide & Suet. in notâ ultimâ cap. ſeq.

Aſpernatus

Aſpernatus eſt omnem cunctationem, ut Neroni quoque exitioſam: & Cæcina, jam Alpes trangreſſus, exſtimulabat. A. U. C. 822.

XC. Pridie Idus Martias [1], commendatâ patribus republicâ, reliquias Neronianarum ſectionum [2] nondum in fiſcum converſas, revocatis ab exſilio conceſſit: juſtiſſimum donum, & in ſpeciem magnificum, ſed feſtinatâ jam pridem exactione [3], uſu ſterile. Mox vocatâ concione, « majeſtatem Urbis, » & conſenſum populi ac ſenatûs » pro ſe attollens, adversùm Vitellianas partes modeſtè diſſeruit: « inſcitiam potiùs legio- » num, quàm audaciam » increpans, nullâ Vitellii mentione: ſive ipſius ea moderatio; ſeu ſcriptor orationis, ſibi metuens, contumeliis in Vitellium abſtinuit: quando, ut in conſiliis militiæ Suetonio Paullino & Mario Celſo, ita in rebus Urbanis Galerii Trachali [4] ingenio Othonem uti credebatur: & erant, qui genus ipſum orandi noſcerent, crebro fori uſu celebre, & ad implendas aures, latum & ſonans. Clamor voceſque vulgi, ex more adulandi, nimiæ & falſæ: quaſi dictatorem Cæſarem, aut Imperatorem Auguſtum proſequerentur, ita ſtudiis votiſque certabant: nec metu, aut amore, ſed ex libidine ſervitii, ut in familiis [5], privata cuique ſtimulatio, & vile jam decus publicum. Profectus Otho [6], quietem Urbis curaſque imperii, Salvio Titiano, fratri, permiſit. J. C. 69.

[1] Pridie Idus Martias ] Die 14 Martii.

[2] Neronianarum sectionum ] Publicatis exſulum bonis. De pœnis exſulum dictum eſt in Notis & Emendationibus ad Annal. XIII, 22. De ſectoribus plura vide Annal. XIII, 23. not. 6.

[3] Exactione ] In hac temporum cupidine, ab iis qui fiſco præerant jam pridem fuerant exacta bonorum pretia; ac proinde verbis magnificum, uſu ſterile fuit Othonis donum, licèt juſtiſſimum.

[4] Galerii Trachali ] Quem conſulem vidimus ſuprà in Supplemento Annal. XVI, 63.

[5] Ut in familiis ] Bene Illuſtr. Huetius: *ſervos dixiſſes, cujuſmodi ſolent eſſe in familiis, non plebem ingenuam.* Sic quoque locum hunc explicabat eruditus Savilius.

[6] Profectus Otho ] Profectus eſt die 24 Martii, ut patet ex Suetonio, in Othone, VIII. *Expeditionem autem impigre, atque etiam præproperè inchoavit: nullâ ne religionum quidem curâ, ſed & motis necdum conditis ancilibus, quod antiquitus infauſtum haberetur: & die, quo cultores deûm matris lamentari & plangere incipiunt.* Dies ille, qui *ſanguinis dies* dicebatur, erat IX Kalendas Apriles. Vide Trebellium Pollionem in Claud. IV.

# *BREVIARIUM*

## LIBRI SECUNDI.

I. T*ITUS, ad Galbam miſſus, acceptis de ejus interitu nuntiis, vertit iter.* II. *Paphiæ Veneris templum adit.* IV. *Ibi futura edoctus, & ſpe ingens, ad patrem, qui bellum Judaicum profligaverat, redit.* V. *Veſpaſiani ingenium & mores. Mores quoque Muciani. Ii, poſitis odiis, inter ſe conſentiunt. Inde nova civilium bellorum initia, intumeſcentibus Orientis legionibus.* VIII. *Falſi Neronis ludibrium, ab Aſprenate compreſſum.* X. *In Urbe parvæ res magnis motibus aguntur. Vibius Criſpus Annium Fauſtum, delatorem, accuſat; ipſe accuſandus.* XI. *Interim belli principia Othoni læta.* XII. *At licentiùs agit ejus miles: in Alpinos, municipiumque Albium Intemelium ſævit. Egregia matris pietas.* XIV. *Provinciæ Narbonenſi imminet Othoniana claſſis. Prœlia Vitellianis improſpera.* XVI. *Pacarius, res Corſicæ inſulæ ad Vitellium trahens, a Corſis interficitur.* XVII. *Arma Vitellianorum in Italiâ.* XVIII. *Ibi inconſulta Othonianorum temeritas.* XIX. *Spurinna Placentiam munit; quam oppugnat Cæcina: at, irrito conatu, obſidionem*

*ſolvit, Cremonamque petit.* XXIII. *Proſpera Othonianis ad Cremonam pugna.* XXIV. *Cæcina inſidias ſtruit, quas in ipſum vertit Suetonius Paullinus. Rex Epiphanes, pro Othone pugnans, vulneratur.* XXVI. *In urgendo hoſte haud ſatis acer Paullinus.* XXVII. *Valens in Italiam venit. Gravis in ejus exercitu Batavorum ſeditio, Alpheni Vari conſilio compoſita. Junctis armis, Valens & Cæcina Vitellium fovent, probraque Othoni objectant.* XXXI. *Vitellii atque Othonis comparatio. Otho de genere belli conſultat. Moras alii, alii feſtinationem ſtultè ſuadent, & prævalent.* XXXIII. *Funeſtiore adhuc conſilio, Otho cum validâ copiarum manu Brixellum concedit.* XXXIV. *Vitelliani tranſitum Padi ſimulant.* XXXV. *Leve prælium Othonianis adverſum.* XXXVII. *Vanus rumor, pavore belli, faſtidiove Principum, pacis conſilia inter exercitus fuiſſe agitata.* XXXIX. *Titianus & Proculus ad quartum a Bebriaco caſtra imperitè promovent, & de prœlio dubitant.* XL. *Otho, morâ æger, ſpei impatiens, rem in diſcrimen mitti jubet.* XLI. *Bebriacenſis pugna.* XLIV. *Othonianorum fuga, & adversùs duces ſuos ira.* XLV. *Vitelliani victa caſtra intrant: victi victoreſque, in lacrimas effuſi, civilia bella deteſtantur.* XLV. *Accepto cladis nuntio, Otho, conſilii certus, milites amicoſque ſolatia tentantes ad-*

*loquitur ; graſſantem ſeditionem coercet : dein mortem ſibi ipſe conſciſcit. Juxta ejus rogum quidam militum ſe interficiunt.* L. *Othonis ætas, origo, fama.* LI. *Novata luctu ac dolore militum ſeditio.* LII. *Magna pars ſenatûs, Othonem ſecuta, extremum diſcrimen adit.* LV. *In tanto rerum motu, nihil Romæ trepidationis : ſpectantur ludi : auditâ Othonis morte, omnes Vitellio plauſere.* LVI. *Gravis tamen Italiæ victor exercitus.* LVII. *Vitellio victoria ſua nuntiatur, ſimulque tranſgreſſa in partes utraque Mauretania.* LX. *Is centuriones promptiſſimos Othonianorum interficit : duces abſolvit.* LXI. *Marici, inſerere ſeſe fortunæ auſi, ſupplicium.* LXII. *Vitellii gula, & leges.* LXIII. *Dolabellæ cædes. Triariæ licentia : Galeriæ & Sextiæ modeſtia.* LXV. *Cluvius abſolvitur.* LXVI. *Victæ legiones ferociunt. Quartadecimanorum & Batavorum jurgia.* LXVII. *Prætorianorum honeſta miſſio : ſparguntur legiones.* LXVIII. *Ticini tumultus alio tumultu ſedatus. Verginii periculum.* LXIX. *Batavorum cohortes in Germaniam remiſſæ : amputati legionum auxiliorumque numeri : reliquum militiæ luxu corrumpitur.* LXX. *Vitellius Cremonam adventat, luſtratque avidè Bebriacenſes campos ; nec tot millia inſepultorum civium exhorret.* LXXI. *Neronis libidines æmulatur : conſulatus dividit.* LXXII. *Falſus Scribonianus*

*mendacium cruce luit.* LXXIII. *Superbia ſocordiaque Vitellii, ob adactum in verba ejus Orientem.* LXXIV. *At Veſpaſianus bellum armaque parat.* LXXVI. *Quem nutantem firmat incenditque Mucianus.* LXXVII. *Incitant quoque vatum reſponſa. Carmeli, montis deique; ara & reverentia.* LXXIX. *In Ægypto, mox in Syriâ, Imperator ſalutatur Veſpaſianus.* LXXXI. *Ad ejus partes accedunt reges Sohemus, Antiochus, Agrippa; & regina Berenice.* LXXXII. *Belli conſilia. Veſpaſianus occupat Ægyptum: Titus Judææ inſtat: Mucianus ad bellum proficiſcitur; pecuniaſque, belli civilis nervos, conquirit.* LXXXV. *Mœſicæ ac Pannonicæ legiones, in partes tranſgreſſæ, Dalmaticum militem trahunt. Belli faces Antonius Primus & Cornelius Fuſcus.* LXXXVII. *Vitellius, in dies ſegnior corruptiorque, gravi ac luxuriante agmine Romæ propinquat.* LXXXVIII. *Poſt militum plebiſque cædes, Urbem, ut captam, ingreditur.* XC. *Magnificam de ſemetipſo orationem habet.* XCI. *Humani divinique juris expers, quædam tamen popularia uſurpat.* XCII. *Munia imperii Cæcina & Valens obeunt.* XCIII. *Militis in Urbe otium, libidines, morbi ac mortes. Sedecim prætoriæ cohortes, quatuor Urbanæ ſcribuntur.* XCIV. *Inſolentia militis, & paucitas. Inopia ſimul & prodigentia Vitellii. Aſiatici, liberti, opes. Urbis miſeria.*

XCV. *Ingenti tamen paratu Vitellii dies natalis celebratur: ipſe Neroni inferias facit.* XCVI. *Nuntiatæ defectionis Flavianæ rumores malè coercet.* XCVII. *Excita tamen auxilia, ſed neceſſitas diſſimulata.* XCIX. *Inrumpentibus hoſtibus, Cæcina ad bellum præmittitur.* C. *At is cum Lucilio Baſſo, Ravennati Miſenenſique claſſibus præpoſito, proditionem componit.*

Hæc, conſulibus Galbâ Aug. II. & T. Vinio cæſis, geſta paucis menſibus,

| | | | |
|---|---|---|---|
| | | *Suff.* | M. Salvio Othone Aug. |
| | | *Coſſ.* | L. Salvio Othone Titiano. |
| | | *Suff.* | L. Verginio Ruſo II, |
| A. U. C. | J. C. | *Coſſ.* | Pompeio Vopiſco. |
| DCCCXXII. | 69. | *Suff.* | Cælio Sabino, |
| | | *Coſſ.* | T. Flavio Sabino. |
| | | *Suff.* | T. Arrio Antonino, |
| | | *Coſſ.* | P. Mario Celſo. |

C. CORNELII

# C. CORNELII *TACITI* HISTORIÆ.

## *LIBER SECUNDUS.*

A. U. C. 822. J. C. 69.

STRUEBAT jam fortuna, in diverſâ parte terrarum, initia cauſaſque imperio: quod variâ ſorte, lætum reipublicæ, aut atrox, ipſis Principibus proſperum, aut exitio fuit. Titus Veſpaſianus e Judæâ, incolumi adhuc Galbâ, miſſus a patre [1], cauſam profectionis « officium erga Principem, & maturam »petendis honoribus juventam » ferebat. Sed vulgus fingendi avidum, diſperſerat, « accitum in adoptionem »: materia ſermonibus, ſenium & orbitas Principis [2], & intemperantia civitatis, donec unus eligatur, multos deſtinandi. Augebat famam, ipſius Titi ingenium quantæcumque fortunæ capax, decor oris cum quadam majeſtate, proſperæ Veſpaſiani res, præſaga reſponſa [3], & inclinatis ad credendum animis, loco omi-

[1] A PATRE ] Veſpaſiano, qui ſuſpectus erat Galbæ. Unde Suetonius in Galbâ, XXIII. *Senatus, ut primùm licitum fuit ſtatuam ei*, Galbæ, *decreverat, roſtratæ columnæ ſuperſtantem in parte fori, quâ trucidatus eſt. Sed decretum Veſpaſianus abolevit, percuſſores ſibi ex Hiſpaniâ in Judæam ſubmiſiſſe opinatus.*

[2] PRINCIPIS ] Galbæ.

[3] RESPONSA ] Titus educatus fuerat in aulâ cum Britannico, paribus diſciplinis, & apud eoſdem magiſtros inſtitutus. *Quo quidem tempore, aiunt metopoſcopum a Narciſſo, Claudii liberto, adhibitum, ut Britannicum inſpiceret, conſtantiſſimè affirmaſſe, illum quidem nullo modo, ceterùm Titum, qui tunc propè a Galbâ, utique imperaturum*, Sueton. in Tit. II.

A. U. C. 822. J. C. 69.

num etiam fortuita [1]. Ubi Corinthi [2], Achaiæ urbe, certos nuntios accepit de interitu Galbæ, & aderant, qui arma Vitellii bellumque adfirmarent: anxius animo, paucis amicorum adhibitis, cuncta utrimque perluſtrat. « Si pergeret in Urbem, » nullam officii gratiam, in alterius honorem ſuſcepti: ac ſe » Vitellio, ſive Othoni, obſidem fore. Sin rediret, offenſam » haud dubiam victoris: ſed incertâ adhuc victoriâ, & conce» dente in partes patre, filium excuſatum. Sin Veſpaſianus rem» publicam ſuſciperet, obliviſcendum offenſarum, de bello » agitantibus ».

II. His ac talibus inter ſpem metumque jactatum, ſpes vicit. Fuere qui « accenſum deſiderio Berenices reginæ [3], ver» tiſſe iter » crederent. Neque abhorrebat a Berenice juvenilis animus: ſed gerendis rebus nullum ex eo impedimentum: lætam voluptatibus adoleſcentiam egit, ſuo quàm patris imperio modeſtior. Igitur oram Achaiæ, & Aſiæ, ac læva maris [4] prævectus, Rhodum & Cyprum inſulas, inde Syriam audentioribus ſpatiis [5] petebat. Atque illum cupido inceſſit, adeundi viſendique templum Paphiæ Veneris [6], inclitum per indigenas advenaſque. Haud fuerit longum initia religionis, templi ſitum, formam deæ, neque enim alibi ſic habetur, paucis diſſerere.

III. « Conditorem templi » regem Aeriam [7] vetus memoria, quidam « ipſius deæ nomen [8] id » perhibent. Fama recentior tradit, « a Cinyrâ [9] ſacratum templum, deamque ip» ſam conceptam mari, huc appulſam. Sed ſcientiam artem» que haruſpicum accitam, & Cilicem Thamiram intuliſſe.

[1] Fortuita ] In hac animorum inclinatione, etiam fortuita vertebant in Principatûs argumenta.

[2] Corinthi ] Hodieque *Corinthe.*

[3] Berenices reginæ Berenice, ſoror Agrippæ II, uxor Herodis, regis Chalcidis. Vide Stemma Herodum, num. 11. in Notis & Emendationibus ad Annal. XII, 23.

[4] Læva maris ] Tito, in Syriam redeunti, ora Aſiæ maritima ad lævam erat.

[5] Audentioribus spatiis ] Non jam oram relegens, ſed alto mari navigans.

[6] Templum Paphiæ Veneris ] De quo jam dictum ſuprà Annal. III, 62.

[7] Regem Aeriam ] Ita Tacitus ſuprà Annal. III, 62.

[8] Deæ nomen ] Sic Pauſanias I, 14, eam vocat Οὐρανίαν.

[9] A Cinyra ] Rege Aſſyriorum, teſte Apollodoro III, & Hygino, Fabulâ CLXX.

A. U. C. 822. J. C. 69.

» Atque ita pactum, ut familiæ utriuſque poſteri cærimoniis » præſiderent ». Mox, ne honore nullo regium genus peregrinam ſtirpem antecelleret, ipsâ, quam intulerant, ſcientiâ hoſpites ceſſere: tantùm Cinyrades ſacerdos conſulitur. Hoſtiæ, ut quiſque vovit; ſed mares deliguntur. Certiſſima ſides hædorum fibris. Sanguinem aræ obfundere vetitum: precibus & igne puro altaria adolentur, nec ullis imbribus, quamquam in aperto [1], madeſcunt. Simulacrum deæ non effigie humanâ: continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum, metæ modo [2], exſurgens: & ratio in obſcuro [3].

IV. Titus, ſpectatâ opulentiâ doniſque regum [4], quæque alia lætum antiquitatibus [5] Græcorum genus incertæ vetuſtati adfingit, « de navigatione primùm » conſuluit. Poſtquam « pandi viam, & mare proſperum » accepit, de ſe per ambages interrogat, cæſis compluribus hoſtiis. Soſtratus, ſacerdotis id nomen erat, ubi læta & congruentia exta, magniſque conſultis annuere deam videt, pauca in præſens & ſolita reſpondens, petito ſecreto, futura aperit. Titus, aucto animo, ad patrem pervectus, ſuſpenſis provinciarum & exercituum mentibus, ingens rerum fiduciâ [6] acceſſit. Profligaverat [7] bellum Judaicum Veſpaſianus, oppugnatione Hieroſolymorum reliquâ [8];

[1] Quamquam in aperto ] Sic quoque Plinius II, 96. *Celebre fanum habet Veneris Paph s, in cujus quandam aram non impluit.* Eruditus Harduinus in alterâ ſuâ Plinii editione emendavit *aream* pro *aram*.

[2] Metæ modo ] Simulacrum Veneris Paphiæ non erat effigie humanâ, ſed in *conicam*, ut vulgò loquuntur Geometræ, formam exſurgebat, latiore initio, tenuem in ambitum deſinens: cujus formam vide in nummo vetere apud eruditum Spanhemium, *de Præſtant. & Uſu Numiſmat.* Tom. I. pag. 505.

[3] Ratio in obscuro ] Originem Veneris Paphiæ, ejus formæ rationem diligentiùs inquiremus in Notis & Emendationibus ad Hiſt. II, 3. Remque illuſtrabit egregia pictura, quam publicavere eruditi Academici Herculanenſes, *Pitture Antiche d'Ercolano*, Tom. III. Tab. 52.

[4] Donisque regum ] De regum gentiumque donariis, quæ ad templa, quorum percelebris erat religio, mittebantur, vide in Notis & Emendationibus ad Annal. III, 63. Tom. I. pag. 418.

[5] Lætum antiquitatibus ] Semper his antiquitatibus lætum Græcorum genus. Inde manent adhuc tot monumenta receptarum apud illos religionum.

[6] Rerum fiducia ] Quam ex Soſtrati reſponſo conceperat.

[7] Profligaverat ] Id eſt pene confecerat. Novè quidem dictum, ut videre eſt apud Gellium XV, 5. Eodem tamen verbo jam uſus erat Auguſtus, ut patet ex monumento Ancyrano apud eruditum Chishull, *Antiquitates Aſiaticæ*, pag. 174. COEPTA. PROFLIGATAQUE. OPERA. A PATRE. MEO. PERFECI.

[8] Reliqua ] Vide Supplementum Annal. XVI, 60.

A. U. C. 822. J. C. 69.

duro magis & arduo opere ob ingenium montis [1] & pervicaciam ſuperſtitionis, quàm quo ſatis virium obſeſſis ad tolerandas neceſſitates supereſſet. Tres, ut ſuprà memoravimus [2], ipſi Veſpaſiano legiones erant, exercitæ bello: quatuor Mucianus obtinebat in pace: ſed æmulatio, & proximi exercitûs [3] gloria repulerat ſegnitiam: quantúmque illis roboris diſcrimina & labor, tantùm his vigoris addiderat integra quies, & inexpertus belli labor: auxilia utrique cohortium alarumque, & claſſes regeſque, ac nomen diſpari famâ celebre.

V. Vespasianus, acer militiæ, anteire agmen [4], locum caſtris capere, noctu diuque conſilio, ac, ſi res poſceret, manu hoſtibus obniti, cibo fortuito, veſte habituque vix a gregario milite diſcrepans: prorſus, ſi avaritia abeſſet, antiquis ducibus par. Mucianum e contrario magnificentia, & opes, & cuncta privatum modum ſupergreſſa extollebant: aptior ſermone, diſpoſitu proviſuque, civilium rerum peritus: egregium principatûs temperamentum, ſi demptis utriuſque vitiis, ſolæ virtutes miſcerentur. Ceterùm hic Syriæ, ille Judææ præpoſitus, vicinis provinciarum adminiſtrationibus, invidiâ diſcordes, exitu demum Neronis, poſitis odiis, in medium conſuluere: primùm per amicos; dein præcipua concordiæ fides Titus, prava certamina communi utilitate aboleverat: naturâ atque arte compoſitus adliciendis etiam Muciani moribus. Tribuni centurioneſque, & vulgus militum, induſtriâ, licentiâ, per virtutes, per voluptates, ut cuique ingenium, adſciſcebantur.

VI. Antequam Titus adventaret, ſacramentum Othonis [5] acceperat uterque exercitus, præcipitibus, ut adſolet, nuntiis, & tardâ mole civilis belli, quod longâ concordiâ quie-

[1] Ingenium montis ] Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. II, 4.

[2] Supra memoravimus ] Suprà Hiſt. I, 10.

[3] Proximi exercitus ] Exercitûs, qui, duce Veſpaſiano, bellum Judaicum profligaverat.

[4] Anteire agmen ] Sic Julius Cæſar, teſte Suetonio in Jul. LVII, *in agmine nonnumquam equo, ſæpius pedibus anteibat, capite detecto, ſeu ſol, ſeu imber eſſet.*

[5] Sacramentum Othonis ] Muciani ejuſque exercitûs fidem teſtatur æreus Othonis nummus e Cimelio Comitis de Pembrock, & in Muſeo Theupolitano; quem laudavimus ſuprà Hiſt. I, 76. not. 2.

A. U. C. 822. J. C. 69.

tus Oriens, tunc primùm parabat. Namque olim validiſſima inter ſe civium arma, in Italiâ, Galliâve, viribus Occidentis cœpta. Et Pompeio, Caſſio, Bruto, Antonio, quos omnes trans mare ſecutum eſt civile bellum, haud proſperi exitus fuerant. Auditique ſæpius in Syriâ Judæâque Cæſares, quàm inſpecti. Nulla ſeditio legionum: tantùm adversùs Parthos minæ, vario eventu [1]. Et proximo civili bello [2], turbatis aliis, inconcuſſa ibi pax: dein fides erga Galbam. Mox, ut « Othonem ac Vitellium ſceleſtis armis res Romanas raptum ire », vulgatum eſt, ne penes ceteros imperii præmia, penes ipſos tantùm ſervitii neceſſitas eſſet, fremere miles, & vires ſuas circumſpicere. Septem legiones [3] ſtatim, & cum ingentibus auxiliis Syria Judæaque: inde continua Ægyptus, duæque legiones: hinc Cappadocia [4] Pontuſque, & quidquid caſtrorum Armeniis prætenditur. Aſia, & ceteræ provinciæ, nec virorum inopes, & pecuniæ opulentæ: quantum inſularum mari cingitur [5], & parando interim bello ſecundum tutumque ipſum mare.

VII. Non fallebat duces impetus militum. Sed, bellantibus aliis, placuit exſpectari bellum: « victores victoſque numquam ſolidâ fide coaleſcere: nec referre Vitellium, an Othonem, ſuperſtitem fortuna faceret. Rebus ſecundis etiam egregios duces inſoleſcere: diſcordiam his [6], ignaviam, luxuriem: & ſuiſmet vitiis, alterum bello, alterum victoriâ periturum ». Igitur arma in occaſionem diſtulere, Veſpaſianus Mucianuſque nuper, ceteri olim mixtis conſiliis [7]: optimus

[1] Vario eventu ] Ut vidimus ſuprà Annal. XV, 24 & 27.

[2] Proximo civili bello ] Quo Vindex & Galba adversùs Neronem rebellavere.

[3] Septem legiones ] Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. II, 6. Ibi plura & neceſſaria de nominibus & numero legionum dicentur.

[4] Cappadocia ] Cappadociam, ut cetera Orientis, partes Othonis ſecutam teſtatur nummus Cæſareæ cuſus, apud Cl. Morellum, *Theſaur. Numiſmat.* Tom. II, pag. 202. CA. ΟΘΩΝΟΣ ΚΑΙC. CEBACTOY. Id eſt, *Salvii Othonis Cæſaris Auguſti.* Caput Othonis nudum. In poſticâ parte, ΚΑΙΣΑΡΕΑC, *Cæſareæ.* Mons Argæus. Infrà ET. A. Id eſt, *anno primo.*

[5] Mari cingitur ] Cuncta opportuna: inſulæ, ipſumque mare tutum & parando bello ſecundum.

[6] Discordiam his ] Vitellio & Othoni.

[7] Mixtis consiliis ] Nuper concordes Veſpaſianus Mucianuſque, antè invidiâ diſcordes: at ceteri olim, nempe eorum amici, poſt Neronis exitum,

A. U. C. 822. J. C. 69.

quiſque amore reipublicæ : multos dulcedo prædarum ſtimulabat : alios ambiguæ domi res. Ita boni malique, cauſis diverſis, ſtudio pari, bellum omnes cupiebant.

VIII. Sub idem tempus Achaia atque Aſia falsò exterritæ, velut Nero adventaret : vario ſuper exitu ejus rumore [1], eòque pluribus vivere eum ſingentibus, credentibuſque. Ceterorum caſus [2] conatuſque in contextu operis dicemus. Tunc ſervus e Ponto, ſive, ut alii tradidere, libertinus ex Italiâ, citharæ & cantûs peritus ( unde illi, ſuper ſimilitudinem oris, propior ad fallendum fides ) adjunctis deſertoribus, quos inopiá vagos ingentibus promiſſis corruperat, mare ingreditur : ac vi tempeſtatum Cythnum inſulam [3] detruſus, & militum quoſdam ex Oriente commeantium [4] adſcivit, vel abnuentes interfici juſſit, & ſpoliatis negotiatoribus, mancipiorum valentiſſimum quemque armavit. Centurionemque Siſennam, dextras, concordiæ inſignia [5], Syriaci exercitûs nomine ad prætorianos ferentem, variis artibus adgreſſus eſt : donec Siſenna, clam relictá inſulà, trepidus & vim metuens aufugeret : inde latè terror, multis ad celebritatem nominis erectis, rerum novarum cupidine, & odio præſentium.

IX. Gliscentem in dies famam fors diſcuſſit. Galatiam ac Pamphyliam provincias [6], Calpurnio Aſprenati regendas Galba permiſerat : datæ e claſſe Miſenenſi [7] duæ triremes ad proſequendum, cum quibus Cythnum inſulam tenuit. Nec defuere, qui trierarchos nomine Neronis accirent : is in mæſtitiam compoſitus, & « fidem ſuorum quondam militum » invo-

mixtis conſiliis, in medium conſuluerant, ut vidimus ſupra cap. 5.

[1] Super exitu ejus rumore ] De hoc rumore dictum jam ſuprà Hiſt. I, 2. Et teſte Suetonio in Ner. LVII. *Non defuerunt, qui per longum tempus* proferrent *edicta, quaſi viventis* Neronis, *& brevì magno inimicorum malo reverſuri.*

[2] Ceterorum casus ] Ceterorum falſorum Neronum caſus. Alii enim adhuc viſi poſtea falſi Nerones, ut dicetur infrà in Appendice Chronologicâ ad annum DCCCXLI.

[3] Cythnum insulam ] In Ægeo mari, unam e Cycladibus, dictam hodie *Thermia.*

[4] Commeantium ] De his commeatibus dictum eſt ſuprà Hiſt. I, 46. not. 3.

[5] Dextras, concordiæ insignia ] Vide dicta ſuprà Hiſt. I, 54. not. 10.

[6] Provincias ] Ponto vicinas.

[7] E classe Misenensi ] De hac claſſe dictum ſupra Annal. IV, 5.

A. U. C. 822. J. C. 69.

cans, « ut eum in Syriâ, aut Ægypto [1] ſiſterent » orabat. Trierarchi nutantes, ſeu dolo, « adloquendos ſibi milites, & paratis omnium animis reverſuros » firmaverunt. Sed Aſprenati cuncta ex fide nuntiata: cujus cohortatione expugnata navis, & interfectus quiſquis ille erat. Corpus inſigne oculis, comâque & torvitate vultûs [2], in Aſiam, atque inde Romam pervectum eſt.

X. In civitate diſcordi, &, ob crebras Principum mutationes, inter libertatem ac licentiam incertâ, parvæ quoque res magnis motibus agebantur. Vibius Criſpus, pecuniâ, potentiâ, ingenio inter claros magis, quàm inter bonos, Annium Fauſtum, equeſtris ordinis, qui temporibus Neronis delationes factitaverat, ad cognitionem ſenatûs vocabat. Nam recèns, Galbæ principatu, cenſuerant patres, « ut accuſatorum [3] cauſæ noſcerentur ». Id ſenatuſconſultum, variè jactatum, &, prout potens, vel inops reus inciderat, infirmum aut validum, retinebatur. Ad hæc terrore & propriâ vi Criſpus incubuerat, delatorem fratris ſui [4] pervertere: traxeratque magnam ſenatûs partem, « ut indefenſum & inauditum dedi ad exitium » poſtularent. Contrà apud alios nihil æquè reo proderat, quàm nimia potentia accuſatoris: « dari tempus, edi crimina, quamvis inviſum ac nocentem, more tamen audiendum » cenſebant. Et valuere primò, dilataque in paucos dies cognitio: mox damnatus eſt Fauſtus, nequaquam eo adſenſu civitatis, quem peſſimis moribus meruerat: quippe ipſum Criſpum eaſdem accuſationes cum præmio exercuiſſe meminerant: nec pœna criminis, ſed ultor diſplicebat.

XI. Læta interim Othoni principia belli, motis ad imperium ejus e Dalmatiâ Pannoniâque exercitibus. Fuere quatuor legiones, e quibus bina millia præmiſſa; ipſæ modicis inter-

[1] Aut Ægypto ] Exemplo Neronis, olim incerti Syriamne, an Ægyptum, peteret; haſque ſibi præfecturas retineret. Vide Supplementum Annal. XVI, 82.

[2] Torvitate vultus ] Sic & Nero moriens in Supplem. Annal. XVI, 87.

[3] Accusatorum ] Delatorum, de quibus ſuprà Annal. IV, 30. *Delatores, genus hominum publico exitio repertum, & pœnis quidem numquam ſatis coercitum.*

[4] Fratris sui ] Vibii Secundi, repetundarum damnati, ut vidimus ſupra Annal. XIV, 28.

A. U. C. 822. J. C. 69.

vallis ſequebantur: ſeptima, a Galbâ conſcripta; veteranæ, undecima, ac tertiadecima, & præcipuâ famâ quartadecumani, rebellione Britanniæ [1] compreſsâ. Addiderat gloriam Nero, eligendo, ut potiſſimos. Unde longa illis erga Neronem fides, & erecta in Othonem ſtudia. Sed quò plus virium ac roboris, e fiduciâ tarditas inerat: agmen legionum, alæ cohorteſque præveniebant. Ex ipsâ Urbe haud ſpernenda manus, quinque prætoriæ cohortes, & equitum vexilla cum legione primâ [2], ac deforme inſuper auxilium, duo millia gladiatorum, ſed per civilia arma etiam ſeveris ducibus uſurpatum. His copiis rector additus Annius Gallus, cum Veſtricio Spurinnâ [3] ad occupandas Padi ripas præmiſſus: quoniam prima conſiliorum fruſtra ceciderant, tranſgreſſo jam Alpes Cæcinâ, quem ſiſti intra Gallias poſſe ſperaverat. Ipſum Othonem comitabantur ſpeculatorum [4] lecta corpora, cum ceteris prætoriis cohortibus, veterani e prætorio [5], claſſicorum ingens numerus. Nec illi ſegne aut corruptum luxu iter [6]: ſed loricâ ferreâ uſus eſt, & ante ſigna pedeſter, horridus, incomptus, famæque diſſimilis.

XII. Blandiebatur cœptis fortuna, poſſeſsâ per mare & naves majore Italiæ parte, penitus uſque ad initium maritimarum Alpium [7]: quibus tentandis, adgrediendæque provinciæ Narbonenſi, Suedium Clementem, Antonium Novellum,

[1] Rebellione Britanniæ ] De qua ſuprà Annal. XIV, 29 & ſeqq. Sueton. in Ner. XXXIX & XL.

[2] Legione prima ] Adjutrice: de quâ vide Notas & Emendationes ad Hiſt. II, 6.

[3] Vestricio Spurinna ] Idem eſt, quem egregiè laudat Plinius II, Ep. 7. III, Ep. 1 & 10. Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. II, 11.

[4] Speculatorum ] De quibus dictum ſuprà Hiſt. I, 24.

[5] Veterani e prætorio ] Qui ſtipendia in cohortibus prætoriis fecerant, & retinebantur ſub vexillo, donec miſſio daretur, ut vidimus ſuprà Annal. I, 17 & 36.

[6] Corruptum luxu iter ] Aliter, ſed fortè non ſatis æquus cenſor, Juvenalis Satyr. II, 99.

*Ille tenet ſpeculum pathici geſtamen Othonis,*
*Actoris Aurunci ſpolium: quo ſe ille videbat*
*Armatum, cùm jam tolli vexilla juberet.*
*Res memoranda novis annalibus, atque recenti*
*Hiſtoriâ, ſpeculum civilis ſarcina belli.*
*Nimirum ſummi ducis eſt occidere Galbam,*
*Et curare cutem ſummi conſtantia civis;*
*Bebriaci campo ſpolium affectare Palati,*
*Et preſſum in facie digitis extendere panem,*
*Quod nec in Aſſyrio pharetrata Semiramis orbe,*
*Mæſta nec Actiacâ fecit Cleopatra carinâ.*

Quàm multi fuerint luxu perditi in Othoniano exercitu, vidimus ſuprà Hiſt. I, 88.

[7] Maritimarum Alpium ] De Alpibus maritimis dictum ſatis Annal. XV, 32.

Æmilium

Æmilium Pacenſem duces dederat [1]. Sed Pacenſis per licentiam militum vinctus: Antonio Novello nulla auctoritas: Suedius Clemens ambitioſo imperio regebat, ut adverſus modeſtiam diſciplinæ corruptus, ita prœliorum avidus. Non Italia adiri, nec loca ſedeſque patriæ videbantur: tamquam externa litora, & urbes hoſtium, urere, vaſtare, rapere: eò atrociùs, quod nihil uſquam proviſum adverſum metus: pleni agri, apertæ domus: occurſantes domini juxta conjuges & liberos, ſecuritate pacis, & belli malo circumveniebantur. Maritimas tum Alpes tenebat procurator Marius Maturus. Is concitâ gente, ( nec deeſt juventus ) arcere provinciæ finibus Othonianos intendit. Sed primo impetu cæſi disjectique montani, ut quibus, temere collectis, non caſtra, non ducem noſcitantibus, neque in victoriâ decus eſſet, neque in fugâ flagitium [2].

A. U. C. 822. J. C. 69.

XIII. Inritatus eo prœlio Othonis miles, vertit iras in municipium Albium Intemelium [3]: quippe in acie nihil prædæ: inopes agreſtes, & vilia arma: nec capi poterant, pernix genus, & gnari locorum: ſed calamitatibus inſontium expleta avaritia. Auxit invidiam præclaro exemplo femina Ligus [4], quæ filio abdito, cùm ſimul pecuniam occultari milites credidiſſent, eóque per cruciatus interrogarent « ubi filium occu»leret », uterum oſtendens, « latêre » reſpondit. Nec ullis deinde terroribus, aut morte, conſtantiam vocis egregiæ mutavit.

XIV. « Imminere provinciæ Narbonenſi, in verba Vi»tellii adactæ, claſſem Othonis », Fabio Valenti trepidi nuntii adtulere. Aderant legati coloniarum, auxilium orantes. Duas Tungrorum [5] cohortes, quatuor equitum turmas, univerſam

[1] Duces dederat ] Suprà Hiſt. I, 87.

[2] In fuga flagitium ] Contra in Romanâ militiâ hoc flagitium capite puniendum, teſte Arrio Menandro, Digeſt. libr. XLIX. Tit. 16. de Re militari. Leg. 6. num. 3. *Qui in acie prior fugam fecit, ſpectantibus militibus, propter exemplum capite puniendus eſt.*

[3] Albium Intemelium ] Nunc *Vintimille.*

[4] Femina Ligus ] Ligus, id eſt Intemelia, *de Vintimille, ou du Comté de Vintimille.* Expreſsè enim Strabo IV, pag. 202. Τῶν οὖν Λιγύων τῶν μὲν ὄντων Ἰγγαύνων, τῶν δὲ Ἰντεμελίων. *Ligurum alii ſunt Ingauni, alii Intemelii.*

[5] Tungrorum ] Tungri, *ceux de Tongres.*

A. U. C. 822. J. C. 69.

Treverorum [1] aiam, cum Julio Claſſico, præfecto, miſit: e quibus pars in coloniâ Forojulienſi [2] retenta, ne, omnibus copiis in terreſtre iter verſis, vacuo mari [3] claſſis adceleraret. Duodecim equitum turmæ, & lecti e cohortibus, adversùs hoſtem iere: quibus adjuncta Ligurum cohors, vetus loci auxilium [4], & quingenti Pannonii nondum ſub ſignis [5]. Nec mora prœlio [6]: ſed acie ita inſtructâ [7], ut pars claſſicorum, mixtis paganis [8], in colles mari propinquos exſurgeret, quantum inter colles ac litus æqui loci, prætorianus miles expleret, in ipſo mari [9] ut adnexa claſſis & pugnæ parata, converſâ, & minaci fronte prætenderetur. Vitelliani, quibus minor peditum vis, in equite robur, Alpinos proximis jugis, cohortes denſis ordinibus poſt equitem locant. Treverorum turmæ obtulere ſe hoſti incautè, cùm exciperet contrà veteranus miles, ſimul a latere ſaxis urgeret apta ad jaciendum etiam paganorum manus: qui ſparſi inter milites [10], ſtrenui ignavique in victoriâ idem audebant. Additus perculſis [11] terror, invectâ in terga pugnantium claſſe. Ita undique clauſi: deletæque omnes copiæ forent, ni victorem exercitum attinuiſſet obſcurum noctis, obtentui fugientibus [12].

XV. Nec Vitelliani, quamquam victi, quievere: accitis auxiliis, ſecurum hoſtem, ac ſucceſſu rerum ſocordiùs agen-

[1] Treverorum ] Treveri, *la cité de Treves.*

[2] Colonia Forojulienſi ] Nunc *Fréjus.* Ibi claſſis Romanorum; unde hæc colonia dicebatur claſſica, ut obſervatum ſuprà Annal. IV, 5.

[3] Vacuo mari ] Nullis præſidiis defenſo litore.

[4] Vetus loci auxilium ] Vetus auxilium coloniæ Forojulienſis. Ligures, *l'Etat de Genes*, &c.

[5] Nondum ſub ſignis ] Quingenti e delectu Pannonico, adhuc tirones, ac proinde nondum ſub ſignis. Vide ſuprà Annal. II, 78 & 80.

[6] Prœlio ] Pugnatum, ut ex Taciti deſcriptione patet, inter Antipolim, nunc *Antibe*, & Albium Intemelium, *Vintimille.*

[7] Acie ita instructa ] Acie Othonianorum.

[8] Mixtis paganis ] Pagani dicuntur, qui non ſunt milites. De his plura Hiſt. I, 53.

[9] In ipso mari ] In ipſo mari prætendebatur Othoniana claſſis, litori adnexa, pugnæ parata, non puppibus, ut in pace, ſed proris roſtriſque, ut in bello, obverſis, & minaci fronte.

[10] Inter milites ] Othonianos.

[11] Perculsis ] Vitellianis.

[12] Obtentui fugientibus ] Obſcurum noctis juvit Vitellianos, ut faciliùs tutiúſque fugerent. Sic Salluſtius Fragm. Hiſt. VI, 58. *Tabella obtentui erit, quo magis animo libero facere audeat*; & ibid. I, 10. *Secundæ res mirè ſunt vitiis obtentui.*

A. U. C. 822. J. C. 69.

tem invadunt: cæſi vigiles, perrupta caſtra, trepidatum apud naves: donec, ſidente paullatim metu, occupato juxtà [1] colle defenſi, mox irrupere. Atrox ibi cædes, & Tungrarum cohortium præfecti, ſuſtentatâ diu acie, telis obruuntur. Ne Othonianis quidem incruenta victoria fuit, quorum improvidè ſecutos, converſi equites [2] circumvenerunt. Ac velut pactis induciis, ne hinc claſſis, inde eques ſubitam formidinem inferrent, Vitelliani retro Antipolim [3], Narbonenſis Galliæ municipium, Othoniani Albingaunum [4], interioris Liguriæ, revertêre.

XVI. Corsicam ac Sardiniam [5], ceteraſque proximi maris inſulas, fama victricis claſſis in partibus Othonis tenuit. Sed Corſicam propè adflixit Decumi Pacarii procuratoris temeritas, tantâ mole belli, nihil in ſummam [6] profutura, ipſi exitioſa. Namque, Othonis odio, juvare Vitellium Corſorum viribus ſtatuit, inani auxilio, etiamſi proveniſſet [7]. Vocatis principibus inſulæ, conſilium aperit: & contradicere auſos, Claudium Phirricum, trierarchum liburnicarum [8] ibi navium, Quinctium Certum, equitem Romanum, interfici jubet: quorum morte exterriti, qui aderant, ſimul ignara, & alieni metûs ſocia imperitorum turba, in verba Vitellii juravere. Sed ubi delectum agere Pacarius, & inconditos homines fatigare militiæ muneribus occœpit, laborem inſolitum peroſi, infirmitatem ſuam reputabant: « inſulam eſſe quam incolerent, & » longè Germaniam [9], viresque legionum: direptos vaſtatoſque » claſſe [10], etiam quos cohortes alæque protegerent ». Et averſi repentè animi; nec tamen apertâ vi: aptum tempus inſidiis legêre. Digreſſis, qui Pacarium frequentabant, nudus & auxilii

[1] Occupato juxta ] Juxta caſtra.

[2] Conversi equites ] Vitelliani.

[3] Antipolim ] Nunc *Antibe*, ut modò dictum eſt.

[4] Albingaunum ] Apud Ligures Ingaunos Albingaunum, nunc *Albinga*.

[5] Corsicam ac Sardiniam ] *Les iſles de Corſe & de Sardaigne.*

[6] In summam ] Sic dictum ſuprà Annal. XIII, 38. *Nihil in ſummam pacis proficiebatur.*

[7] Etiamsi provenisset ] Etiamſi res ei feliciter ſucceſſiſſet.

[8] Liburnicarum ] Quid ſint liburnicæ dictum ſuprà Annal. XVI, 14.

[9] Longe Germaniam ] Quæ cum Germanicis legionibus pro Vitellii partibus ſtabat.

[10] Vastatosque classe ] Ut modò dictum eſt cap. 12 & ſeqq.

A. U. C. 822. J. C. 69.

inops, balineis interſicitur: trucidati & comites. Capita, ut hoſtium, ipſi interfectores ad Othonem tulere. Neque eos aut Otho præmio adfecit, aut punivit Vitellius, in multâ colluvie rerum majoribus flagitiis [1] permixtos.

XVII. Aperuerat jam Italiam, bellumque tranſmiſerat, ut ſuprà memoravimus [2], ala Syllana, nullo apud quemquam Othonis favore, nec quia Vitellium mallent; ſed longa pax ad omne ſervitium fregerat, faciles occupantibus, & melioribus incurioſos. Florentiſſimum Italiæ latus, quantum inter Padum Alpeſque camporum & urbium [3], armis Vitellii (namque & præmiſſæ a Cæcinâ cohortes advenerant) tenebatur. Capta Pannoniorum cohors apud Cremonam [4]. Intercepti centum equites, ac mille claſſici, inter Placentiam Ticinumque [5]: quo ſucceſſu Vitellianus miles, non jam flumine aut ripis arcebatur. Inritabat quin etiam Batavos Tranſrhenanoſque [6] Padus ipſe: quem repentè contra Placentiam tranſgreſſi, raptis quibuſdam exploratoribus, ita ceteros terruere, ut « adeſſe » omnem Cæcinæ exercitum » trepidi ac falſi nuntiarent.

XVIII. Certum erat Spurinnæ (is enim Placentiam obtinebat) necdum veniſſe Cæcinam, &, ſi propinquaret, coercere intra munimenta militem, nec tris prætorias [7] cohortes, & mille vexillarios, cum paucis equitibus, veterano exercitui objicere. Sed indomitus miles, & belli ignarus, correptis ſignis vexilliſque, ruere, & retinenti duci tela intentare, ſpretis centurionibus tribuniſque [8], qui « proditionem, & accitum » Cæcinam » clamitabant. Fit temeritatis alienæ comes Spurinna, primò coactus, mox velle ſimulans, quò plus auctoritatis

[1] Majoribus flagitiis ] Sic ſuprà Annal. XVI, 8. Multi *Neronem*, *circa ſumma ſcelera diſtentum*, *quaſi minores*, *evaſere.*

[2] Supra memoravimus ] Hiſt. I, 70.

[3] Camporum et Urbium ] Camporum, *le Piémont*, *le Mont-ferrat*, *le Milanez.* Urbium Mediolani, Novariæ, Eporediæ, Vercellarum. Vide Hiſt. I, 70.

[4] Cremonam ] Servato etiamnum nomine *Crémone.*

[5] Placentiam Ticinumque ] Placentia, nunc *Plaiſance*; Ticinum, hodie *Pavie.*

[6] Batavos Transrhenanosque ] Suetos inſultare aquis, artemque nandi oſtentare, ut dictum eſt ſuprà Annal. II, 8.

[7] Tris praetorias ] Sic ſæpe Veteres pro *tres.*

[8] Tribunisque ] Perperam hic addebatur, *providentiam ducis laudantibus.* Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. II, 18.

ineſſet conſiliis, ſi ſeditio miteſceret.

A. U. C. 822. J. C. 69.

XIX. Postquam in conſpectu Padus, & nox appetebat, vallari caſtra placuit. Is labor Urbano militi inſolitus contudit animos. Tum vetuſtiſſimus quiſque caſtigare « credulitatem »ſuam, metum ac diſcrimen » oſtendere, « ſi cum exercitu »Cæcina, patentibus campis, tam paucas cohortes circumfu»diſſet ». Jamque totis caſtris modeſti ſermones, &, inſerentibus ſe centurionibus tribuniſque, laudare « providentiam du»cis, quòd coloniam [1], virium & opum validam, robur ac ſe»dem bello legiſſet ». Ipſe poſtremo Spurinna, non tam culpam exprobrans, quàm ratione oſtendens, relictis exploratoribus, ceteros Placentiam reduxit, minus turbidos, & imperia accipientes. Solidati muri, propugnacula addita, auctæ turres, proviſa parataque non arma modo, ſed obſequium & parendi amor, quod ſolum illis partibus [2] defuit, cùm virtutis haud pæniteret [3].

XX. At Cæcina, velut relictâ poſt Alpes [4] ſævitiâ ac licentiâ, modeſto agmine per Italiam inceſſit. Ornatum ipſius, municipia & coloniæ in ſuperbiam trahebant: quòd verſicolore ſagulo [5], braccas [6], tegmen barbarum, indutus, togatos adloqueretur. Uxorem quoque ejus, Saloninam, quamquam in nullius injuriam, inſignis equo oſtroque [7] veheretur, tamquam læſi gravabantur. Inſitâ mortalibus naturâ, recentem aliorum felicitatem ægris oculis introſpicere, modumque fortunæ a nullis magis exigere, quàm quos in æquo vidère. Cæcina,

[1] Quod coloniam ] Placentia colonia erat, ut videre eſt apud Plinium III, 15.

[2] Illis partibus ] Othonianis.

[3] Haud pæniteret ] Bene Illuſtr. Huetius: cùm haud ſpernendâ, vel pœnitendâ virtute pollerent.

[4] Post Alpes ] Bene, *poſt Alpes*; cùm Tacitus Romæ, vel in Italiâ ſcriberet.

[5] Sagulo ] Breviore ſago. Infrà de Moribus Germanorum XVII. *Tegumen omnibus ſagum, fibulâ, aut ſi deſit, ſpinâ conſertum.* Verſicoloribus ſagulis, pro velis uſos Batavos videbimus Hiſt. V, 23. Tales autem fermè nunc ſunt veſtes Helveticæ.

[6] Braccas ] Femora tegebant braccæ. Ex braccarum uſu, pars Galliæ dicta fuit *aliquando Braccata, nunc Narbonenſis*, Mela II, 5. Galli, qui Urbem incenderunt, appellantur a Juvenale, VIII, 234.

*Braccatorum pueri, Senonumque minores.*

[7] Ostroque ] Apud Romanos ſummus honos purpuræ, *omnemque veſtem* illuminabat, ut loquitur Plinius IX, 36.

A. U. C. 822. J. C. 69.

Padum tranſgreſſus, tentatâ Othonianorum fide per colloquium & promiſſa, iiſdem petitus, poſtquam pax & concordia ſpecioſis & inritis nominibus jactata ſunt, conſilia curaſque in oppugnationem Placentiæ magno terrore vertit: gnarus, ut initia belli proveniſſent, famam in cetera fore.

XXI. Sed primus dies, impetu magis, quàm veterani exercitûs artibus, tranſactus: aperti incautique muros ſubiere, cibo vinoque prægraves. In eo certamine, pulcherrimum amphitheatri opus, ſitum extra muros, conflagravit: ſive ab oppugnatoribus incenſum, dum faces, & glandes, ac miſſilem ignem in obſeſſos jaculantur; ſive ab obſeſſis, dum regerunt. Municipale vulgus, pronum ad ſuſpiciones, fraude illata ignis alimenta credidit, a quibuſdam e vicinis coloniis, invidiâ & æmulatione, quod nulla in Italiâ moles tam capax foret: quocumque caſu accidit, dum atrociora metuebantur, in levi habitum: redditâ ſecuritate, tamquam nihil gravius pati potuiſſent, mærebant. Ceterùm, multo ſuorum cruore, pulſus Cæcina; & nox parandis operibus abſumpta. Vitelliani pluteos, crateſque, & vineas [1] ſuffodiendis muris, protegendiſque oppugnatoribus; Othoniani ſudes [2] & immenſas lapidum ac plumbi æriſque moles, perſringendis obruendiſque hoſtibus, expediunt. Utrimque pudor, utrimque gloria, & diverſæ exhortationes, hinc « legionum & Germanici exercitûs robur », inde « Urbanæ » militiæ, & prætoriarum cohortium decus attollentium ». Illi, « ut ſegnem ac deſidem, & circo ac theatris corruptum mili» tem »; hi, « peregrinum & externum » increpabant: ſimul Othonem, ac Vitellium, celebrantes culpanteſque, uberioribus inter ſe probris, quàm laudibus ſtimulabantur.

XXII. Vix dum orto die, plena propugnatoribus mœnia, fulgentes armis viriſque campi, denſum legionum agmen, ſparſa auxiliorum manus, altiora murorum ſagittis aut ſaxis inceſſere; neglecta aut ævo fluxa cominus adgredi: ingerunt de-

[1] Pluteos, crateſque et vineas ] Tres ſunt diverſæ machinæ, lignis, trabibus, viminibus, coriis contextæ, quibus protegebantur oppugnatores, dum muros ſuffodiebant. De iis plura vide apud Vegetium IV, 15.

[2] Sudes ] Ligna erant præacuta, & igne durata.

A. U. C. 822. J. C. 69.

ſuper Othoniani pila, librato magis & certo ictu, adverſùs temere ſubeuntes cohortes Germanorum, cantu truci, & more patrio, nudis corporibus, ſuper humeros ſcuta quatientium. Legionarius, pluteis & cratibus tectus, ſubruit muros, inſtruit aggerem, molitur portas. Contrà prætoriani diſpoſitos ad id ipſum molares [1], ingenti pondere ac fragore, provolvunt: pars ſubeuntium obruti: pars confixi, & exſangues, aut laceri, cum augeret ſtragem trepidatio, eóque acriùs e mœnibus vulnerarentur, rediere, infractâ partium famâ. Et Cæcina, pudore cœptæ temere oppugnationis, ne inriſus ac vanus iiſdem caſtris adſideret, trajecto rurſus Pado, Cremonam petere intendit. Tradidere ſeſe abeunti Turullius Cerialis, cum compluribus claſſicis, & Julius Briganticus, cum paucis equitum: hic præfectus alæ, in Batavis genitus; ille primipilaris, & Cæcinæ haud alienus, quòd ordines [2] in Germaniâ duxerat.

XXIII. Spurinna, comperto itinere hoſtium, defenſam Placentiam, quæque acta, & quid Cæcina pararet, Annium Gallum per literas docet. Gallus legionem primam in auxilium Placentiæ ducebat, diffiſus paucitate cohortium, ne longius obſidium, & vim Germanici exercitùs parum tolerarent: ubi pulſum Cæcinam pergere Cremonam accepit, ægre coercitam legionem, & pugnandi ardore uſque ad ſeditionem progreſſam, Bebriaci [3] ſiſtit. Inter Veronam Cremonamque ſitus eſt vicus, duabus jam Romanis cladibus [4] notus, infauſtuſque. Iiſdem diebus, a Martio Macro, haud procul Cremonâ, proſpere pugnatum: namque promptus animi Martius, tranſvectos navibus gladiatores, in adverſam Padi

[1] Molares ] Suprà, *immenſas lapidum moles.*

[2] Quod ordines ] Primipilaris erat ordines ducere. De primipilaribus jam dictum Annal. II, 11. & XV, 12.

[3] Bebriaci ] Vetus Scholiaſtes Juvenalis, laudatus ſuprà inter Teſtimonia Veterum, ait *Bebriacum vicum eſſe a Cremonâ viceſimo lapide.* Cluverius, Ital. Antiq. I, 26, probat locum hunc eſſe pagum, nunc dictum *Caneto.* Miror Cl. Campo, qui egregium librum, *Hiſtoria di Cremona*, edidit, exiſtimaſſe Bebriacum eſſe locum, qui nunc dicitur *Bina*; quod neque cum Taciti narratione, neque cum tabulâ Geographicâ, quam ipſe Cl. Campo publicavit, concordat.

[4] Duabus jam Romanis cladibus ] Othonianâ & Vitellianâ. Vide infrà Hiſt. III, 20 & ſeqq. Bebriacenſia hæc bella memorat Plinius X, 49, quem vide infrà inter Anecdota de Vitellio.

A. U. C. 822. J. C. 69.

ripam, repentè effudit. Turbata ibi Vitellianorum auxilia, & ceteris Cremonam fugientibus, cæſi qui reſtiterant. Sed repreſſus vincentium impetus, ne novis ſubſidiis firmati hoſtes, fortunam prœlii mutarent. Suſpectum id Othonianis fuit, omnia quæcumque facta pravè æſtimantibus. Certatim, ut quiſque animo ignavus, procax ore, Annium Gallum, & Suetonium Paullinum, & Marium Celſum (nam eos Otho quoque præfecerat) variis criminibus inceſſebant. Acerrima ſeditionum ac diſcordiæ incitamenta, interfectores Galbæ: ſcelere & metu vecordes, miſcere cuncta, modò palam turbidis vocibus, modò occultis ad Othonem literis: qui humillimo cuique credulus, bonos metuens, trepidabat; rebus proſperis incertus, & inter adverſa melior. Igitur Titianum fratrem accitum [1], bello præpoſuit. Interea, Paullini & Celſi ductu, res egregiæ geſtæ.

XXIV. Angebant Cæcinam, nequidquam omnia cœpta [2], & ſeneſcens exercitûs ſui fama: pulſus Placentiâ, cæſis nuper auxiliis, etiam per concurſum exploratorum [3], crebra magis quàm digna memoratu prœlia, inferior, propinquante Fabio Valente, ne omne belli decus illuc concederet, reciperare gloriam, avidiùs quàm conſultiùs, properabat. Ad duodecimum a Cremonâ (locus Caſtorum vocatur [4]) ferociſſimos auxiliarium imminentibus viæ lucis occultos componit: equites « procedere longiùs » juſſi, « & inritato prœlio » ſpontè refugi, feſtinationem ſequentium elicere, donec in» ſidiæ coorirentur. » Proditum id Othonianis ducibus: & curam peditum Paullinus, equitum Celſus, ſumpſere. Tertiædecimæ legionis vexillum, quatuor auxiliorum cohortes,

[1] Fratrem accitum ] Profecturus Otho, quietem Urbis, curaſque Imperii, Titiano fratri permiſerat, ut vidimus ſuprà Hiſt. I, 90.

[2] Cœpta ] Cœpta omnia hactenus irrita.

[3] Exploratorum ] Concurrentibus Vitellianorum & Othonianorum exploratoribus.

[4] Locus Castorum vocatur ] Id eſt *ad Caſtoris*. Supple ædem, vel templum. Suetonius in Oth. IX, Otho *tribus quidem, verùm mediocribus prœliis, apud Alpes, circaque Placentiam, & ad Caſtoris*, *quod loco nomen eſt*, *vicit*. Ex Taciti narratione videtur locum Caſtorum & pugnæ fuiſſe inter fluvios Padum, *le Pô*, & Adduam, *l'Adda*, haud procul oppido, quod nunc dicitur *Pizzighitone*.

& quingenti

A. U. C. 822. J. C. 69.

& quingenti equites in ſiniſtro locantur: aggerem viæ [1] tres prætoriæ cohortes, altis ordinibus [2] obtinuere: dextrâ fronte [3] prima legio inceſſit, cum duabus auxiliaribus cohortibus, & quingentis equitibus. Super hos e prætorio auxiliiſque mille equites, cumulus proſperis, aut ſubſidium laborantibus, ducebantur.

XXV. Antequam miſcerentur acies, terga vertentibus Vitellianis, Celſus doli prudens, repreſſit ſuos. Vitelliani temere exſurgentes, cedente ſenſim Celſo, longiùs ſecuti, ultro in inſidias præcipitantur. nam a lateribus cohortes, legionum adverſa frons, & ſubito diſcurſu terga cinxerant equites. Signum pugnæ non ſtatim a Suetonio Paullino pediti datum: cunctator naturâ, & cui cauta potiùs conſilia cum ratione, quàm proſpera ex caſu placerent, « compleri »foſſas [4], aperiri campum, pandi aciem» jubebat; « ſatis »citò incipi victoriam, ubi proviſum foret ne vincerentur». Eâ cunctatione, ſpatium Vitellianis datum, in vineas, nexu traducum [5] impeditas, refugiendi. Et modica ſilva adhærebat, unde rurſus auſi, promptiſſimos prætorianorum equitum interfecere: vulneratur rex Epiphanes [6], impigre pro Othone pugnam ciens.

XXVI. Tum Othonianus pedes erupit: protritâ hoſtium acie, verſi in fugam, etiam qui ſubveniebant: nam Cæcina non ſimul cohortes, ſed ſingulas acciverat: quæ res in prœ-

[1] Aggerem viæ ] Viæ Poſtumiæ, ut infrà Hiſt. III, 21.

[2] Altis ordinibus ] Gallicè diceremus *en colonne*: ubi anguſta frons, ac proinde plures altique ordines.

[3] Dextra fronte ] Id eſt dextro cornu, Gallicè *l'aile droite*. Sic Claudianus in Rufinum II, 174.

*Armentis frons læva datur; per cornua Gallos*
*Dexteriora locat.*

[4] Compleri fossas ] Hæc ne accipias de foſſis caſtrorum, a quibus longè aberant; ſed de foſſis, quas incolæ fecerant ad recipiendas aquas, & ad exſiccandos agros, ut in planis locis mos eſt, hodieque etiam paſſim fit in illâ Italiæ parte, & in aliis quæ in planitiem extenduntur; ut rectè obſervavit Pichena.

[5] Nexu traducum ] Nexis ſurculis impeditas.

[6] Rex Epiphanes ] Epiphanes filius Antiochi IV, Commagenorum regis, de quo ſæpe ſuprà in libris Annalium, frater Callinici. Epiphanem & Callinicum exhibet nummus æreus, quem publicavit Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Rois*, pag. 124. In laureà, caper in piſcem deſinens, ſuprà ſtella, infrà ancora, ΚΟΜΜΑΓΗΝΩΝ, *Commagenorum*. Ex alterâ parte, duo juvenes Principes, equis inſidentes, ΒΑϹΙΛΕΩϹ ΥΙΟΙ, id eſt *regis filii*. Rex autem dicitur Epiphanes, quòd filius eſſet regis.

A. U. C. 822. J. C. 69.

lio trepidationem auxit, cùm diſperſos, nec uſquam validos, pavor fugientium abriperet. Orta & in caſtris ſeditio, quod non univerſi ducerentur. Vinctus præfectus caſtrorum Julius Gratus, « tamquam fratri apud Othonem militanti proditio-» nem ageret » : cùm fratrem ejus Julium Frontonem, tribunum, Othoniani ſub eodem crimine vinxiſſent. Ceterùm ea ubique formido fuit, apud fugientes, occurſantes, in acie, pro vallo, ut « deleri cum univerſo exercitu Cæcinam po-» tuiſſe, ni Suetonius Paullinus receptui ceciniſſet », utriſque in partibus percrebuerit. « Timuiſſe ſe » Paullinus ferebat, « tantum inſuper laboris atque itineris, ne Vitellianus miles, » recens e caſtris, feſſos adgrederetur, & perculſis nullum » retro ſubſidium foret » : apud paucos ea ducis ratio probata, in vulgus adverſo rumore fuit.

XXVII. Haud perinde id damnum Vitellianos in metum compulit, quàm ad modeſtiam compoſuit: nec ſolùm apud Cæcinam, qui « culpam in militem » conferebat, « ſe-» ditioni magis quàm prœlio paratum » : Fabii quoque Valentis copiæ (jam enim Ticinum [1] venerat) poſito hoſtium contemptu, & recuperandi decoris cupidine, reverentiùs & æqualiùs duci parebant. Gravis alioquin ſeditio exarſerat, quam altiore initio (neque enim rerum a Cæcinâ geſtarum ordinem interrumpi oportuerat) repetam. Cohortes Batavorum, quas bello Neronis a quartadecimâ legione digreſſas, cùm Britanniam peterent, audito Vitellii motu, in civitate Lingonum Fabio Valenti adjunctas retulimus [2], ſuperbè agebant, ut cujuſque [3] legionis tentoria acceſſiſſent, « coerci-» tos a ſe quartadecimanos, ablatam Neroni Italiam, atque » omnem belli fortunam in ipſorum manu ſitam », jactantes. Contumelioſum id militibus, acerbum duci: corrupta jurgiis aut rixis diſciplina: ad poſtremum Valens e petulantiâ [4] etiam perfidiam ſuſpectabat.

[1] Ticinum ] *Pavie.*

[2] Retulimus ] Suprà Hiſt. I, 59 & 64.

[3] Ut cujusque ] *Ut*, id eſt *ubi*, *cùm*.

[4] E petulantia ] Cohortium Batavorum.

XXVIII. Igitur nuntio allato, « pulſam Treverorum alam [1] Tungroſque a claſſe Othonis, & Narbonenſem Galliam circumiri » ; ſimul curâ ſocios tuendi, & militari aſtu, cohortes turbidas, ac, ſi unà forent, prævalidas, diſpergendi, partem Batavorum « ire in ſubſidium [2] » jubet. Quod ubi auditum, vulgatumque, mærere ſocii, fremere legiones, « orbari ſe fortiſſimorum virorum auxilio: veteres illos & tot bellorum victores, poſtquam in conſpectu ſit hoſtis, velut ex acie abduci: ſi provincia [3] Urbe & ſalute imperii potior ſit, omnes illuc ſequerentur: ſin victoriæ ſanitas, ſuſtentaculum, columen in Italiâ verteretur, non abrumpendos, ut corpori, validiſſimos artus ».

A. U. C. 822. J. C. 69.

XXIX. Hæc ferociter jactando, poſtquam, immiſſis lictoribus, Valens coercere ſeditionem cœptabat, ipſum invadunt, ſaxa jaciunt, fugientem ſequuntur. « Spolia Galliarum, & Viennenſium aurum [4], & pretia laborum ſuorum occultare » clamitantes, direptis ſarcinis, tabernacula ducis, ipſamque humum pilis & lanceis rimabantur: nam Valens, ſervili veſte, apud decurionem equitum tegebatur. Tum Alphenus Varus, præfectus caſtrorum, deflagrante paullatim ſeditione, addit conſilium, vetitis obire vigilias centurionibus [5], omiſſo tubæ ſono, quo miles ad belli munia cietur. Igitur torpere cuncti, circumſpectare inter ſe attoniti: & id ipſum, quòd nemo regeret, paventes; ſilentio, patientiâ, poſtremò precibus ac lacrimis veniam quærebant. Ut verò deformis & flens, & præter ſpem incolumis Valens proceſſit, gaudium, miſeratio, favor: verſi in lætitiam (ut eſt vulgus utroque immodicum) laudantes gratanteſque, circumdatum aquilis ſigniſque, in tribunal ferunt. Ille, utili moderatione, non ſupplicium cujuſquam popoſcit: ac ne diſſimumulans ſuſpectior foret, paucos incuſavit [6]: gnarus civilibus

[1] Treverorum alam ] Vide ſuprà Hiſt. II, 14.

[2] In subsidium ] Narbonenſis Galliæ.

[3] Provincia ] Gallia Narbonenſis.

[4] Viennensium aurum ] Valentem magnâ Viennenſium pecuniâ emptum vidimus ſuprà Hiſt. I, 66.

[5] Vigilias obire centurionibus ] De hoc uſu vide ſuprà Annal. XV, 30.

[6] Paucos incusavit ] Fruſtra Lip-

bellis plus militibus, quàm ducibus, licere[1].

A. U. C. 822. J. C. 69.

XXX. Munientibus caſtra apud Ticinum, de adverſâ Cæcinæ pugnâ allatum, & propè renovata ſeditio, « tamquam » fraude & cunctationibus Valentis prœlio defuiſſent ». Nolle requiem, non exſpectare ducem, anteire ſigna, urgere ſigniferos: rapido agmine Cæcinæ junguntur. Improſpera Valentis fama apud exercitum Cæcinæ erat: « expoſitos ſe tanto pau» ciores integris hoſtium viribus » querebantur, ſimul in ſuam excuſationem, & adventantium robur per adulationem attollentes, ne ut victi & ignavi deſpectarentur. Et quamquam plus virium, propè duplicatus legionum auxiliorumque numerus erat Valenti, ſtudia tamen militum in Cæcinam inclinabant; ſuper benignitatem animi, quâ promptior habebatur, etiam vigore ætatis[2], proceritate corporis, & quodam inani favore[3]. Hinc æmulatio ducibus. Cæcina, « ut fœdum & ma» culoſum[4] »: ille, « ut vanum ac tumidum », inridebant. Sed condito odio, eamdem utilitatem fovere, crebris epiſtolis, ſine reſpectu veniæ, probra Othoni objectantes: cùm duces partium Othonis, quamvis uberrimâ conviciorum in Vitellium materiâ, abſtinerent.

XXXI. Sane ante utriuſque exitum, quo egregiam Otho famam, Vitellius flagitioſiſſimam, meruere, minùs Vitellii ignavæ voluptates, quàm Othonis flagrantiſſimæ libidines timebantur. Addiderat huic terrorem atque odium cædes Galbæ; contrà, illi initium belli nemo imputabat[5]. Vitellius,

ſius legit, *paucis*: quaſi id ad brevitatem orationis referatur, non ad eos, qui peccarant; quòd ſanè omnes in hac culpâ, nec excerpi pauci potuere. Vir eruditus non attendit ad ducis induſtriam, jam laudatam ſuprà Hiſt. I, 84 & 85. Cùm plures peccaverint, in paucos animadvertitur, optimo ſeveritatis modo.

[1] Licere ] Cauſam hujus licentiæ animosè expreſſit Lucanus, V, 290.

*Facinus, quos inquinat, æquat.*

[2] Vigore ætatis ] Vide ſupra Hiſt. I, 53.

[3] Quodam inani favore ] Etiam ſpecie inanium validus, ut de Corbulone dictum eſt ſuprà Annal. XIII, 8. Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. II, 30.

[4] Et maculosum ] Valentem, avaritiâ ac libidine fœdum & maculoſum, vidimus ſuprà Hiſt. I, *66*.

[5] Nemo imputabat ] Cùm ſegne eſſet Vitellio ingenium, illi initium belli nemo imputabat. Inde, licèt prior in bellum prorupiſſet, a ſuis tractus videbatur.

ventre & gulâ ſibi ipſi hoſtis; Otho, luxu, ſævitiâ, audaciâ, reipublicæ exitioſior ducebatur. Conjunctis Cæcinæ ac Valentis copiis, nulla ultrà penes Vitellianos mora, quin totis viribus certarent. Otho conſultavit, « trahi bellum, an fortu» nam experiri placeret». Tum Suetonius Paullinus, dignum famâ ſuâ ratus, quâ nemo illâ tempeſtate militaris rei callidior habebatur, de toto genere belli cenſere; « feſtinationem hoſ» tibus, moram ipſis utilem » diſſeruit.

A. U. C. 822. J. C. 69.

XXXII. « Exercitum Vitellii univerſum adveniſſe, » nec multum virium a tergo, quoniam Galliæ tumeant [1], & » deſerere Rheni ripam, inrupturis tam infeſtis [2] nationibus, » non conducat: Britannicum militem hoſte & mari diſtineri: » Hiſpanias armis non ita redundare: provinciam Narbo» nenſem incurſu claſſis & adverſo prœlio contremuiſſe: » clauſam Alpibus, & nullo maris ſubſidio, Tranſpadanam » Italiam, atque ipſo tranſitu exercitûs vaſtam [3]: non frumen» tum uſquam exercitui: nec exercitum ſine copiis [4] retineri » poſſe. Jam Germanos, quod genus militum apud hoſtes atro» ciſſimum ſit, tracto in æſtatem bello, fluxis corporibus, » mutationem ſoli cælique haud toleraturos. Multa bella im» petu valida, per tædia & moras evanuiſſe. Contrà, ipſis » omnia opulenta, & fida: Pannoniam, Mœſiam, Dalmatiam, » Orientem, cum integris exercitibus; Italiam, & caput » rerum Urbem; ſenatumque & populum, numquam obſcura » nomina, etſi aliquando obumbrentur: publicas privataſque » opes, & immenſam pecuniam, inter civiles diſcordias ferro » validiorem: corpora militum aut Italiæ ſueta, aut æſtibus. » Objacere flumen Padum, tutas viris muriſque urbes; e qui» bus nullam hoſti ceſſuram, Placentiæ defenſione explora-

[1] Galliæ tumeant ] Exquiſitè dictum: tument Galliæ, in rebellionem adversùs Vitellium citò erupturæ. Sic Tullius Epiſt. ad Atticum XIV, 4. *Tument negotia .... horribile eſt quæ loquantur, quæ minitentur; ac vereor Gallica etiam bella.* Sic quoque Plinius in Panegyric. cap. 28. *Obtuliſti enim congiarium gaudentibus gaudens, ſecuraſque ſecuris: quod antea Principes ad odium ſui leniendum tumentibus plebis animis objectabant.*

[2] Tam infestis ] Germanorum nationibus.

[3] Vastam ] Eleganter dictum pro vallatam.

[4] Sine copiis ] Sine commeatibus, ſine cibariis.

A. U. C. 822. J. C. 69.

»tum. Proinde duceret bellum: paucis diebus quartamdeci»mam legionem [1], magnâ ipſam famâ, cum Mœſiacis copiis »adfore: tum rurſus deliberaturum, &, ſi prœlium placuiſſet, »auctis viribus certaturos».

XXXIII. Accedebat ſententiæ Paullini Marius Celſus: « idem placere Annio Gallo », paucos ante dies lapſu equi adflicto, miſſi, qui conſilium ejus ſciſcitarentur, retulerant. Otho pronus ad decertandum: frater ejus Titianus, & præfectus prætorii Proculus, imperitiâ properantes, « fortunam, & deos, & numen Othonis adeſſe conſiliis, »adfore conatibus », teſtabantur: neu quis obviam ire ſententiæ auderet, in adulationem conceſſerant. Poſtquam pugnari placitum, « intereſſe pugnæ Imperatorem, an ſeponi »melius foret», dubitavere. Paullino & Celſo jam non adverſantibus, ne Principem objectare periculis viderentur, iidem illi deterioris conſilii auctores perpulere, « ut Brixel»lum [2] concederet, ac dubiis prœliorum exemptus, ſummæ »rerum & imperii ſe ipſum reſervaret ». Is primus dies Othonianas partes adflixit: namque & cum ipſo prætoriarum cohortium, & ſpeculatorum, equitumque, valida manus diſceſſit; & remanentium fractus animus: quando ſuſpecti duces, & Otho, cui uni apud militem fides, dum & ipſe non niſi militibus credit, imperia ducum in incerto [3] reliquerat.

XXXIV. Nihil eorum Vitellianos fallebat, crebris, ut in civili bello, transfugiis; & exploratores curâ diverſa ſciſcitandi, ſua non occultabant. Quieti intentique Cæcina ac Valens, quando hoſtis imprudentiâ rueret, quod loco ſapientiæ eſt, alienam ſtultitiam opperiebantur, inchoato ponte tranſitum Padi ſimulantes, adversùs oppoſitam gladiatorum manum [4], ac ne ipſorum miles ſegne otium tereret. Naves, pari inter

[1] Quartamdecimam legionem ] De quâ ſuprà Hiſt. II, 11.

[2] Brixellum ] Hodie *Breſello*, *dans le duché de Reggio*.

[3] In incerto ] Suſpectis ducibus, abſente Othone, cui uni fidebat miles, qui & ipſe non niſi militibus credebat, incerta erant ducum imperia.

[4] Gladiatorum manum ] Duo millia gladiatorum, deforme auxilium in partibus Othonianis, ut vidimus ſuprà Hiſt. II, 11.

ſe ſpatio, validis utrimque trabibus connexæ, adverſum in flumen dirigebantur, jactis ſuper ancoris, quæ firmitatem pontis continerent. Sed ancorarum funes non extenti fluitabant, ut, augeſcente flumine, inoffenſus ordo navium attolleretur. Claudebat pontem impoſita turris, & in extremam navem educta: unde tormentis ac machinis hoſtes propulſarentur.

A. U. C. 822. J. C. 69.

XXXV. Othoniani in ripâ turrim ſtruxerant, ſaxaque & faces jaculabantur. Et erat inſula amne medio, in quam gladiatores navibus molientes, Germani nando prælabebantur. Ac fortè plures tranſgreſſos, completis liburnicis, per promptiſſimos gladiatorum Macer adgreditur. Sed neque ea conſtantia gladiatoribus ad prœlia, quæ militibus; nec perinde nutantes e navibus, quàm ſtabili gradu e ripâ, vulnera dirigebant. Et cùm variis trepidantium inclinationibus, mixti remiges propugnatoreſque turbarentur, deſilire in vada ultro Germani, retentare puppes, ſcandere foros [1], aut cominus mergere: quæ cuncta in oculis utriuſque exercitûs, quantò lætiora Vitellianis, tantò acriùs Othoniani cauſam auctoremque cladis [2] deteſtabantur.

XXXVI. Et prœlium quidem, abruptis [3] quæ ſupererant navibus, fugâ diremptum: Macer ad exitium poſcebatur. Jamque vulneratum eminus lanceâ, ſtrictis gladiis invaſerant, cùm intercurſu tribunorum centurionumque protegitur. Nec multò poſt, Veſtricius Spurinna, juſſu Othonis, relicto Placentiæ modico præſidio, cum cohortibus ſubvenit. Dein Flavium Sabinum, conſulem deſignatum, Otho rectorem copiis miſit, quibus Macer præfuerat; læto milite ad mutationem ducum, & ducibus, ob crebras ſeditiones, tam infeſtam militiam aſpernantibus.

XXXVII. Invenio apud quoſdam auctores, « pavore » belli, ſeu faſtidio utriuſque Principis, quorum flagitia ac de» decus apertiore in dies famâ noſcebantur, dubitaſſe exerci-

[1] Scandere foros ] Othonianarum navium tabulata ſcandere.

[2] Auctoremque cladis ] Macrum.

[3] Abruptis ] Meliùs *abreptis*. Siquidem prœlium fugâ diremptum. Naves, quæ ſupererant, abreptæ, ut fugerent.

A. U. C. 822. J. C. 69.

»tus, num, poſito certamine, vel ipſi in medium conſultarent, vel ſenatui permitterent legere Imperatorem. Atque eò »duces Othonianos ſpatium ac moras ſuaſiſſe, præcipuè Paullinum; quod vetuſtiſſimus conſularium, & militiâ clarus, gloriam nomenque Britannicis expeditionibus [1] meruiſſet». Ego ut conceſſerim, apud paucos, tacito voto, quietem pro diſcordiâ, bonum & innocentem Principem, pro peſſimis ac flagitioſiſſimis expetitum: ita neque Paullinum, quâ prudentiâ fuit, ſperaſſe, corruptiſſimo ſæculo, tantam vulgi moderationem, reor, ut, qui pacem belli amore turbaverant, bellum pacis caritate deponerent: neque aut exercitus linguis moribuſque diſſonos, in hunc conſenſum potuiſſe coaleſcere, aut legatos ac duces, magnâ ex parte luxûs, egeſtatis, ſcelerum ſibi conſcios, niſi pollutum obſtrictumque meritis ſuis Principem paſſuros.

XXXVIII. Vetus, ac jam pridem inſita mortalibus potentiæ cupido [2], cum imperii magnitudine adolevit, erupitque. Nam rebus modicis, æqualitas facilè habebatur: ſed ubi ſubacto orbe, & æmulis urbibus [3] regibuſve exciſis, ſecuras opes concupiſcere vacuum fuit [4], prima inter patres plebemque certamina exarſere. Modo turbulenti tribuni, modò conſules prævalidi, & in Urbe ac foro tentamenta civilium bellorum. Mox e plebe infimâ [5], C. Marius, & nobilium ſæviſſimus L. Sulla, victam armis libertatem in dominationem verterunt. Poſt quos Cn. Pompeius occultior, non melior. Et numquam poſtea, niſi de

[1] Expeditionibus] De quibus ſæpe ſuprà Annal. XIV.

[2] Potentiæ cupido] Ita ferme Salluſtius Jugurth. VI. *Natura mortalium avida imperii, & præceps ad explendam animi cupidinem.*

[3] Urbibus] Carthagine maximè ac Numantiâ.

[4] Concupiſcere vacuum fuit] Nec aliter Salluſtius Fragm. Hiſt. I, 3. *Poſtquam, remoto metu Punico, ſimultates exercere vacuum fuit, plurimæ turbæ, ſeditiones, & ad poſtremum bella civilia orta ſunt.* His Salluſtianis imitationibus, non deteritur, ſed plurimùm commendatur ars Taciti; qui, egregium ducem ſequutus, ſe parem ſuperioremve præſtitit, cùm immenſas Romanorum res & cupidines tam validis verbis ſenſibuſque coercuit. *Securas* autem *opes concupiſcere vacuum fuit*, rectè explicat Illuſtr. Huetius: non amplius neceſſe fuit ſecuritati partarum opum proſpicere.

[5] E plebe infimâ] Quia plebeia erat Mariorum familia. Verè de Mario Velleius Patercul. II, 11. *Caius Marius, natus equeſtri loco, hirtus atque horridus, vitâque ſanctus, quantùm bello optimus, tantùm pace peſſimus, immodicus gloriæ, inſatiabilis, impotens, ſemperque inquietus.*

principatu

A. U. C. 822. J. C. 69.

principatu quæſitum. Non diſceſſere ab armis in Pharſaliâ ac Philippis [1] civium legiones; nedum Othonis ac Vitellii exercitus ſponte poſituri bellum fuerint. Eadem illos deûm ira, eadem hominum rabies, eædem ſcelerum cauſæ in diſcordiam egêre. Quod ſingulis velut ictibus tranſacta ſunt bella, ignaviâ Principum factum eſt. Sed me veterum novorumque morum reputatio longiùs tulit: nunc ad rerum ordinem venio.

XXXIX. Profecto Brixellum Othone, honor imperii penes Titianum fratrem, vis ac poteſtates penes Proculum, præfectum [2]. Celſus & Paullinus, cùm prudentiâ eorum nemo uteretur, inani nomine ducum, alienæ culpæ prætendebantur: tribuni centurioneſque ambigui [3], quòd, ſpretis melioribus, deterrimi valebant: miles alacer, qui tamen juſſa ducum interpretari, quàm exſequi, mallet. Promoveri ad quartum a Bebriaco [4] caſtra placuit, adeò imperitè, ut quamquam verno tempore anni, & tot circùm amnibus [5], penuriâ aquæ fatigarentur. Ibi de prœlio dubitatum, Othone per literas flagitante, ut maturarent; militibus, ut Imperator pugnæ adeſſet, poſcentibus: plerique copias trans Padum agentes acciri poſtulabant. Nec perinde dijudicari poteſt, quid optimum factu fuerit, quàm peſſimum fuiſſe, quod factum eſt.

XL. Non ut ad pugnam, ſed ad bellandum [6] profecti, confluentes Padi & Adduæ [7] fluminum, ſedecim inde millium ſpatio diſtantes, petebant. Celſo & Paullino abnuentibus, « militem itinere feſſum, ſarcinis gravem, objicere hoſti, non adduro, quominus expeditus, & vix quatuor millia paſſuum [8]

[1] Pharsalia ac Philippis ] De quibus jam ſuprà Hiſt. I, 50.

[2] Præfectum ] Præfectum prætorii, ut ſæpe dictum eſt.

[3] Ambigui ] Id eſt, incerti quid agerent; ut explicat Illuſtr. Huetius.

[4] Ad quartum a Bebriaco ] Ac proinde prope locum qui nunc dicitur *Tor Anzolini*, inter amnes *Ollio* & *Dermona*. Plutarchus in Oth. pag. 1071, ait Proculum caſtra metatum fuiſſe ad ſextum ferme lapidem, Ὁ Πρόκλος κατεστρατοπέδευσεν ἀπὸ πεντήκοντα σταδίων.

[5] Tot circum amnibus ] Vix enim in ullo terrarum tractu plures, quam hìc, amnes.

[6] Ad bellandum ] Ad decretorium certamen, quo bellum profligaretur. Fortè ſcriptum olim *ad debellandum*.

[7] Confluentes Padi et Adduæ ] Nunc *Bocca d'Adda*, prope *Caſtel nuovo*. Plutarchus numerat tantùm duodecim millia paſſuum, Οὐκ ἐλάττονα σταδίων ἑκατόν. quod non intervallum uſque ad confluentes Padi & Adduæ deſignat, ſed quouſque procedere voluerit exercitus Othonianus.

[8] Vix quatuor millia passuum ] Vitellianus exercitus expeditus, & vix quatuor millia paſſuum a caſtris ſuis,

A. U. C. 822. J. C. 69.

»progreſſus, aut incompoſitos in agmine, aut diſperſos, & »vallum molientes adgrederetur». Titianus & Proculus, ubi conſiliis vincerentur, ad jus imperii tranſibant. Aderat ſanè citus equo Numida [1], cum atrocibus mandatis, quibus Otho, increpitâ « ducum ſegnitiâ, rem in diſcrimen mitti » jubebat; æger morâ, & ſpei impatiens.

XLI. Eadem die, ad Cæcinam, operi pontis intentum, duo prætoriarum cohortium tribuni, colloquium ejus poſtulantes, venerunt. Audire conditiones, ac reddere parabat, cùm præcipites exploratores adeſſe hoſtem nuntiavere. Interruptus tribunorum ſermo: eóque incertum fuit, inſidias, an proditionem, vel aliquod honeſtum conſilium cœptaverint. Cæcina, dimiſſis tribunis, revectus in caſtra, datum, juſſu Fabii Valentis, pugnæ ſignum, & militem in armis invenit. Dum legiones de ordine agminis ſortiuntur, equites prorupere: &, mirum dictu, a paucioribus Othonianis, quominus in vallum impingerentur, Italicæ legionis virtute deterriti ſunt: ea ſtrictis mucronibus, redire pulſos, & pugnam reſumere coegit. Diſpoſita Vitellianarum legionum acies, ſine trepidatione: etenim, quamquam vicino hoſte, aſpectus armorum denſis arbuſtis prohibebatur: apud Othonianos, pavidi duces, miles ducibus infenſus, mixta vehicula & lixæ, & præruptis utrimque foſſis, via quieto quoque agmini anguſta. Circumſiſtere alii ſigna ſua, quærere alii: incertus undique clamor, adcurrentium, vocitantium: &, ut cuique audacia, vel formido, in primam poſtremamve aciem prorumpebant, vel revehebantur.

XLII. Attonitas ſubito terrore mentes, falſum gaudium in languorem vertit, repertis, qui « deſciviſſe a Vitel»lio exercitum » ementirentur. Is rumor, ab exploratoribus Vitellii diſperſus, an in ipſâ Othonis parte, ſeu dolo, ſeu

quæ haud procul Cremonâ fuere, progreſſus, Othonianos, aut incompoſitos in agmine, aut diſperſos & vallum molientes, certiſſimè erat aggreſſurus.

[1] Numida ] Tunc in luxu Romano plurimus fuit curſorum, Numidarumque equitum uſus. Unde Seneca Epiſt. CXXIII. *Omnes jam ſic peregrinantur, ut illos Numidarum præcurrat equitatus, ut agmen curſorum antecedat: turpe eſt, nullos eſſe, qui occurrentes viâ dejiciant, qui honeſtum hominem venire magno pulvere oſtendant.*

A. U. C. 822. J. C. 69.

fortè [1] ſurrexerit, parum compertum. Omiſſo pugnæ ardore, Othoniani ultro ſalutavere: & hoſtili murmure excepti, pleriſque ſuorum ignaris [2], quæ cauſa ſalutandi, metum proditionis fecere. Tum incubuit hoſtium acies, integris ordinibus, robore & numero præſtantior. Othoniani, quamquam diſperſi, pauciores, feſſi, prœlium tamen acriter ſumpſere: & per locos, arboribus ac vineis impeditos, non una pugnæ facies: cominus, eminuſque, catervis & cuneis, concurrebant: in aggere viæ [3], collato gradu, corporibus & umbonibus niti, omiſſo pilorum jactu, gladiis & ſecuribus galeas loricaſque perrumpere: noſcentes inter ſe [4], ceteris conſpicui, in eventum totius belli certabant.

XLIII. Forte inter Padum viamque, patenti campo, duæ legiones congreſſæ ſunt: pro Vitellio unaetviceſima, cui cognomen *Rapaci* [5], vetere gloriâ inſignis: e parte Othonis, prima Adjutrix, non antè in aciem deducta, ſed ferox, & novi decoris avida. Primani, ſtratis unaetviceſimanorum principiis [6], aquilam abſtulere: quo dolore accenſa legio, & impulit rurſus [7] primanos, interfecto Orphidio Benigno legato, & plurima ſigna vexillaque ex hoſtibus rapuit. A parte aliâ, propulſa quintanorum impetu tertiadecima legio [8]: circumventi plurium accurſu quartadecimani. Et ducibus Othonis jam pridem profugis, Cæcina ac Valens ſubſidiis ſuos firmabant.

[1] Seu dolo, seu forte ] Dolum innuit Suetonius in Othone IX. *Noviſſimo maximoque* prœlio *apud Bedriacum fraude ſuperatus eſt: cùm ſpe colloquii factâ, quaſi ad conditionem pacis militibus eductis, ex improviſo, atque in ipſâ conſalutatione dimicandum fuiſſet.*

[2] Plerisque suorum ignaris ] Pleriſque Vitellianorum ignaris, quæ eſſet cauſa ſalutandi, metum proditionis fecere Othoniani.

[3] In aggere viæ ] Sic ſæpe pugnatum vidimus in viarum aggeribus, ſuprà Annal. II, 20. &c.

[4] Noscentes inter se ] Hæc accipe de his, qui in aggere viæ gradum conferebant: ſe invicem noſcentes, ceteris conſpicui, certabant, quaſi ab ipſis totius belli eventus penderet. Vide infrà cap. 45, fratres, propinquos in diverſo exercitu.

[5] Cui cognomen Rapaci ] Multa legionum cognomina memoravi in Notis & Emend. ad Hiſt. II, 6. Vide adhuc eaſdem Notas & Emend. ad Hiſt. II, 43.

[6] Principiis ] Id eſt ſtratis lectiſſimis militibus, qui legionis uniuſetviceſimæ primos ordines tuebantur.

[7] Impulit rursus ] *Rurſus*, id eſt vice verſâ impulit primanos, ſeu legionem primam Adjutricem; ut rectè explicat Pichena.

[8] Tertiadecima legio ] Quinta legio pro Vitellio, tertiadecima & quartadecima pro Othone ſtabant, ut vidimus ſuprà Hiſt. I, 55. & Hiſt. II, 11 & 32.

A. U. C. 822. J. C. 69. Acceſſit recens auxilium, Varus Alphenus cum Batavis, fusâ gladiatorum manu [1], quam navibus tranſvectam, oppoſitæ cohortes in ipſo flumine trucidaverant. Ita victores latus hoſtium invecti.

XLIV. Et mediâ acie perruptâ, fugêre paſſim Othoniani, Bebriacum petentes. Immenſum id ſpatium: obſtructæ ſtrage corporum viæ: quò plus cædis fuit: neque enim [2] civilibus bellis, capti in prædam vertuntur. Suetonius Paullinus, & Licinius Proculus, diverſis itineribus, caſtra vitavere [3]. Vedium Aquilam, tertiædecimæ legionis legatum, iræ militum inconſultus pavor obtulit. Multo adhuc die vallum ingreſſus, clamore ſeditioſorum & fugacium circumſtrepitur: non probris, non manibus abſtinent: « deſertorem proditoremque » increpant; nullo proprio crimine ejus, ſed, more vulgi, ſuum quiſque flagitium aliis objectantes. Titianum & Celſum nox juvit [4], diſpoſitis jam excubiis, compreſſiſque militibus, quos Annius Gallus precibus, conſilio, auctoritate flexerat, « ne » ſuper cladem adverſæ pugnæ, ſuiſmet ipſi cædibus ſævirent: » ſive finis bello veniſſet, ſeu reſumere arma mallent, unicum » victis in conſenſu levamentum ». Ceteris fractus animus. Prætorianus miles, « non virtute ſe, ſed proditione victum » fremebat. « Ne Vitellianis quidem incruentam fuiſſe victoriam, » pulſo equite, raptâ legionis aquilâ [5]: ſupereſſe cum ipſo Otho» ne militum quod trans Padum fuerit: venire Mœſicas legio» nes: magnam exercitûs partem Bebriaci remanſiſſe: hos cer» tè nondum victos; &, ſi ita ferret, honeſtiùs in acie peritu» ros ». His cogitationibus truces aut pavidi, extremâ deſperatione ad iram ſæpius, quàm in formidinem, ſtimulabantur.

XLV. At Vitellianus exercitus, ad quintum a Bebriaco

[1] Gladiatorum manu] Suprà Hiſt. II, 35.

[2] Neque enim] Inde tot cædes, cùm in bellis civilibus nullus ſit captivorum uſus. Χρῆσθαι γὰρ οὐκ ἔστι τοῖς ἁλισκομένοις. Plutarch. in Othon. pag. 1073. Ingentem verò cæſorum in hac pugnâ ſtruem vide apud Plutarchum loc. cit.

[3] Castra vitavere] Furorem militum veriti: Ἐξέκλιναν δεδιότες τοὺς στρατιώτας. Plutarch. in Othon. pag. 1072.

[4] Celsum nox juvit] Plutarchus plura & quædam diverſa narrat, quæ vide in Notis & Emendationibus ad Hiſt. II, 44.

[5] Legionis aquila] Legionis uniuſetviceſimæ.

lapidem [1] conſedit, non auſis ducibus eâdem die oppugnationem caſtrorum: ſimul voluntaria deditio ſperabatur. Sed expeditis, & tantum ad prœlium egreſſis, munimentum fuere arma & victoria. Poſterâ die, haud ambiguâ Othoniani exercitûs voluntate, & qui ferociores fuerant ad pœnitentiam inclinantibus, miſſa legatio, nec apud duces Vitellianos dubitatum, quominus pacem concederent. Legati paulliſper retenti: ea res hæſitationem attulit, ignaris adhuc [2] an impetraſſent. Mox remiſsâ legatione, patuit vallum. Tum victi victoreſque in lacrimas effuſi, ſortem civilium armorum miſerâ lætitiâ deteſtantes. Iiſdem tentoriis, alii fratrum, alii propinquorum vulnera fovebant. Spes & præmia in ambiguo [3]; certa funera & luctus. Nec quiſquam adeo mali expers, ut non aliquam mortem mæreret. Requiſitum Orphidii legati corpus, honore ſolito crematur. Paucos neceſſarii ipſorum ſepelivere: ceterum vulgus, ſuper humum relictum.

A. U. C. 822. J. C. 69.

XLVI. Opperiebatur Otho nuntium pugnæ, nequaquam trepidus, & conſilii certus: mæſta primùm fama, dein profugi e prœlio perditas res patefaciunt. Non exſpectavit militum ardor vocem Imperatoris: « bonum habere animum » jubebant: « ſupereſſe adhuc novas vires, & ipſos extrema paſ» ſuros, auſuroſque »: neque erat adulatio. Ire in aciem, excitare partium fortunam, furore quodam & inſtinctu flagrabant: qui procul adſtiterant, tendere manus, & proximi prenſare genua; promptiſſimo Plotio Firmo. Is prætorii præfectus, identidem orabat, « ne fidiſſimum exercitum, ne optimè meritos mili» tes deſereret: majore animo tolerari adverſa [4], quàm relinqui. » fortes & ſtrenuos, etiam contra fortunam, inſiſtere ſpei [5]; » timidos & ignavos ad deſperationem formidine properare ».

[1] Ad quintum a Bedriaco lapidem ] Ergo non procul loco, qui nunc dicitur *Tor Anzolini*.

[2] Ignaris adhuc ] Ignaris adhuc Othonianis an pacem impetraſſent. Mox remiſſâ legatione, patuit vallum, exceptique Vitelliani.

[3] In ambiguo ] Ob ſuperſtites partium duces Othonem & Vitellium.

[4] Majore animo tolerari adversa ] Verè egregiéque dictum. Miror eruditum Lipſium hìc patrocinari Stoicis, qui cœco furore mortem quærebant, ne adverſa experirentur. Hac de re jam dictum ſuprà in Notis & Emendationibus ad Annal. VI, 29.

[5] Insistere spei ] Inde Florus IV, 8. *[illegible]*

A. U. C. 822. I. C. 69.

Quas inter voces, ut flexerat vultum, aut induraverat Otho, clamor & gemitus [1]. Nec prætoriani tantum, proprius Othonis miles, ſed præmiſſi e Mœſiâ, « eamdem obſtinationem ad» ventantis exercitûs, legiones Aquileiam ingreſſas [2], » nuntiabant: ut nemo dubitet potuiſſe renovari bellum atrox, lugubre, incertum victis, & victoribus.

XLVII. Ipse averſus a conſiliis belli [3], « Hunc » inquit, « animum, hanc virtutem veſtram ultrà periculis objicere, » nimis grande vitæ meæ pretium puto. Quanto plus ſpei » oſtenditis, ſi vivere placeret, tanto pulchrior mors erit. Ex» perti invicem ſumus, ego ac fortuna: nec tempus computa» veritis: difficilius eſt temperare felicitati, quâ te non putes » diu uſurum. Civile bellum a Vitellio cœpit: & ut de prin» cipatu certaremus armis, initium illic fuit: ne pluſquam ſe» mel certemus, penes me exemplum erit: hinc Othonem poſ» teritas æſtimet. Fruetur Vitellius fratre, conjuge, liberis: mi» hi non ultione [4], neque ſolatiis opus eſt. Alii diutius impe» rium tenuerint; nemo tam fortiter reliquerit. An ego tantum » Romanæ pubis, tot egregios exercitus, ſterni rurſus, & rei» publicæ eripi patiar? Eat hic mecum animus [5], tamquam pe-

[1] Clamor et gemitus ] Clamor lætantium, ubi ad vitam vultum flexerat; gemitus dolentium, cùm ad mortem induraverat.

[2] Legiones Aquileiam ingressas ] Legiones tertiam, ſeptimam & octavam, ut dicetur infrà cap. 85. Errare autem videtur Suetonius in Veſpaſ. VI, cùm ſcribit *Mœſiaci exercitûs bina tantùm e tribus legionibus millia miſſa auxilio Othoni.* Aquileia, ſervato adhuc nomine, *Aquilée dans le Frioul.*

[3] Aversus a consiliis belli ] Id ſupremaque Othonis illuſtrat Suetonius in Othone X. *Interfuit huic bello pater meus Suetonius Lenis, tertiædecimæ legionis tribunus anguſticlavius. Is mox referre ſolebat, Othonem etiam privatum uſque adeò deteſtatum civilia arma, ut memorante quodam inter epulas de Caſſii Brutique exitu, cohorruerit: nec concurſurum cum Galbâ fuiſſe, niſi confideret ſine bello rem tranſigi poſſe. Tunc ad deſpiciendam vitam exemplo manipularis militis concitatum: qui cùm cladem exercitûs nuntiaret, ac nunc mendacii, nunc timoris, quaſi fugiſſet ex acie, argueretur, gladio ante pedes ejus incubuerit: hoc viſo, proclamaſſe eum aiebat: Non amplius ſe in periculum tales tamque benemeritos conjecturum. Fratrem igitur fratriſque filium, & ſingulos amicorum cohortatus, ut ſibi quiſque pro facultate conſuleret: ab amplexu & oſculo ſuo dimiſit omnes, ſecretoque captato, binos codicillos exaravit ad ſororem conſolatorios. Sed & ad Meſſalinam Neronis, quam matrimonio deſtinaverat, commendans reliquias ſuas & memoriam. Quidquid deinde epiſtolarum erat, ne cui periculo aut noxæ apud victorem forent, concremavit. Diviſit & pecunias domeſticis ex copiâ præſenti.*

[4] Non ultione ] Noluit enim Otho fratrem, conjugem, liberos Vitellii interficere, eaque malorum ſolatia petere.

[5] Animus ] Eat mecum hic veſter

A. U. C. 822. J. C. 69.

» rituri pro me fueritis ; ſed eſte ſuperſtites : nec diu moremur, » ego incolumitatem veſtram, vos conſtantiam meam. Plura » de extremis loqui, pars ignaviæ eſt : præcipuum deſtinatio» nis meæ documentum habete, quod de nemine queror ; nam » incuſare deos, vel homines, ejus eſt, qui vivere velit ».

XLVIII. Talia locutus, ut cuique ætas aut dignitas, comiter appellatos, « irent properè, neu remanendo iram vic» toris aſperarent », juvenes auctoritate, ſenes precibus movebat : placidus ore, intrepidus verbis, intempeſtivas ſuorum lacrimas coercens. « Dari naves ac vehicula » abeuntibus jubet : libellos epiſtolaſque, ſtudio erga ſe, aut in Vitellium contumeliis inſignes, abolet : pecunias diſtribuit, parcè, nec ut periturus. Mox Salvium Cocceianum, fratris filium [1], primâ juventâ, trepidum & mærentem, ultro ſolatus eſt, laudando « pietatem » ejus, caſtigando « formidinem » : « an Vitellium » tam immitis animi fore, ut pro incolumi totâ domo, ne hanc » quidem ſibi gratiam redderet ? mereri ſe feſtinato exitu cle» mentiam victoris. Non enim ultimâ deſperatione, ſed poſ» cente prœlium exercitu, remiſiſſe reipublicæ noviſſimum ca» ſum. Satis ſibi nominis, ſatis poſteris ſuis nobilitatis quæſi» tum : poſt Julios, Claudios, Servios [2], ſe primum in fami» liam novam imperium intuliſſe : proinde erecto animo capeſ» ſeret vitam, neu patruum ſibi Othonem fuiſſe, aut oblivis» ceretur umquam, aut nimium meminiſſet ».

XLIX. Post quæ, dimotis omnibus, paullum requievit : atque illum, ſupremas jam curas animo volutantem, repens tumultus avertit, nuntiatâ conſternatione ac licentiâ militum : namque abeuntibus exitium minitabantur ; atrociſſimâ in Verginium vi [3], quem clauſâ domo obſidebant : increpitis ſeditio-

animus, jam nobilitatus, tamquam perituri pro me fueritis.

[1] Fratris filium ] Filium Titiani, quem ipſum quoque præſentem fuiſſe ſcribit Suetonius loco ſuprà cit. Quod tamen minimè probabile videtur, ut patet ex cap. 44.

[2] Servios ] Auguſtus, Tiberius, Caius, Juliâ familiâ. Claudius, Nero, Claudiâ ; Galba, Serviâ ; Otho, Salviâ.

[3] In Verginium vi ] Verginius, quem a Galbâ neglectum vidimus ſuprà in Supplemento Annal. XVI, 94. Othonis partes erat ſecutus. Ipſe olim imperii contemptor, nunc fortè auctor habebatur, quòd illud Otho ſperneret.

A. U. C. 822. J. C. 69.

nis auctoribus regreſſus, vacavit abeuntium alloquiis, donec omnes inviolati digrederentur. Veſperaſcente die, ſitim hauſtu gelidæ aquæ [1] ſedavit: tum allatis pugionibus duobus, cum utrumque pertentaſſet, alterum capiti ſubdidit: & explorato, jam profectos amicos, noctem quietam, utque adfirmatur, non inſomnem [2] egit. Luce primâ, in ferrum pectore incubuit: ad gemitum morientis, ingreſſi liberti, ſervique, & Plotius Firmus, prætorii præfectus, unum vulnus invenere. Funus maturatum: ambitioſis id precibus petierat, « ne amputaretur ca- » put [3], ludibrio futurum ». Tulere corpus prætoriæ cohortes, cum laudibus & lacrimis, vulnus manuſque ejus exoſculantes. Quidam militum, juxta rogum interfecere ſe; non noxâ, neque ob metum, ſed æmulatione decoris, & caritate Principis: ac poſtea, promiſcuè Bebriaci, Placentiæ, aliiſque in caſtris, celebratum id genus mortis. Othoni ſepulcrum exſtructum eſt, modicum, & manſurum [4].

L. Hunc vitæ finem habuit ſeptimo & triceſimo ætatis anno [5]. Origo illi e municipio Ferentino [6]. Pater conſularis [7];

[1] Gelidæ aquæ ] Hæc videtur eſſe decocta Neronis, ita dicta, quòd ut magis frigeſceret, priùs decoqueretur. Vide Anecdota de Nerone, Tom. II. pag. 531.

[2] Non insomnem egit ] Sueton. in Oth. XI. *Foribus adapertis, arctiſſimo ſomno quievit, & circa lucem demum expergefactus, uno ſe trajecit ictu infra lævam papillam: irrumpentibuſque ad primum gemitum, modò celans, modò detegens plagam, exanimatus eſt.*

[3] Ne amputaretur caput ] Neronem id quoque petiviſſe vidimus ſuprà in Supplemento Annal. XVI, 87. Ut libidinibus, ſic etiam ſupremâ neceſſitate pares fuere Otho ac Nero. At plus conſtantiæ in Othone.

[4] Et mansurum ] Nulla enim invidiæ cauſa. Modicum ejus monumentum, inſcriptum memoriæ *Marci Othonis*, Μάρκου Ὄθωνος, Brixelli inviſit Plutarchus; ut ipſe teſtatur in Vit. Othon. pag. 1075.

[5] Septimo et tricesimo ætatis anno ] Bene. Natus enim erat Otho, teſte Suetonio in Oth. II, *quarto Kalendas Maii, Camillo Arruntio, Domitio Ahenobarbo conſulibus.* Porro conſules fuere anno U. C. DCCLXXXV. J. C. 32. Errat ergo Suetonius, cùm ibid. cap. XI, ſcribit: *Celeriter (ita præceperat) funeratus* eſt Otho, *trigeſimo octavo ætatis anno, & nonageſimo quinto imperii die.* Fuit enim Othoni, ut liquet, hic annus ætatis ejus ſeptimus & triceſimus, dies imperii nonageſimus ſecundus; ſi quidem occiſus eſt Galba die 15 Januarii, Otho die 16 Aprilis. Vide eruditum Noris, de Epoch. Syro-Maced. I, 3. pag. 56. Videtur Suetonius diem Othonis emortualem, cum die quo mors ejus Romæ nuntiata eſt confudiſſe.

[6] Municipio Ferentino ] In Etruriâ municipium Ferentinum, nunc *Frenti*; de quo jam dictum ſuprà Annal. XV, 53. Sueton. in Oth. I, *Majores Othonis orti ſunt oppido Ferentino, familiâ vetere & honoratâ, atque ex principibus Etruriæ.*

[7] Pater consularis ] De quo Suetonius ibid. *Pater Lucius Otho materno*

avus

A.U.C. 822. J.C. 69.

avus prætorius [1]: maternum genus impar [2], nec tamen indecorum: pueritiâ ac juventâ, qualem monſtravimus [3]: duobus facinoribus [4], altero flagitioſiſſimo, altero egregio, tantumdem apud poſteros meruit bonæ famæ, quantum malæ. Ut conquirere fabuloſa, & fictis oblectare legentium animos, procul gravitate cœpti operis crediderim; ita vulgatis traditiſque demere fidem non auſim. « Die, quo Bebriaci certabatur, avem » inviſitatâ ſpecie [5], apud Regium Lepidum [6] celebri vico con» ſediſſe », incolæ memorant; « nec deinde cœtu hominum, » aut circumvolitantium alitum, territam pulſamve, donec Otho » ſe ipſe interficeret: tum ablatam ex oculis: & tempora re» putantibus, initium finemque miraculi [7], cum Othonis exitu » competiſſe ».

LI. In funere ejus, novata luctu ac dolore militum ſeditio: nec erat, qui coerceret. Ad Verginium verſi, modo « ut » reciperet imperium », nunc « ut legatione apud Cæcinam » ac Valentem fungeretur », minitantes orabant [8]. Verginius per averſam domûs partem furtim degreſſus, inrumpentes fruſtratus eſt. Earum, quæ Brixelli egerant, cohortium preces Rubrius Gallus tulit [9]. Et venia ſtatim impetrata, concedentibus

*genere præclaro, multarum & magnarum propinquitatum, tam carus, tamque non abſimilis facie Tiberio Principi fuit, ut plerique procreatum ex eo crederent. Urbanos honores, proconſulatum Africæ, & extraordinaria imperia, ſeveriſſimè adminiſtravit.*

[1] Avus prætorius ] Suetonius ibid. *Avus Marcus Salvius Otho, patre equite Romano, matre humili, incertum an ingenuâ, per gratiam Liviæ Auguſtæ, in cujus domo creverat, ſenator eſt factus, nec præturæ gradum exceſſit.*

[2] Maternum genus impar ] Mater ejus Albia Terentia *ſplendida* quidem appellatur *femina* a Suetonio loc. cit. At, ut rectè obſervat Lipſius, id equeſtrem tantùm ordinem notat.

[3] Monstravimus ] Supra Hiſt. I, 13. Vide & Suetonium in Oth. II.

[4] Duobus facinoribus ] Altero flagitioſiſſimo, cùm imperium cæde Galbæ occupavit; altero egregio, cùm id reliquit.

[5] Invisitata specie ] Id eſt non viſâ ſpecie. Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. II, 50.

[6] Apud Regium Lepidum ] Hodieque *Reggio dans l'Etat de Modene*: urbs Brixello, ubi Otho periit, quindecim circiter millibus paſſuum diſtans.

[7] Finemque miraculi ] Utì mos eſt, alia de miraculo narrat Suetonius in Veſpaſ. V. *Acie Bedriacenſi, priuſquam committeretur, duas aquilas in conſpectu omnium conflixiſſe: victâque alterâ, superveniſſe tertiam a Solis ortu, ac victricem abegiſſe.*

[8] Minitantes orabant ] Sed utrumque infra Verginii dignitatem. Jam enim ſpreverat imperium; nec decebat eum legatione apud Cæcinam ac Valentem fungi.

[9] Rubrius Gallus tulit ] Rubrius Gallus ad caſtra Vitellianorum tulit preces earum cohortium, quæ cum

A. U. C. 822. J. C. 69.

ad victorem, per Flavium Sabinum, iis copiis, quibus præfuerat.

LII. Posito ubique bello, magna pars ſenatûs extremum diſcrimen adiit, profecta cum Othone ab Urbe, dein Mutinæ [1] relicta. Illuc adverſo de prœlio allatum: ſed milites, ut falſum rumorem aſpernantes, quod inſenſum Othoni ſenatum arbitrabantur, cuſtodire ſermones, vultum habitumque trahere in deterius: conviciis poſtremò ac probris cauſam & initium cædis quærebant: cùm alius inſuper metus ſenatoribus inſtaret, ne prævalidis jam Vitellii partibus, cunctanter excepiſſe victoriam crederentur: ita trepidi & utrimque anxii coeunt; nemo privatim [2] expedito conſilio, inter multos ſocietate culpæ tutior. Onerabat paventium curas ordo Mutinenſis [3], « arma & pecuniam » offerendo, appellabatque « Patres Conſcriptos » intempeſtivo honore.

LIII. Notabile inde jurgium [4] fuit, quo Licinius Cæcina Marcellum Eprium [5], « ut ambigua differentem », invaſit. Nec ceteri ſententias aperiebant: ſed inviſum memoriâ delationum [6], expoſitumque ad invidiam Marcelli nomen, irritaverat Cæcinam, ut novus adhuc, & in ſenatum nuper adſcitus, magnis inimicitiis clareſceret. Moderatione meliorum dirempti. Et rediere omnes Bononiam [7], rurſus conſiliaturi:

Othone Brixelli egerant. Et venia ſtatim fuit impetrata, copiis, quibus Flavius Sabinus præfuerat, ipſo duce, ad victorem concedentibus. De Flavio Sabino, Veſpaſiani fratre, dictum ſuprà Hiſt. I, 46; & infrà Hiſt. II, 55.

[1] Mutinæ ] Nunc *Modene.*

[2] Nemo privatim ] Nemo privatim expedito conſilio, ſed ut inter multos evenit, quiſque ſocietate culpæ tutior. Sic infrà Hiſt. IV, 41, *ſocietate culpæ invidiam declinavit.*

[3] Ordo Mutinensis ] *Le corps de Ville, le magiſtrat de Modene.* Sic Puteolanorum ordinem vidimus & illuſtravimus ſuprà Annal. XIII, 48. Sic Nolæ in veteribus Inſcriptionibus: ORDO POPVLVSQVE NOLANVS. Neapoli, ORDO NEAPOLITANORVM ET POPVLVS. Senatorum autem paventium curas onerabant oblata arma & pecuniæ, quæ ſi ſpernerentur, furor erat victis Othonianis; ſi reciperentur, odium viſque penes Vitellianos victores. Intempeſtivo autem honore appellabantur Patres Conſcripti, cùm nihil libertatis ſupereſſet, immineret ſervitium.

[4] Notabile inde jurgium ] Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. II, 53, ubi plura de hoc jurgio ejuſque causâ & auctore.

[5] Marcellum Eprium ] De quo ſæpe ſuprà Annal. libr. XII, XIII & XVI.

[6] Memoria delationum ] Plurimos, ac maximè Thraſeam accuſaverat, ut vidimus Annal. XVI, 22 & 28.

[7] Bononiam ] Senatores omnes, qui Mutinam venerant, rediere Bononiam; nunc *Bologne.*

A. U. C. 822. J. C. 69.

ſimul, medio temporis, plures nuntii ſperabantur. Bononiæ, diviſis per itinera, qui recentiſſimum quemque percunctarentur, interrogatus Othonis libertus « cauſam digreſſûs, habere » ſe ſuprema ejus mandata » reſpondit: « ipſum viventem quidem relictum, ſed ſolâ poſteritatis curâ [1], & abruptis vitæ » blandimentis ». Hinc admiratio, & plura interrogandi pudor. Atque omnium animi in Vitellium inclinavere.

LIV. Intererat conſiliis frater ejus, L. Vitellius, ſeque jam adulantibus offerebat, cùm repentè Cœnus, libertus Neronis, atroci mendacio univerſos perculit, affirmans, « ſuperventu quartædecimæ legionis [2], junctis a Brixello viribus, » cæſos victores, verſam partium fortunam ». Cauſa fingendi fuit, ut diplomata Othonis [3], quæ negligebantur, lætiore nuntio revaleſcerent. Et Cœnus quidem rapidè in Urbem vectus, paucos poſt dies, juſſu Vitellii pœnas luit. Senatorum periculum auctum, credentibus Othonianis militibus vera eſſe, quæ adferebantur. Intendebat formidinem, quod publici conſilii facie [4], diſceſſum Mutinâ, deſertæque partes forent. Nec ultrà in commune congreſſi, ſibi quiſque conſuluere: donec miſſæ a Fabio Valente epiſtolæ, demerent metum. Et mors Othonis, quò laudabilior, eò velociùs audita.

LV. At Romæ nihil trepidationis: Cereales ludi [5] ex more ſpectabantur. Ut « ceſſiſſe vitâ Othonem, & a Flavio Sabi» no, præfecto Urbis, quod erat in Urbe militum ſacramento » Vitellii adactum », certi auctores in theatrum attulerunt, Vitellio plauſere: populus, cum lauru ac floribus, Galbæ imagines circum templa tulit, congeſtis in modum tumuli coro-

[1] Sola posteritatis cura ] Solas poſteritatis & immortalitatis curas animo agitantem.

[2] Quartædecimæ legionis ] Quam contrà Vitellianorum accurſu propulſam vidimus ſuprà cap. 43.

[3] Diplomata Othonis ] Quæ negligebantur, mortuo Othone, & fortunâ imperii in alium tranſlatâ. Diplomata, de quibus hìc agitur, ea ſunt, quæ dabantur ut viatorum curſus celeraretur. Vide Plinium, Ep. X, 14 & 54. & Supplementum Annal. XVI, 90. Alia erant diplomata beneficiorum, a Principibus collatorum, quæ vide apud Sueton. in Aug. L. in Caio XXXVIII. in Ner. XII.

[4] Publici consilii facie ] Publico enim conſilio Mutinâ diſceſſiſſe, & Othonis partes deſeruiſſe videbantur.

[5] Cereales ludi ] Cereales ludi ſpectabantur in circo die 19 Aprilis. Vide quæ de his ludis diximus ſuprà Annal. XV, 53.

A. U. C. 822. J. C. 69.

nis, juxta lacum Curtii, quem locum Galba moriens ſanguine infecerat [1]. In ſenatu, cuncta longis aliorum principatibus compoſita ſtatim decernuntur [2]. Additæ « erga Germanicos exercitus laudes, grateſque »: & miſſa legatio, quæ gaudio fungeretur. Recitatæ Fabii Valentis epiſtolæ, ad conſules ſcriptæ haud immoderatè: gratior Cæcinæ modeſtia fuit, quòd non ſcripſiſſet.

LVI. Ceterum Italia graviùs atque atrociùs, quàm bello adſlictabatur: diſperſi per municipia & colonias Vitelliani, ſpoliare, rapere, vi & ſtupris polluere: in omne fas nefaſque avidi, aut venales, non ſacro, non profano abſtinebant. Et fuere, qui inimicos ſuos ſpecie militum interficerent: ipſique milites, regionum gnari, refertos agros, dites dominos in prædam, aut ſi repugnatum foret, ad excidium deſtinabant, obnoxiis ducibus [3], & prohibere non auſis: minus avaritiæ in Cæcinâ, plus ambitionis: Valens, ob lucra & quæſtus infamis, eóque alienæ etiam culpæ diſſimulator. Jam pridem attritis Italiæ rebus, tantum peditum [4] equitumque, vis, damnaque, & injuriæ, ægre tolerabantur.

LVII. Interim Vitellius, victoriæ ſuæ neſcius, ut ad integrum bellum, reliquas Germanici exercitûs vires trahebat. Pauci veterum militum in hibernis [5] relicti, feſtinatis per Gallias delectibus, ut remanentium legionum nomina ſupplerentur. Cura ripæ [6] Hordeonio Flacco permiſſa: ipſe e Britannico delectu octo millia ſibi adjunxit: & paucorum dierum iter progreſſus, « proſperas apud Bebriacum res, ac morte Othonis » concidiſſe bellum » accepit. Vocatâ concione, virtutem militum laudibus cumulat. Poſtulante exercitu, « ut libertum

[1] Sanguine infecerat ] Suprà Hiſt. I, 41.

[2] Statim decernuntur ] Sic ſuprà de Othone Hiſt. I, 47. *Accurrunt patres, decernitur Othoni tribunicia poteſtas, & nomen Auguſti, & omnes Principum honores.*

[3] Obnoxiis ducibus ] Militum libidini obtemperantibus ducibus, quorum fortuna opeſque omnes ſitæ erant in exercitûs favore, ut rectè explicat Illuſtr. Huetius.

[4] Tantum peditum ] Tantus peditum equitumque numerus.

[5] In hibernis ] In hibernis Germaniæ ſuperioris & inferioris.

[6] Cura ripæ ] Cura ripæ Rheni Hordeonio Flacco permiſſa, ne inter hos motus impetum facerent Germani.

A. U. C. 822. J. C. 69.

» ſuum, Aſiaticum, equeſtri dignitate donaret », inhoneſtam adulationem compeſcit. Dein, mobilitate ingenii, quod palam abnuerat, inter ſecreta convivii largitur: honoravitque Aſiaticum anulis [1], fœdum mancipium, & malis artibus ambitioſum.

LVIII. Iisdem diebus, « acceſſiſſe partibus utramque » Mauretaniam [2], interfecto procuratore Albino », nuncii venêre. Luceius Albinus, a Nerone Mauretaniæ Cæſarienſi præpoſitus, additâ per Galbam Tingitanæ provinciæ [3] adminiſtratione, haud ſpernendis viribus agebat: novemdecim cohortes, quinque alæ, ingens Maurorum numerus aderat, per latrocinia & raptus apta bello manus. Cæſo Galbâ, in Othonem pronus, nec Africâ contentus, Hiſpaniæ, anguſto freto [4] diremptæ, imminebat. Inde Cluvio Rufo [5] metus; « & decimam le» gionem propinquare litori », ut tranſmiſſurus, juſſit: præmiſſi centuriones, qui Maurorum animos Vitellio conciliarent: neque arduum fuit, magnâ per provincias Germanici exercitûs famâ. Spargebatur inſuper, « ſpreto procuratoris voca» bulo, Albinum inſigne regis, & Jubæ nomen [6] uſurpare ».

LIX. Ita mutatis animis, Aſinius Pollio, alæ præfectus, e fidiſſimis Albino, & Feſtus ac Scipio, cohortium præfecti, opprimuntur. Ipſe Albinus, dum e Tingitanâ provinciâ Cæſarienſem Mauretaniam petit, appulſus litori, trucidatur: uxor ejus, cùm ſe percuſſoribus obtuliſſet, ſimul interfecta eſt; nihil eorum, quæ fierent, Vitellio anquirente: brevi auditu, quamvis magna tranſibat, impar curis gravioribus. « Exercitum » itinere terreſtri » pergere jubet: ipſe Arare flumine [7] deve-

[1] Anulis ] Anulus, inſigne erat equeſtris dignitatis, ut dictum eſt ſuprà Hiſt. I, 13. Varia Aſiatici fata, Vitellii libidinem & inconſtantiam paucis complexus eſt Suetonius in Vitell. XII.

[2] Utramque Mauretaniam ] Mauretaniam, in duas partes a Caio Caligulâ diviſam diximus in Supplemento Annal. VIII, 34.

[3] Tingitanæ provinciæ ] Id eſt Mauritaniæ Tingitanæ, nunc *les Royaumes de Fez & de Maroc*. Mauritania Cæſarienſis, hodie *le Royaume d'Alger*.

[4] Angusto freto ] Nunc *le détroit de Gibraltar*.

[5] Cluvio Rufo ] Hiſpaniæ rectori, de quo ſupra Hiſt. I, 8 & 76.

[6] Jubæ nomen ] Nomen inter Maurorum reges illuſtre.

[7] Arare flumine ] Hodie *la Saône*; de quo flumine jam ſuprà Annal. XIII, 53.

A. U. C. 822. J. C. 69.

hitur, nullo Principali paratu, ſed vetere egeſtate [1] conſpicuus: donec Junius Blæſus [2], Lugdunenſis Galliæ rector, genere inluſtri, largus animo, & par opibus, circumdaret Principis miniſteria, comitaretur liberaliter, eo ipſo ingratus, quamvis odium Vitellius vernilibus blanditiis velaret. Præſto fuere Lugduni victricium victarumque partium duces. Valentem & Cæcinam pro concione laudatos, curuli ſuæ circumpoſuit. Mox « univerſum exercitum occurrere infanti filio [3] » jubet: perlatumque, & paludamento [4] opertum, ſinu retinens, *Germanicum* appellavit, cinxitque cunctis fortunæ Principalis inſignibus: nimius honos inter ſecunda, rebus adverſis in ſolatium ceſſit.

LX. Tum interfecti centuriones promptiſſimi Othonianorum: unde præcipua in Vitellium alienatio, per Illyricos exercitus. Simul ceteræ legiones contactu [5], & adversus Germanicos milites invidiâ, bellum meditabantur. Suetonium Paullinum, ac Licinium Proculum [6], triſti morâ ſqualidos tenuit: donec auditi, neceſſariis magis defenſionibus, quàm honeſtis uterentur. Proditionem ultro imputabant [7]: « ſpatium longi » ante prœlium itineris, fatigationem Othonianorum, permix- » tum vehiculis agmen, ac pleraque fortuita, fraudi ſuæ » adſignantes: & Vitellius credidit de perfidiâ [8], & fidem abſol-

1 Vetere egeſtate ] Egeſtatem turpitudinemque Vitellii teſtatur quoque Suetonius in Vitell. VII. *Satis conſtat* Vitellio in inferiorem Germaniam *exi*[illegible] *familiaris, ut uxore & liberis, quos Ro*[illegible] *carit: utque ex aure matris detractum unionem pigneraverit ad itineris impenſas. Creditorum quidem præſtolantium, ac detinentium turbam, & in iis Sinueſſanos Formianoſque, quorum publica vectigalia interverterat, nonniſi terrore calumniæ amovit: cùm libertino cuidam acerbiùs debitum repoſcenti injuriarum formulam, quaſi calce ab eo percuſſus, intendiſſet; nec aliter quàm extortis quinquaginta ſeſtertiis remiſiſſet.* Quinquaginta ſeſtertia ſunt monetæ Gallicæ libræ 9726.

2 Junius Blæſus ] Cujus fata videbimus infrà Hiſt. III, 38.

3 Infanti filio ] Quem [illegible] *oris prope mutum & elinguem* fuiſſe ſcribit Suetonius in Vitell. VI.

4 Paludamento ] De paludamento, ſeu veſte militari, jam dictum ſuprà Annal. XII, 56.

5 Contactu ] Vicinitate ac ſocietate. Sic ſuprà Annal. I, 43. *Diſcedite a contactu, ac dividite turbidos.*

6 Licinium Proculum ] Paullinus & Proculus, Othoniani duces, de quibus ſæpe ſuprà, ac maximè Hiſt. II, 31 & 33.

7 Imputabant ] Ob prœlium a ſe Othonem gratiam ſibi haberi a Vitellio poſtulabant; ut rectè explicat Illuſtr. Huetius.

8 Credidit de perfidia ] Eos fuiſſe

vit. Salvius Titianus, Othonis frater, nullum diſcrimen adiit, pietate [1] & ignaviâ excuſatus. Mario Celſo [2] conſulatus ſervatur: ſed creditum famâ, objectumque mox in ſenatu Cæcilio Simplici, « quod eum honorem pecuniâ mercari, nec ſine exitio Celſi voluiſſet »: reſtitit Vitellius, deditque poſtea conſulatum [3] Simplici, innoxium & inemptum. Trachalum [4] adversùs criminantes Galeria [5], uxor Vitellii, protexit. A. U. C. 822. J. C. 69.

LXI. Inter magnorum virorum diſcrimina (pudendum dictu) Mariccus quidam, e plebe Boiorum [6], inſerere ſeſe fortunæ, & provocare arma Romana, ſimulatione numinum auſus eſt. Jamque « adſertor Galliarum, & deus » (nomen id ſibi indiderat) concitis octo millibus hominum, proximos Æduorum [7] pagos trahebat; cùm graviſſima civitas, electâ juventute, adjectis a Vitellio cohortibus, fanaticam multitudinem disjecit. Captus in eo prœlio Mariccus, ac mox feris objectus [8], quia non laniabatur, ſtolidum vulgus inviolabilem credebat [9], donec, ſpectante Vitellio, interfectus eſt.

LXII. Nec ultrà in defectores, aut bona cujuſquam, ſævitum. Rata fuere eorum, qui acie Othonianâ ceciderant, teſtamenta, aut lex inteſtatis [10]. Prorſus, ſi luxuriæ temperaret, avaritiam non timeres. Epularum fœda & inexplebilis libido [11]: ex Urbe atque Italiâ, inritamenta gulæ geſtabantur,

in Othonem perfidos credidit: priſtinam verò eorum erga Othonem fidem abſolvit. Fides enim graviſſimum eſt in bellis civilibus crimen; ut vidimus ſupra Hiſt. I, 59.

[1] Pietate] Pietate fraternâ.

[2] Mario Celso] Conſuli deſignato, ut dictum eſt ſuprà Hiſt. I, 14.

[3] Consulatum] Vide infra Hiſt. III, 68.

[4] Trachalum] Galerium Trachalum, de quo ſuprà Hiſt. I, 90.

[5] Galeria] Galeria Fundana. Vide Stemma Vitelliorum, in Notis & Emendationibus ad Hiſt. I, 9.

[6] Boiorum] Boii, nunc *le Bourbonnois.*

[7] Æduorum] De Æduis dictum ſupra Annal. XI, 25. Soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano uſurpabant, teſte Tacito loc. cit.

[8] Feris objectus] Quæ erat ſeditioſorum pœna. Digeſt. XLVIII. Tit. 19. de Pœnis. leg. 38. ex Paulo. num. 2. *Actores ſeditionis & tumultus, populo concitato, pro qualitate dignitatis, aut in furcam tolluntur, aut beſtiis objiciuntur, aut in inſulam deportantur.*

[9] Inviolabilem credebat] Sic a credulâ multitudine multi habiti ſunt inviolabiles, vulgò *corps durs*, quod audaciâ valebant, & aliquot periculis temere feliciterque ſe obtulerant.

[10] Lex intestatis] Lex, quâ inteſtatorum bona heredibus relinquebantur.

[11] Inexplebilis libido] Cùm inexplebilis epularum libido fuerit in Vi-

A. U. C. 822. J. C. 69.

ſtrepentibus ab utroque mari itineribus: exhauſti conviviorum apparatibus principes civitatum: vaſtabantur [1] ipſæ civitates: degenerabat a labore ac virtute miles, adſuetudine voluptatum, & contemptu ducis. Præmiſit in Urbem edictum, quo vocabulum *Auguſti* differret, *Cæſaris* non reciperet [2], cùm de poteſtate nihil detraheret. Pulſi Italiâ mathematici [3]. Cautum ſeverè, « ne equites Romani ludo & arenâ polluerentur ». Priores id Principes pecuniâ, & ſæpius vi, perpulerant: ac pleraque municipia, & coloniæ, æmulabantur corruptiſſimum quemque adoleſcentium, pretio inlicere [4].

LXIII. Sed Vitellius, adventu fratris [5], & inrepentibus dominationis magiſtris, ſuperbior & atrocior, occidi Dolabellam juſſit, quem in coloniam Aquinatem ſepoſitum ab Othone retulimus [6]. Dolabella, auditâ morte Othonis, Urbem introierat. Id ei Plancius Varus, præturâ functus, ex intimis Dolabellæ amicis, apud Flavium Sabinum, præfectum Urbis, objecit, « tamquam ruptâ cuſtodiâ, ducem ſe victis partibus » oſtentaſſet »: addidit « tentatam cohortem, quæ Oſtiæ [7] » ageret:

tellio portentoſa, de eâ plura ſunt dicenda. Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. II, 62, ubi de ventre & gulâ Vitellii diſſeretur.

[1] Vastabantur ] Idem teſtatur Suetonius in Vitell. X. *Itinere inchoato per medias civitates ritu triumphantium vectus eſt. perque flumina delicatiſſimis navigiis & variarum coronarum genere redimitis inter profuſiſſimos opſoniorum apparatus, nullâ familiæ aut militis diſciplinâ, rapinas ac petulantiam omnium in jocum vertens. Qui non contenti epulo ubique publicè præbito, quoſcumque libuiſſet, in libertatem aſſerebant, verbera & plagas, ſæpe vulnera, nonnumquam necem repræſentantes adverſantibus.*

[2] Cæsaris non reciperet ] Nec apparet in nummis ejus Latinis, vulgò inſcriptis: A. VITELLIVS GERMAN. IMP. AVG. P. M. TR. POT. Id eſt *Aulus Vitellius, Imperator, Auguſtus, pontifex maximus, tribuniciâ poteſtate.* At reperitur in nummis in Ægypto cuſis. ΩΛΟΥ. ΟΥΙΤ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. ΓΕΡΜ. ΑΥΤ. Caput Vitellii laureatum. In averſâ parte, Victoria ſtans lauream coronam, ſiniſtrâ palmam tenet: in medio literæ LA. id eſt *anno primo.* Nummum illum exhibet Cl. Pellerin. *Mélange de Médailles*, Tom. I. pag. 228. Tab. XIII.

[3] Mathematici ] Sueton. in Vitell. XIV. *Nullis infenſior, quàm vernaculis & mathematicis, ut quiſque deferretur, inauditum capite puniebat. Exacerbatus, quòd poſt edictum ſuum, quo jubebat intra Kalendas Octobris Urbe Italiâque mathematici excederent, ſtatim libellus eſt propoſitus, & Chaldæos edicere, Bonum factum: Ne Vitellius Germanicus intra eumdem Kalendarum diem uſquam eſſet.* Franciſcus Raphelengius pro *vernaculis* emendabat *divinaculis*; bene, ſi vox foret Latina. Sed vernaculos intellige vernas ſcurraſque, de quibus Martialis, Epigramm. I, 42. & X, 3.

[4] Pretio inlicere ] Ut arenâ pollucrentur.

[5] Adventu fratris ] Lucii Vitellii.

[6] Retulimus ] Suprà Hiſt. I, 88.

[7] Ostiæ ] Manet nomen Oſtia; ut ſæpe jam dictum eſt.

A. U. C. 822. J. C. 69.

» ageret » : nec ullis tantorum criminum probationibus, in pœnitentiam verſus, ſeram veniam poſt ſcelus quærebat. Cunctantem ſuper tantâ re Flavium Sabinum, Triaria, L. Vitellii uxor, ultra feminam ferox, terruit ne « periculo Principis famam » clementiæ adfectaret ». Sabinus, ſuopte ingenio mitis, ubi formido inceſſiſſet, facilis mutatu, & in alieno diſcrimine ſibi pavens, ne adlevaſſe videretur, impulit ruentem.

LXIV. Igitur Vitellius, metu & odio, quod Petroniam [1], uxorem ejus, mox Dolabella in matrimonium accepiſſet, « vo» catum per epiſtolas, vitatâ Flaminiæ viæ [2] celebritate, de» vertere Interamnium [3], atque ibi interſici » juſſit. Longum interfectori viſum : in itinere ac tabernâ projectum humi jugulavit : magnâ cum invidiâ novi principatûs, cujus hoc primum ſpecimen noſcebatur. Et Triariæ licentiam, modeſtum e proximo exemplum onerabat, Galeria Imperatoris uxor, non immixta triſtibus : & pari probitate, mater Vitelliorum, Sextilia [4], antiqui moris. Dixiſſe quin etiam, ad primas filii ſui epiſtolas, ferebatur, « non Germanicum a ſe, ſed Vitellium genitum [5] ». Nec ullis poſtea fortunæ inlecebris, aut ambitu civitatis, in gaudium evicta, domûs ſuæ tantùm adverſa ſenſit.

LXV. Digressum a Lugduno Vitellium, M. Cluvius Rufus [6] adſequitur, omiſsâ Hiſpaniâ ; lætitiam & gratulationem vultu ferens, animo anxius, & petitum ſe criminationibus gnarus. Hilarius, Cæſaris libertus, detulerat, « tamquam, » audito Vitellii & Othonis principatu, propriam ipſe poten» tiam, & poſſeſſionem Hiſpaniarum tentaſſet : eóque diplo» matibus nullum Principem præſcripſiſſet ». Interpretabatur

[1] Petroniam ] Priorem Vitellii Imperatoris conjugem. Vide Sueton. in Vitell. VI. & Stemma Vitelliorum in Notis & Emendationibus ad Hiſt. I, 9.

[2] Flaminiæ viæ ] De quâ dictum Annal. III, 9, & XIII, 47.

[3] Interamnium ] Hodie *Terni, dans l'Ombrie.*

[4] Sextilia ] Mater Auli & Lucii Vitelliorum. Vide Stemma Vitelliorum in Notis & Emendationibus ad Hiſt. I, 9. Suetonio quoque in Vitell. III, Sextilia dicitur *probatiſſima nec ignobilis femina.*

[5] Vitellium genitum ] Immo, teſte Suetonio loc. cit. Sextilia Vitellium *miſſum ad legiones, & appellatum Imperatorem pro afflicto ſtatim lamentata eſt.* Nomen Germanici a Vitellio uſurpatum vidimus in nummis ſuprà laudatis.

[6] Cluvius Rufus ] Hiſpaniæ rector, de quo ſuprà cap. 58.

A. U. C. 822. J. C. 69.

quædam ex orationibus ejus, contumelioſa in Vitellium, & pro ſe ipſo popularia. Auctoritas Cluvii prævaluit, ut puniri ultro libertum ſuum Vitellius juberet. Cluvius comitatui Principis adjectus, non ademptâ Hiſpaniâ, quam rexit abſens, exemplo L. Arruntii [1]: eum Tiberius Cæſar ob metum, Vitellius Cluvium nullâ formidine retinebat. Non idem Trebellio Maximo [2] honos: profugerat Britanniâ, ob iracundiam militum: miſſus eſt in locum ejus, Vettius Bolanus [3] e præſentibus [4].

LXVI. Angebat Vitellium victarum legionum haudquaqam fractus animus: ſparſæ per Italiam, & victoribus permixtæ, hoſtilia loquebantur: præcipua quartadecimanorum ferocia, qui « ſe victos » abnuebant: « quippe Bebriacenſi acie, » vexillariis [5] tantùm pulſis, vires legionis non adfuiſſe ». Remitti eos in Britanniam, unde a Nerone exciti erant [6], placuit; atque interim Batavorum cohortes unà tendere, ob veterem adversùs quartadecimanos diſcordiam: nec diu in tantis armatorum odiis quies fuit. Auguſtæ Taurinorum [7], dum opiſicem quemdam Batavus, ut fraudatorem, inſectatur, legionarius, ut hoſpitem, tuetur, ſui cuique commilitones aggregati, a conviciis ad cædem tranſiere: & prœlium atrox arſiſſet, ni duæ prætoriæ cohortes, cauſam quartadecimanorum ſecutæ, his fiduciam, & metum Batavis feciſſent: « quos » Vitellius « agmini ſuo jungi », ut fidos; « legionem, Graiis Al» pibus [8] traductam, eo flexu itineris ire » jubet, « quo Vien» nam [9] vitarent »: namque & Viennenſes timebantur. Nocte, quâ proficiſcebatur legio, relictis paſſim ignibus, pars Taurinæ

[1] L. Arruntii ] Cujus artes ſanctiſſimæ laudantur: retentus tamen eſt per decem annos, ne in Hiſpaniam pergeret; ut vidimus ſuprà Annal. VI, 7 & 27.

[2] Trebellio Maximo ] Trebellius Maximus per avaritiam & ſordes contemptus exercitui Britannico inviſuſque, ut dictum eſt ſuprà Hiſt. I, 60.

[3] Vettius Bolanus ] De quo plura infrà in Vit. Agric. cap. 8 & 16.

[4] E præſentibus ] E comitatu Principis.

[5] Vexillariis ] De Vexillariis dictum in Notis & Emendationibus ad Annal. I, 38; explicatuſque hic Taciti locus.

[6] A Nerone exciti erant ] Ut dictum eſt ſuprà cap. 11.

[7] Auguſtæ Taurinorum ] Nunc *Turin.*

[8] Graiis Alpibus ] Partem illam Alpium nunc dicimus, *le petit ſaint Bernard.*

[9] Viennam ] Nunc *Vienne en Dauphiné*; de quâ jam ſuprà Annal. XI, 1.

A. U. C. 822. J. C. 69.

coloniæ [1] ambuſta: quod damnum, ut pleraque belli mala, majoribus aliarum urbium cladibus obliteratum. Quartadecimani, poſtquam Alpibus degreſſi ſunt, ſeditioſiſſimus quiſque ſigna Viennam ferebant: conſenſu meliorum compreſſi; & legio in Britanniam tranſvecta.

LXVII. Proximus Vitellio e prætoriis cohortibus metus erat: ſeparati primùm, deinde, addito honeſtæ miſſionis [2] lenimento, arma ad tribunos ſuos deferebant: donec motum a Veſpaſiano bellum crebreſceret: tum, reſumptâ militiâ [3], robur Flavianarum partium fuere. Prima claſſicorum legio in Hiſpaniam miſſa, ut pace & otio miteſceret: undecima ac ſeptima, ſuis hibernis [4] redditæ: tertiadecimani ſtruere amphitheatra juſſi: nam Cæcina Cremonæ, Valens Bononiæ, ſpectaculum gladiatorum edere parabant: numquam ita ad curas intento Vitellio, ut voluptatum oblivisceretur.

LXVIII. Et quidem partes modeſtè diſtraxerat: apud victores orta ſeditio, ludicro initio, niſi numerus cæſorum invidiam bello auxiſſet. Diſcubuerat Vitellius Ticini [5], adhibito ad epulas Verginio. Legati tribunique, ex moribus imperatorum, ſeveritatem æmulantur, vel tempeſtivis conviviis gaudent: perinde miles intentus, aut licenter agit. Apud Vitellium omnia indiſpoſita, temulenta, pervigiliis ac Bacchanalibus, quàm diſciplinæ & caſtris propiora. Igitur duobus militibus, altero legionis quintæ, altero e Gallis auxiliaribus, per laſciviam ad certamen luctandi accenſis, poſtquam legionarius prociderat, inſultante Gallo, & iis, qui ad ſpectandum convenerant, in ſtudia diductis; erupere legionarii in perniciem auxiliorum, ac duæ cohortes interfectæ. Remedium tumultus fuit alius tumultus: pulvis procul, & arma aſpiciebantur: con-

[1] Taurinæ coloniæ ] Eadem, quæ ſuprà dicta eſt Auguſta Taurinorum, *Turin.*

[2] Honestæ missionis ] Gallicè congé. Formulam honeſtæ miſſionis vide in Notis & Emendationibus ad Annal. XIV, 27.

[3] Resumpta militia ] Prætoriani exauctorati, Vitellioque infenſi, militiam pro Veſpaſiano reſumpſere, ut rectè explicat Pichena.

[4] Suis hibernis ] Quæ erant in Dalmatia & Pannonia. Vide Hiſt. II, 11. & III, 50.

[5] Ticini ] Nunc *Pavie*; ut dictum ſupra cap. 17.

A. U. C. 822. J. C. 69.

clamatum repentè « quartamdecimam legionem, verſo itinere [1], ad prœlium venire »: ſed erant agminis coactores [2]: agniti, dempſere ſollicitudinem. Interim Verginii ſervus fortè obvius, ut « percuſſor Vitellii [3] » inſimulatur: & ruebat ad convivium miles, « mortem Verginii [4] » expoſcens. Ne Vitellius quidem, quamquam ad omnes ſuſpiciones pavidus, de innocentiâ ejus dubitavit: ægre tamen cohibiti, qui exitium viri conſularis, & quondam ducis ſui flagitabant. Nec quemquam ſæpius, quàm Verginium, omnis ſeditio infeſtavit: manebat admiratio viri, & fama; ſed oderant, ut faſtiditi [5].

LXIX. Postero die, Vitellius, ſenatûs legatione, quam ibi opperiri juſſerat, auditâ, tranſgreſſus in caſtra, ultro « pietatem militum » collaudavit: frementibus auxiliis, « tantum impunitatis atque arrogantiæ legionariis acceſſiſſe ». Cohortes Batavorum, ne quid truculentius auderent, in Germaniam remiſſæ; principium interno ſimul externoque bello [6] parantibus fatis. Reddita civitatibus Gallorum auxilia, ingens numerus, & primâ ſtatim defectione, inter inania belli [7] adſumptus. Ceterùm, ut largitionibus adfectæ jam imperii opes ſufficerent, « amputari legionum [8] auxiliorumque numeros » jubet, vetitis ſupplementis: & promiſcuæ miſſiones offerebantur: exitiabile id reipublicæ, ingratum militi, cui eadem munia inter paucos, periculaque ac labor crebriùs redibant: & vires luxu corrumpebantur, contra veterem diſciplinam, & inſtituta majorum, apud quos virtute, quàm pecuniâ, res Romana meliùs ſtetit.

1 Verso itinere ] Vide ſuprà cap. 66.

2 Agminis coactores ] Extremi agminis, *la queue de l'armée*, ductores & coactores; quos Græci Οὐραγὲς appellabant.

3 Percussor Vitellii ] Vitellii mortem machinatus. Infrà cap. 75. memoratur Volaginius, Scriboniani percuſſor.

4 Verginii ] Jam memorati ſuprà cap. 49; & aliàs ſæpe.

5 Fastiditi ] Cùm imperium Verginio obtulerant.

6 Externoque bello ] Interno Flavianorum, externo Civilis, ſeu Batavorum, bello.

7 Inter inania belli ] Primâ quidem defectione Gallorum auxilia adſumpſit Vitellius: ingentem numerum, at inter inania belli; quòd Galli, tum ſegnes erant & imbelles. Vide ſuprà Annal. XI, 18. & infrà Vit. Agric. cap. 11.

8 Amputari legionum ] In noſtro Gallico uſu amputare numeros dicimus, *réformer des Compagnies*: vetare ſupplementa, *défendre les recrues*: offerre miſſiones, *offrir des congés*.

LXX. INDE Vitellius Cremonam flexit, & ſpectato munere Cæcinæ, inſiſtere Bebriacenſibus campis, ac veſtigia recentis victoriæ luſtrare oculis, concupivit. Fœdum atque atrox ſpectaculum: intra quadrageſimum pugnæ diem [1], lacera corpora, trunci artus, putres virorum equorumque formæ, infecta tabo humus, protritis arboribus ac frugibus, dira vaſtitas: nec minùs inhumana [2] pars viæ, quam Cremonenſes lauru roſiſque conſtraverant, exſtructis altaribus, cæſiſque victimis, regium in morem: quæ læta in præſens, mox perniciem ipſis fecere. Aderant Valens & Cæcina, monſtrabantque pugnæ locos: « hinc erupiſſe legionum agmen, hinc equites coortos: inde » circumfuſas auxiliorum manus ». Jam tribuni præfectique, ſua quiſque facta extollentes, falſa, vera, aut majora vero miſcebant. Vulgus quoque militum, clamore & gaudio, deflectere viâ, ſpatia certaminum recognoſcere, aggerem armorum, ſtrues corporum intueri, mirari. Et erant, quos varia ſors rerum, lacrimæque & miſericordia ſubiret: at non Vitellius flexit oculos, nec tot millia inſepultorum civium exhorruit [3]: lætus ultro, & tam propinquæ ſortis ignarus, inſtaurabat ſacrum diis loci [4].

A. U. C. 822. J. C. 69.

LXXI. EXIN Bononiæ a Fabio Valente gladiatorum ſpectaculum editur, advecto ex Urbe cultu. Quantóque magis propinquabat, tantò corruptius iter, immixtis hiſtrionibus & ſpadonum gregibus, & cetero Neronianæ aulæ ingenio: namque & Neronem ipſum Vitellius admiratione celebrabat [5], ſectari

[1] QUADRAGESIMUM PUGNÆ DIEM ] Quadrageſimus pugnæ dies fuit 24 menſis Maii.

[2] NEC MINUS INHUMANA ] Æquè inhumana pars viæ propter exſtructa altaria, cæſaſque victimas, in morem exterorum barbarorumque regum. Vigente olim virtute Romanâ, terrarum orbis victrice, maximum fuit ſervati civis decus: at in hoc civilium bellorum furore, immenſa civium cædes inter ſacra divinaque celebrabatur.

[3] EXHORRUIT ] Immo in efferam vocem erupit, teſte Suetonio in Vitell. X. *Ut campos, in quibus pugnatum eſt, adiit, abhorrentes quoſdam cadaverum tabem, deteſtabili voce confirmare auſus eſt: Optime olere occiſum hoſtem, & meliùs civem. Nec eo ſeciùs ad leniendam gravitatem odoris plurimùm meri propalam hauſit, paſſimque diviſit. Pari vanitate, atque inſolentiâ lapidem memoriæ Othonis inſcriptum intuens, dignum eo Mauſoleo ait.*

[4] DIIS LOCI ] De diis loci jam dictum ſuprà Annal. XII, 13. Alia Vitellianæ religionis dedecora recenſet Suetonius in Vitell. X. *Pugionem quo ſe* Otho *occiderat, in Agrippinenſem coloniam*, nunc Cologne, *miſit. In Apennini quidem jugis etiam pervigilium egit.*

[5] ADMIRATIONE CELEBRABAT ] Inde, cùm Romam veniſſet, teſte Suetonio in Vitellio XI, *ne cui dubium foret, quod exemplar regendæ reipublicæ eligeret, pa-*

A. U. C. 822. J. C. 69.

cantantem ſolitus, non neceſſitate, quâ honeſtiſſimus quiſque, ſed luxu [1], & ſaginæ mancipatus emptuſque. Ut Valenti & Cæcinæ vacuos honoris menſes [2] aperiret, coarctati aliorum conſulatus, diſſimulatus Martii Macri [3], tamquam Othonianarum partium ducis: & Valerium Marinum, deſtinatum a Galbâ conſulem, diſtulit, nullâ offenſâ, ſed mitem, & injuriam ſegniter laturum. Pedanius Coſta omittitur, ingratus Principi, ut adverſùs Neronem auſus, & Verginii exſtimulator [4]. Sed alias protulit cauſas: actæque inſuper Vitellio gratiæ, conſuetudine ſervitii.

LXXII. Non ultra paucos dies, quamquam acribus initiis cœptum, mendacium valuit. Exſtiterat quidam, « Scribo- »nianum ſe Camerinum [5] » ferens, « Neronianorum tempo- »rum metu in Iſtriâ [6] occultatum, quod illic clientelæ & agri »veterum Craſſorum [7], ac nominis favor manebat ». Igitur deterrimo quoque in argumentum fabulæ adſumpto, vulgus credulum, & quidam militum, errore veri, ſeu turbarum ſtudio, certatim aggregabantur: cùm pertractus ad Vitellium, interrogatuſque « quiſnam mortalium eſſet », poſtquam nulla dictis fides, & a domino noſcebatur, conditione fugitivus, nomine *Geta* [8], ſumptum de eo ſupplicium in ſervilem modum [9].

*die Martio campo adhibitâ publicorum ſacerdotum frequentiâ, inferias Neroni dedit: ac ſolemni convivio citharœdum placentem palam admonuit, ut & aliquid de Domitio diceret: inchoantique Neroniana cantica, primus exſultans etiam plauſit.* Ipſe olim Neroni adulatione acceptiſſimus, utì videre eſt apud eumdem Suetonium in Vitell. IV.

1 Luxu ] Pro *luxui*; quod veteribus ſcriptoribus familiare

2 Vacuos honoris menses ] Octobrem reliquoſque menſes. De conſulibus hoc anno ſuffectis vide jam dicta Hiſt. I, 77.

3 Martii Macri ] De quo jam ſuprà cap. 23 & 36.

4 Verginii exstimulator ] Ut Verginius oblatum imperium acciperet.

5 Camerinum ] Sulpicium Camerinum, ejuſque filium, Nerone Principe, interemptos diximus in Supplemento Annal. XVI, 55. Scribonianos quoque fratres cæſos vide ibid. cap. 61.

6 In Istria ] Manet nomen *l'Iſtrie, dans le Golfe de Veniſe.*

7 Veterum Crassorum ] Fingebat ergo ſe quoque ad domum Craſſorum pertinere. Certè infrà Hiſt. IV, 39, memoratur Scribonianus Craſſus, frater Piſonis, M. Craſſi ſobolis, Hiſt. I, 14 & 15.

8 Nomine Geta ] *Geta, Davus*, &c. nomina ſunt ſervorum.

9 In servilem modum ] Cruce, quæ ſummum erat ſupplicium. De ſervilibus pœnis jam dictum ſuprà Annal. III, 50. XV, 60.

A. U. C. 822. J. C. 69.

LXXIII. Vix credibile memoratu eſt, quantum ſuperbiæ ſocordiæque Vitellio adoleverit, poſtquam ſpeculatores [1] e Syriâ Judæâque, « adactum in verba ejus Orientem » nuntiavere. Nam etſi vagis adhuc & incertis auctoribus, erat tamen in ore famâque Veſpaſianus, ac plerumque ad nomen ejus Vitellius excitabatur. Tum ipſe, exercituſque, ut nullo æmulo, ſævitiâ, libidine, raptu, in externos mores proruperunt.

LXXIV. At Veſpaſianus bellum armaque, procul vel juxtà ſitas vires, circumſpectabat. Miles ipſi adeò paratus, ut præeuntem ſacramentum, & fauſta Vitellio omnia precantem, per ſilentium audierint [2]. Muciani animus [3], nec Veſpaſiano alienus, & in Titum pronior: præfectus Ægypti, Alexander [4], conſilia ſociaverat. Tertiam legionem [5], quòd e Syriâ in Mœſiam tranſiſſet, ſuam numerabat: ceteræ Illyrici legiones, ſecuturæ ſperabantur. Namque omnes exercitus flammaverat arrogantia venientium a Vitellio militum [6]; quod truces corpore, horridi ſermone, ceteros, ut impares, irridebant. Sed in tantâ mole belli plerumque cunctatio; & Veſpaſianus, modo in ſpem erectus, aliquando adverſa reputabat: « Quis ille dies »foret, quo ſexaginta ætatis annos [7], & duos filios [8] juvenes »bello permitteret? Eſſe privatis cogitationibus regreſſum: &, »prout velint, plus minúſve ſumi ex fortunâ: imperium cu»pientibus, nihil medium inter ſumma & præcipitia.

LXXV. Versabatur ante oculos Germanici exercitûs robur, notum viro militari: « Suas legiones, civili bello inex»pertas; Vitellii, victrices: & apud victos [9], plus querimo-

[1] Speculatores ] De ſpeculatoribus vide ſuprà Hiſt. I, 24.

[2] Per silentium audierint ] Verba ſacramenti fauſtaſque preces, utì moris erat, non iterantes.

[3] Muciani animus ] Licinius Mucianus Syriæ rector; de quo ſuprà Hiſt. I, 10.

[4] Alexander ] Tiberius Alexander, jam memoratus Hiſt. I, 11.

[5] Tertiam legionem ] Vide ſuprà Hiſt. I, 79.

[6] Venientium a Vitellio militum ] Quorum pars maxima delectibus Germanicis, Gallicis, & Britannicis conſtabat.

[7] Sexaginta ætatis annos ] Sueton. in Veſpaſ. II. *Veſpaſianus natus eſt.... decimo quinto Kalendas Decembris veſperi, Quinto Sulpicio Camerino, Caio Poppæo Sabino conſulibus*, anno Urbis conditæ DCCLXII, *quinquennio ante quam Auguſtus excederet.*

[8] Duos filios ] Titum & Domitianum.

[9] Apud victos ] Othonianos.

A. U. C. 822. I. C. 69.

» niarum, quàm virium : fluxam per diſcordias militum fidem, » & periculum ex ſingulis. Quid enim profuturas cohortes alaſ» que, ſi unus alterque, præſenti facinore [1] paratum ex diver» ſo præmium petat ? Sic Scribonianum [2] ſub Claudio interfec» tum : ſic percuſſorem ejus Volaginium, e gregario ad ſum» ma militiæ provectum. Faciliùs univerſos impelli [3], quàm ſin» gulos vitari ».

LXXVI. His pavoribus nutantem, & alii legati amicique firmabant, & Mucianus poſt multos ſecretoſque ſermones, jam & coram [4] ita locutus : « Omnes, qui [5] magnarum » rerum conſilia ſuſcipiunt, æſtimare debent, an, quod inchoa» tur, reipublicæ utile, ipſis glorioſum, aut promptum effec» tu, aut certè non arduum ſit. Simul ipſe, qui ſuadet, con» ſiderandus eſt, adjiciatne conſilio periculum ſuum : &, ſi for» tuna cœptis adfuerit, cui ſummum decus adquiratur. Ego te, » Veſpaſiane, ad imperium voco, tam ſalutare reipublicæ, » quàm tibi magnificum. Juxta deos [6], in tuâ manu poſitum » eſt. Nec ſpeciem adulantis expaveris : a contumeliâ, quàm » a laude propius fuerit, poſt Vitellium [7] eligi. Non adversùs » divi Auguſti acerrimam mentem, nec adversùs cautiſſimam » Tiberii ſenectutem, ne contra Caii quidem, aut Claudii, vel » Neronis, fundatam longo imperio domum, exſurgimus : ceſ» ſiſti etiam Galbæ imaginibus [8]. Torpere ultrà, & polluen» dam perdendamque rempublicam relinquere, ſopor & ignavia » videretur, etiam ſi tibi, quàm inhoneſta, tam tuta ſervitus

[1] Præsenti facinore ] Veſpaſiani cæde paratum a Vitellio præmium petat.

[2] Sic Scribonianum ] Furium Camillum Scribonianum, Dalmatiæ legatum, intra quintum diem oppreſſum dicemus in Supplemento Annal. IX, 36.

[3] Universos impelli ] Faciliùs univerſos ad ſeditionem impelli, quàm ſingulorum inſidias vitari.

[4] Jam et coram ] Jam coram multis audientibus, ac publicè.

[5] Omnes, qui ] Hic fortè Tacitus imitatur Salluſtium, Hiſt. IV, 2. in epiſtolâ regis Mithridatis ad regem Arſacem. *Omnes, qui ſecundis rebus ſuis ad belli ſocietatem orantur, conſiderare debent liceatne tum pacem agere. Dein quod quæritur, ſatiſne pium, tutum, glorioſum, an indecorum ſit.*

[6] Juxta deos ] Juxta ipſos deos, in tua manu imperium poſitum eſt : hac enim de re reſponſa vatum & motus ſiderum ferebantur, ut dicetur cap. 78.

[7] Post Vitellium ] Adeò indignum imperio.

[8] Galbæ imaginibus ] De Galbæ nobilitate dictum eſt ſupra Hiſt. I, 15.

» eſſet.

»eſſet. Abiit jam, & tranſvectum eſt tempus [1], quo poſſes »videri concupiſſe: confugiendum eſt ad imperium. An excidit [2] trucidatus Corbulo? ſplendidior origine, quàm nos ſumus, fateor: ſed & Nero, nobilitate natalium, Vitellium »anteibat. Satis clarus eſt apud timentem, quiſquis timetur. »Et poſſe ab exercitu Principem fieri, ſibi ipſe Vitellius documento, nullis ſtipendiis, nullâ militari famâ, Galbæ odio provectus. Ne Othonem quidem [3], ducis arte, aut exercitûs vi, »ſed præproperâ ipſius deſperatione victum, jam deſiderabilem »& magnum Principem fecit. Cùm interim ſpargit legiones, »exarmat cohortes, nova quotidie bello ſemina miniſtrat: ſi »quid ardoris ac ferociæ miles habuit, popinis, & comeſſationibus, & Principis imitatione, deteritur. Tibi e Judæâ & Syriâ & Ægypto novem legiones integræ, nullâ acie exhauſtæ, »non diſcordiâ corruptæ: ſed firmatus uſu miles, & belli domitor externi [4]. Claſſium, alarum, cohortium robora; & fidiſſimi reges [5]; & tua ante omnes experientia.

A. U. C. 822. J. C. 69.

LXXVII. »Nobis nihil ultrà arrogabo, quàm ne poſt »Valentem ac Cæcinam numeremur. Ne tamen Mucianum ſocium ſpreveris, quia æmulum non experiris: me Vitellio antepono, te mihi. Tuæ domui triumphale nomen [6], duo ju»venes [7], capax jam imperii alter, & primis militiæ annis apud

[1] Transvectum est tempus ] Abiit jam & tranſvectum eſt tempus, quo poſſes videri concupiſſe meliorem imperii ſtatum & rectorem. Nunc confugiendum eſt ad ipſum imperium. Una tibi in imperio ſalus. Hæc illuſtrare mihi videtur Joſephus, Bell. Jud. IV, 10. num. 4. Τῷ δὲ (Οὐεσπασιανῷ) φροντὶς μὲν καὶ πάλαι τις τῶν ὅλων, οὔτι γε μὴν αὐτὸς ἄρχειν προῄρητο, τοῖς μὲν ἔργοις ἑαυτὸν ἄξιον ἡγούμενος, προκρίνων δὲ τῶν ἐν λαμπρότητι κινδύνων τὴν ἐν ἰδιώταις ἀσφάλειαν. *Veſpaſiano autem olim quidem curæ erat rerum ſumma, ceterùm de imperio minimè cogitaverat; factis quidem ſuis præclaris ſemet dignum qui imperet exiſtimans, privatæ verò fortunæ ſecuritatem præferens fortunæ periculis.*

[2] An excidit ] An trucidatus a Nerone Corbulo e memoriâ tuâ excidit? De Corbulonis morte dictum eſt in Supplemento Annal. XVI, 61.

[3] Ne Othonem quidem ] Poſſe ab exercitu Principem fieri, ſibi Vitellius documento eſt, nullis ſtipendiis, nullâ militari famâ, ſed Galbæ odio provectus: ipſe tam maculoſus, ut Othonem, ne ducis quidem arte, aut exercitûs vi, ſed præproperâ ipſius deſperatione victum, jam deſiderabilem & magnum Principem fecerit.

[4] Externi ] Belli Judaici.

[5] Fidissimi reges ] Agrippa, Sohemus, Antiochus, de quibus infrà cap. 81.

[6] Triumphale nomen ] Ob res egregiè geſtas in Britanniâ, *triumphalia ornamenta* a Claudio acceperat Veſpaſianus, teſte Suetonio in Veſpaſ. IV.

[7] Duo juvenes ] Titus & Domitia-

A. U. C. 822. J. C. 69.

» Germanicos quoque exercitus clarus. Abſurdum fuerit, non cedere imperio ei, cujus filium adoptaturus eſſem, ſi ipſe imperarem. Ceterùm inter nos non idem proſperarum adverſarumque rerum ordo erit. Nam ſi vincimus, honorem, quem dederis, habebo: diſcrimen ac pericula ex æquo patiemur: immo, ut melius eſt, tu hos exercitus rege, mihi bellum, & prœliorum incerta trade. Acriore hodie diſciplinâ victi, quàm victores [1] agunt: hos ira [2], odium, ultionis cupiditas ad virtutem accendit: illi per faſtidium & contumaciam hebeſcunt. Aperiet & recludet contecta & tumeſcentia [3] victricium partium vulnera bellum ipſum. Nec mihi major in tuâ vigilantiâ, parcimoniâ, ſapientiâ, fiducia eſt, quàm in Vitellii torpore, inſcitiâ, ſævitiâ. Sed & meliorem in bello cauſam, quàm in pace habemus: nam qui deliberant, deſciverunt [4].

LXXVIII. Post Muciani orationem ceteri audentiùs circumſiſtere, « reſponſa vatum [5], & ſiderum motus » referre. Nec erat intactus tali ſuperſtitione, ut qui mox, rerum dominus, Seleucum quemdam, mathematicum, rectorem & præſcium palam habuerit. Recurſabant animo vetera omina: cupreſſus arbor in agris ejus, conſpicuâ altitudine, repentè prociderat [6]; ac poſterâ die, eodem veſtigio reſurgens, procera & latior [7] virebat; grande id, proſperumque, conſenſu haruſpicum: & ſumma claritudo juveni admodum Veſpaſiano

nus; quorum Titus, capax jam imperii, & primis militiæ annis *tribunus militum & in Germaniâ & in Britanniâ* meruerat *ſummâ induſtriâ, nec minore modeſtiâ, & famâ*, Sueton. in Tit. IV.

[1] Victi, quam victores ] Victi Othoniani, victores Vitelliani.

[2] Hos ira ] *Hos*, victos: *illi*, victores. *Hos* enim uſurpat Tacitus pro *illos*; & *illi* pro *hi*.

[3] Tumescentia ] Eodem ſenſu dictum vidimus ſuprà Hiſt. II, 32, *quoniam Galliæ tumeant*.

[4] Desciverunt ] Verè quidem. Ubi de republicâ agitur, dubia fides, crimen eſt.

[5] Responsa vatum ] De futuro Veſpaſiani imperio plurima prodigia ſomniaque recenſet Dio LXVI. pag. 744 & 745. Vide & Suetonium in Veſpaſ. V & VII.

[6] Repente prociderat ] Procidit *ſine ullâ vi tempeſtatis evulſa radicitus*, auctore Suetonio in Veſpaſ. V. Contrà verò juxta Dionem LXVI, pag. 744, [illegible]. Tam parum ſibi conſtant prodigia!

[7] Et latior ] Lipſio Huetioque meritò placet, & *lætior*. Suffragatur Suetonius in Veſpaſ. V. *Inſequenti die viridior ac firmior reſurrexit.*

promiſſa. Sed primo triumphalia [1], & conſulatus, & Judaicæ victoriæ decus, impleſſe fidem ominis videbantur: ut hæc adeptus eſt, portendi ſibi imperium credebat. Eſt Judæam inter Syriamque Carmelus [2], ita vocant montem, deumque [3]: nec ſimulacrum deo, aut templum, ſic tradidere majores: ara tantum & reverentia [4]. Illic ſacrificanti Veſpaſiano, cum ſpes occultas verſaret animo, Baſilides ſacerdos, inſpectis idemtidem extis [5], « Quidquid eſt [6], » inquit, « Veſpaſiane, » quod paras, ſeu domum exſtruere, ſeu prolatare agros, ſive » ampliare ſervitia; datur tibi magna ſedes, ingentes termini, » multum hominum ». Has ambages & ſtatim exceperat fama, & tunc aperiebat; nec quidquam magis in ore vulgi: crebriores apud ipſum ſermones, quanto ſperantibus plura dicuntur.

A. U. C. 822. J. C. 69.

LXXIX. Haud dubiâ deſtinatione diſceſſere, Mucianus Antiochiam [7], Veſpaſianus Cæſaream [8]: illa Syriæ, hæc Judææ caput eſt. Initium ferendi ad Veſpaſianum imperii Alexandriæ cœptum [9], feſtinante Tiberio Alexandro, qui Calen-

[1] Triumphalia et consulatus ] De triumphalibus dictum cap. ſup. Conſul quoque fuit Veſpaſianus, ſed ſuffectus tantùm, & *per duos noviſſimos anni menſes*, Sueton. in Veſpaſ. IV. De victoriâ Judaicâ vide Supplementum Annal. XVI, 57 & ſeqq.

[2] Carmelus ] Hodieque *le mont Carmel*.

[3] Montemque, deumque ] Ubi mortalitas verum Deum dedidicit, præcipua fuit montium lucorumque religio, majeſtate horroreve loci. Rebantur quoque excelſos *locos propinquare cælo, preceſque mortalium a diis nuſquam propius audiri*. Suprà Annal XIII, 57. Fortè tamen in hoc Carmeli cultu, occulta latitat veri Dei memoria, qui montem hunc mirabili divinæ potentiæ ſuæ vi, Eliæ prophetæ temporibus, ante nongentos ſexaginta annos illuſtrem fecerat; ut videre eſt III Reg. XVIII, 19 & ſeqq.

[4] Ara tantum et reverentia ] Haud abſimilis religio apud veteres Germanos invaluerat, ut videbimus infrà de Moribus German. IX. Hæcque prima ſuperſtitionis monumenta. Recentius inventum fuit deorum formas fingere, eoſque templorum parietibus cohibere. Illæ autem aræ, ſeu ingentes lapides, in nonnullis montibus adhuc reperiuntur.

[5] Inspectis idemtidem extis ] Ergo Baſilides ille ſacerdos fuit e ſectâ haruſpicum extiſpicorum, de quibus dictum ſuprà Annal. XI, 15. not. 5. & 6. Mirum ſanè exſtitiſſe ſcriptores, qui Baſilidem hunc Carmelitam fuiſſe, & Carmelitici ordinis antiſtitem, gloriati ſunt; quos tamen gravioribus, quàm poſtulabat rei natura, argumentis refutavit eruditus Papebrochius.

[6] Quidquid est ] Hæc aliter, forteſque memorat Suetonius in Veſpaſ. V. *Apud Judæam Carmeli dei oraculum conſulentem ita confirmavere ſortes, ut quidquid cogitaret, volveretque animo, quantumlibet magnum, id eſſe proventurum pollicerentur.*

[7] Antiochiam ] Nunc *Antakia*. De hac urbe dictum ſuprà Annal. II, 83.

[8] Cæsaream ] Nunc [illegible]. Vide Supplementum Annal. XVI, 59.

[9] Alexandriæ cœptum ] Vide [illegible] dem. Licèt id prius [illegible]

A. U. C. 822. J. C. 69.

dis Juliis [1] ſacramento ejus legiones adegit. Iſque primus principatûs dies in poſterum celebratus, quamvis Judaicus exercitus quinto Nonas Julias [2] apud ipſum juraſſet, eo ardore, ut ne Titus quidem filius exſpectaretur, Syriâ remeans, & conſiliorum inter Mucianum ac patrem nuntius: cuncta impetu militum acta: non paratâ concione, non conjunctis legionibus.

LXXX. Dum quæritur tempus locuſque, quodque in re tali difficillimum eſt, prima vox; dum animo ſpes, timor, ratio, caſus obverſantur; egreſſum cubiculo Veſpaſianum, pauci milites ſolito adſiſtentes ordine, ut legatum ſalutaturi, *Imperatorem* ſalutavere. Tum ceteri, accurrere, *Cæſarem*, & *Auguſtum*, & omnia principatûs vocabula cumulare: mens a metu ad fortunam tranſierat. In ipſo nihil tumidum, arrogans, aut in rebus novis novum fuit; ut primùm tantæ multitudinis [3] obfuſam oculis caliginem disjecit, militariter locutus, læta omnia, & adfluentia excepit: jamque id ipſum opperiens Mucianus, alacrem militem in verba Veſpaſiani adegit [4]. Tum Antiochenſium theatrum ingreſſus, ubi illis conſultare mos eſt, concurrentes, & in adulationem effuſos adloquitur: ſatis decorus etiam Græcâ facundiâ, omniumque quæ diceret, atque ageret, arte quâdam oſtentator [5]. Nihil æquè provinciam exercitumque accendit, quàm quòd adſeverabat Mucianus, « ſtatuiſſe Vitellium [6], ut Germanicas »legiones in Syriam, ad militiam opulentam quietamque,

ſiacæ legiones. Vide Suetonium, in Veſpaſ. VI.

[1] Calendis Juliis ] Die primâ Julii.

[2] Quinto Nonas Julias ] Die tertiâ Julii. Haud probabiliter Suetonius in Veſpaſ. VI. *Judaicus deinde exercitus quinto Idus Julii*, die undecimâ Julii, *apud ipſum juravit*

[3] Tantæ multitudinis ] Veriùs, *tantæ mutationis*. Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. II, 80.

[4] Adigit ] Acceptis priùs a Veſpaſiano literis, teſte Joſepho, Bell. Jud. IV, 10. Alia & a Tacito diverſa habet Joſephus. At potior videtur Taciti narratio.

[5] Ostentator ] Hìc fortè Tacitus imitatus eſt Livium, XXVI, 19. *Fuit enim Scipio, non veris tantùm virtutibus mirabilis, ſed arte quoque quâdam ab juventâ in oſtentationem earum compoſitus.*

[6] Statuisse Vitellium ] Eadem habet Suetonius in Veſpaſ. VI. Addit præterea: *Plurimùm cœptis contulerunt, jactatum exemplar epiſtolæ, veræ ſive falſæ, defuncti Othonis ad Veſpaſianum, extremâ obteſtatione ultionem mandantis, & ut reipublicæ ſubveniret, optantis.*

A. U. C. 822. J. C. 69.

»transferret. Contrà Syriacis legionibus Germanica hiberna, »cælo ac laboribus dura, mutarentur ». Quippe & provinciales ſueto militum contubernio gaudebant, plerique neceſſitudinibus & propinquitatibus mixti; & militibus, vetuſtate ſtipendiorum, nota & familiaria caſtra, in modum penatium diligebantur.

LXXXI. Ante Idus Julii [1] Syria omnis in eodem ſacramento fuit. Acceſſere cum regno, Sohemus [2], haud ſpernendis viribus, Antiochus [3], vetuſtis opibus ingens, & inſervientium regum ditiſſimus: mox per occultos ſuorum nuntios excitus ab Urbe Agrippa [4], ignaro adhuc Vitellio, celeri navigatione properaverat; nec minore animo, regina Berenice [5] partes juvabat, florens ætate formâque, & ſeni quoque Veſpaſiano magnificentiâ munerum grata. Quidquid provinciarum alluitur mari, Aſiâ atque Achaiâ tenus, quantumque introrſus in Pontum & Armenios pateſcit, juravere: ſed inermes legati regebant, nondum additis [6] Cappadociæ legionibus. Conſilium de ſummâ rerum, Beryti [7] habitum: illuc Mucianus, cum legatis tribuniſque, & ſpendidiſſimo quoque centurionum ac militum, venit: & e Judaico exercitu, lecta decora. Tantum ſimul peditum equitumque, & æmulantium inter ſe regum paratus, ſpeciem fortunæ Principalis effecerant.

[1] Ante Idus Julii ] Inde manifeſtò patet erraſſe Suetonium, qui loco ſuprà cit. ait exercitum Judaicum *quinto Idus Julii* juraſſe. Quomodo enim id reſciviſſet Syria, & in eodem ſacramento ante Idus Julii fuiſſet?

[2] Sohemus ] Rex Sophenes, de quo dictum eſt ſuprà Annal. XIII, 7. Vide & Stemma Sohemorum in Notis & Emendationibus ad Annal. XII, 23, num. 6.

[3] Antiochus ] Rex Commagenæ memoratus ſupra Annal. XII, 55 & XIII, 7.

[4] Agrippa ] Agrippa II, de quo plura diximus Annal. XIII, 7. Vide quoque Stemma Herodum in Notis & Emendationibus ad Annal. XII, 23, num. 9. Tunc cuſus ære magno Agrippæ nummus: ΑΥΤΟΚΡΑ ΟΥΕC . . . . ΚΑΙCAPI CΕΒΑCΤΩ. Caput Veſpaſiani laureatum. In averſâ ejus parte ΕΤ ΙΔ ΒΑ ΑΓΡΙΠΠΑ. Femina ſtans, dextrâ extenſâ, ſiniſtrâ cornucopiam tenet. Cuſus eſt ille nummus *anno decimoquarto regis Agrippæ*. Initio hujus regni ducto ab ærâ Juliadis.

[5] Berenice ] Soror Agrippæ II, Titi amoribus celeberrima, de quâ vide Stemma Herodum loc. cit. num. 11.

[6] Nondum additis ] Veſpaſianus, imperii & diſciplinæ militaris reparator, *Cappadociæ propter aſſiduos barbarorum incurſus legiones* poſtea *addidit: conſularemque rectorem impoſuit, pro equite Romano*, Sueton. in Veſpaſ. VIII.

[7] Beryti ] Hodie *Baruc*, in Phœniciâ.

A. U. C. 822 J. C. 69.

LXXXII. Prima belli cura, agere delectus; revocare veteranos : deſtinantur validæ civitates exercendis armorum officinis [1] : apud Antiochenſes, aurum argentumque ſignatur : eaque cuncta per idoneos miniſtros, ſuis quæque locis, feſtinabantur. Ipſe Veſpaſianus, adire, hortari; bonos laude, ſegnes exemplo, incitare ſæpius, quàm coercere : vitia magis amicorum, quàm virtutes diſſimulans. Multos præfecturis & procurationibus [2], pleroſque ſenatorii ordinis honore percoluit, egregios viros, & mox ſumma adeptos : quibuſdam, fortuna pro virtutibus fuit. Donativum militi, neque Mucianus primâ concione, niſi modicè oſtenderat; ne Veſpaſianus quidem, plus civili bello obtulit, quàm alii in pace [3], egregiè firmus adversùs militarem largitionem [4], eoque exercitu meliore. Miſſi ad Parthum Armeniumque [5] legati, proviſumque, ne verſis ad civile bellum legionibus, terga nudarentur. Titum inſtare Judææ [6], Veſpaſianum obtinere clauſtra Ægypti [7] placuit : ſufficere videbantur adversùs Vitellium, pars copiarum, & dux Mucianus, & Veſpaſiani nomen, ac nihil arduum fatis. Ad omnes exercitus legatoſque ſcriptæ epiſtolæ, præceptumque, « ut prætorianos [8], Vitellio infenſos, reciperandæ militiæ præmio invitarent ».

LXXXIII. Mucianus cum expeditâ manu, ſocium magis imperii, quàm miniſtrum agens, non lento itinere, ne cunctari videretur, neque tamen properans, gliſcere famam

[1] Officinis ] Quibus arma cudebantur.

[2] Præfecturis et procurationibus] Quos præfectos procuratoreſve provinciarum fecit.

[3] Alii in pace ] In pace donativa & congiaria mihi videntur vulgò fuiſſe denariorum quinorum & ſeptuagenorum, Gallicæ monetæ librarum 58. Proinde, cùm iſtud donativum novem legionibus fuerit collatum, dedit Veſpaſianus Gallicæ monetæ libras circiter 3,100,000. Vide infrà in Notis & Emendationibus ad Dialogum de Oratoribus cap. XVII. diſſertationem de congiariis Romanis.

[4] Militarem largitionem ] Quàm intemperantes hac in re fuerint Claudius ac Nero vide in Annal. XII, 69. & Supplementum Annal. IX, 12.

[5] Parthum Armeniumque ] Vologeſen, Parthorum; Tiridaten, Armeniæ regem.

[6] Instare Judææ ] Initia belli Judaici vide in Supplemento Annal. XVI, 47 & 57.

[7] Claustra Ægypti ] Ibi clauſtra terræ ac maris, ut dictum eſt ſuprà Annal. II, 59.

[8] Prætorianos ] Quos, ut Othoni fidos, dimiſerat Vitellius. Vide ſuprà cap. 67, 70. & infrà Hiſt. IV, 46.

A. U. C. 822. J. C. 69.

ipſo ſpatio ſinebat: gnarus modicas vires ſibi, & majora credi de abſentibus. Sed legio ſexta, & tredecim vexillariorum millia, ingenti agmine ſequebantur. Claſſem e Ponto [1], Byzantium [2] adigi juſſerat: ambiguus conſilii, num omiſsâ Mœſiâ [3], Dyrrachium [4] pedite atque equite, ſimul longis navibus verſum in Italiam mare [5] clauderet, tutâ pone tergum Achaiâ Aſiâque: quas inermes exponi Vitellio, ni præſidiis firmarentur: atque ipſum Vitellium in incerto fore, quam partem Italiæ protegeret, ſi ſibi Brundiſium Tarentumque [6], & Lucaniæ Calabriæque [7] litora, infeſtis claſſibus peterentur.

LXXXIV. Igitur navium, militum, armorum paratu ſtrepere provinciæ. Sed nihil æquè fatigabat, quàm pecuniarum conquiſitio: « eos eſſe belli civilis nervos » dictitans Mucianus, non jus aut verum in cognitionibus, ſed ſolam magnitudinem opum ſpectabat: paſſim delationes; & locupletiſſimus quiſque in prædam correpti: quæ gravia atque intoleranda, ſed neceſſitate armorum excuſata, etiam in pace manſere; ipſo Veſpaſiano, inter initia imperii, ad obtinendas iniquitates haud perinde obſtinante: donec, indulgentiâ fortunæ, & pravis magiſtris, didicit, auſuſque eſt [8]. Propriis quoque opibus Mucianus bellum juvit, largus privatim, quòd avidiùs de republicâ ſumeret. Ceteri conferendarum pecuniarum exemplum ſecuti; rariſſimus quiſque [9] eamdem in reciperando licentiam habuerunt.

LXXXV. Adcelerata interim Veſpaſiani cœpta, Illy-

[1] E Ponto ] Pontus, nunc *la Mer Noire.*

[2] Byzantium ] Nunc *Conſtantinople.*

[3] Mœsia ] Hodie *la Bulgarie & partie de la Servie.*

[4] Dyrrachium ] Nunc *Durazzo.*

[5] Versum in Italiam mare ] Mare Adriaticum, nunc *le Golphe de Veniſe.*

[6] Brundisium Tarentumque ] Brundiſium, *Brindiſi*; Tarentum, *Tarente.*

[7] Lucaniæ Calabriæque ] Calabria, *la terre d'Otrante*: Lucania, *la Calabre, & partie de la Principauté Citérieure & de la Baſilicate.*

[8] Ausúsque est ] Id omnes in Veſpaſiano reprehenderunt. Apertè Suetonius in Veſpaſ. XVI. *Sola eſt, in qua meritò culpetur, pecuniæ cupiditas. Non enim contentus, omiſſa ſub Galbâ vectigalia revocaſſe: nova & gravia addidiſſe: auxiſſe tributa provinciis, nonnullis & duplicaſſe: negotiationes quoque, vel privato pudendas, propalam exercuit, coemendo quædam tantùm, ut pluris poſtea diſtraheret.*

[9] Rarissimus quisque ] Multi quidem conferendarum pecuniarum exemplum ſunt ſecuti: ſed pauci eamdem in recuperando licentiam habuerunt, quòd ea, quâ Mucianus, auctoritate non valerent.

A. U. C. 822. J. C. 69.

rici exercitûs ſtudio, tranſgreſſi in partes. Tertia legio [1] exemplum ceteris Mœſiæ legionibus præbuit. Octava erat ac ſeptima Claudiana, imbutæ favore Othonis, quamvis prœlio non interfuiſſent: Aquileiam progreſſæ [2], proturbatis, qui de Othone nuntiabant [3], laceratiſque vexillis, nomen *Vitellii* præferentibus, raptâ poſtremo pecuniâ [4], & inter ſe diviſâ, hoſtiliter egerant. Unde metus, & ex metu conſilium: « poſſe im»putari Veſpaſiano [5], quæ apud Vitellium excuſanda erant ». Ita tres Mœſicæ legiones per epiſtolas adliciebant Pannonicum exercitum, aut abnuenti vim parabant. In eo motu Aponius Saturninus [6], Mœſiæ rector, peſſimum facinus audet, miſſo centurione ad interficiendum Tertium Julianum, ſeptimæ legionis legatum, ob ſimultates, quibus cauſam partium prætendebat. Julianus, comperto diſcrimine, & gnaris locorum adſcitis, per avia Mœſiæ, ultra montem Hæmum [7] profugit: nec deinde civili bello interfuit, per varias moras ſuſceptum ad Veſpaſianum iter trahens, & ex nuntiis cunctabundus, aut properans.

LXXXVI. At in Pannoniâ tertiadecima legio, ac ſeptima Galbiana, dolorem iramque Bebriacenſis pugnæ retinentes [8], haud cunctanter Veſpaſiano acceſſere, vi præcipuâ Primi Antonii [9]. Is legibus nocens, & tempore Neronis falſi damnatus [10], inter alia belli mala, ſenatorium ordinem reciperaverat. Præpoſitus a Galbâ ſeptimæ legioni, ſcriptitaſſe Othoni

[1] Tertia legio ] Quæ e Syriâ in Mœſiam venerat, ut vidimus ſuprà cap. 74. Alii autem ita diſtinguunt. *Tranſgreſſa in partes tertia legio*, &c. Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. II, 85.

[2] Aquileiam progressæ ] Vide ſuprà cap. 46.

[3] De Othone nuntiabant ] Qui Othonem *victum ac vim vitæ ſuæ attuliſſe* nuntiabant, Sueton. in Veſpaſ. VI.

[4] Pecunia ] Pecuniâ militari & fiſcis, de quibus dictum eſt Annal. I, 37.

[5] Posse imputari Vespasiano ] Poſſe imputari Veſpaſiano, quaſi argumenta fidei, quæ apud Vitellium, ut crimina, erant excuſanda.

[6] Aponius Saturninus ] De quo ſuprà Hiſt. I, 79. Ibi quoque laudatur Tertius Julianus.

[7] Montem Hæmum ] Nunc *le mont Argentaro*; de quo ſupra Annal. III, 38.

[8] Retinentes ] De utràque legione ſuprà Hiſt. II, 11, 43 & 67.

[9] Primi Antonii ] Qui fuit poſtea Flavianarum partium dux acerrimus. *Toloſæ*, Toulouſe, *nato cognomen in pueritiâ Becco fuerat, id valet Gallinacei roſtrum*, Sueton. in Vitell. XVIII. Homo ille, vitâ famâque probroſus, a Martiale ſummopere laudatur. Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. II, 86.

[10] Falsi damnatus ] Ut vidimus ſuprà Annal. XIV. 40.

credebatur,

A. U. C. 822. J. C. 69.

credebatur, ducem ſe partibus offerens; a quo neglectus, in nullo Othoniani belli uſu fuit: labantibus [1] Vitellii rebus, Veſpaſianum ſecutus, grande momentum addidit, ſtrenuus manu, ſermone promptus, ſerendæ in alios invidiæ artifex, diſcordiis & ſeditionibus potens, raptor, largitor, pace peſſimus, bello non ſpernendus. Juncti inde Mœſici ac Pannonici exercitus, Dalmaticum militem traxere, quamquam conſularibus legatis nihil turbantibus. Titus Ampius Flavianus Pannoniam, Pompeius Silvanus Dalmatiam tenebant, divites ſenes. Sed procurator aderat Cornelius Fuſcus, vigens ætate, claris natalibus: primâ juventâ, quietis cupidine [2], ſenatorium ordinem exuerat: idem pro Galbâ dux coloniæ ſuæ [3], eâque operâ procurationem adeptus [4], ſuſceptis Veſpaſiani partibus, acerrimam bello facem prætulit; non tam præmiis periculorum, quàm ipſis periculis lætus: pro certis & olim partis, nova, ambigua & ancipitia malebat. Igitur movere & quatere, quidquid uſquam ægrum foret, adgrediuntur. Scriptæ in Britanniam ad quartadecimanos [5], in Hiſpaniam ad primanos [6] epiſtolæ; quòd utraque legio pro Othone, adverſa Vitellio fuerat: ſparguntur per Gallias literæ; momentoque temporis flagrabat ingens bellum, Illyricis exercitibus palam deſciſcentibus, ceteris fortunam ſecuturis.

LXXXVII. Dum hæc, per provincias, a Veſpaſiano ducibuſque partium geruntur; Vitellius contemptior in dies ſe-

[1] Labantibus ] Repentè ruentibus. Optimè enim Ryckius, *labi* eſt ſenſim cadere, *labare*, repentè ruere. Sic ſuprà Annal. XIV, 12, *labante Agrippina*; & Annal. XVI, 33, *Soranum labantem*.

[2] Quietis cupidine ] Eruditi viri Grotius & Huetius mallent *quæſtûs cupidine*. Sed vide Notas & Emendationes ad Hiſt. II, 86.

[3] Dux coloniæ suæ ] Quæ ſit illa colonia, incertum. Ejus nomen ſanè memoraverat Tacitus in eâ parte libri ſextidecimi Annalium, quæ periit. Ibi enim Galbæ initia narraverat. Fortè tamen urbs illa fuit Clunia. Nam Ptolemæo II, 6, memoratur Clunia colonia. Præterea Cluniæ fuit conventus juridicus, quod vulgò proprium erat coloniæ, ut obſervat eruditus Florez, *Medallas de Eſpaña*, pag. 366. Plurimum autem operæ præſtare potuit Cornelius Fuſcus, cùm Galba hanc in urbem ſe recepiſſet, ut vidimus ſuprà in Supplemento Annal. XVI, 80.

[4] Procurationem adeptus ] Procurationem Pannoniæ & Dalmatiæ.

[5] Quartadecimanos ] Quartamdecimam legionem memoratam ſuprà Hiſt. II, 43 & 66.

[6] Primanos ] Primam legionem Claſſicorum, ut jam dictum eſt ſuprà cap. 67.

A. U. C. 822. J. C. 69. gniorque, ad omnes municipiorum villarumque amœnitates reſiſtens [1], gravi Urbem agmine petebat. Sexaginta millia armatorum [2] ſequebantur, licentiâ corrupta. Calonum numerus amplior [3]; procaciſſimis etiam inter ſervos lixarum ingeniis: tot legatorum amicorumque comitatus inhabilis ad parendum, etiam ſi ſummâ modeſtiâ regeretur. Onerabant multitudinem obvii ex Urbe ſenatores equiteſque: quidam metu, multi per adulationem, ceteri, ac paullatim omnes, ne, aliis proficiſcentibus, ipſi remanerent. Adgregabantur e plebe, flagitioſa per obſequia Vitellio cogniti, ſcurræ, hiſtriones, aurigæ, quibus ille amicitiarum dehoneſtamentis mirè gaudebat. Nec coloniæ modo, aut municipia, congeſtu copiarum [4], ſed ipſi cultores, arvaque, maturis jam frugibus, ut hoſtile ſolum, vaſtabantur.

LXXXVIII. Multæ & atroces inter ſe militum cædes, poſt ſeditionem Ticini cœptam [5]; manente legionum auxiliorumque diſcordiâ; ubi adversùs paganos [6] certandum foret, conſenſu. Sed plurima ſtrages, ad ſeptimum ab Urbe lapidem [7]: ſingulis ibi militibus Vitellius paratos cibos, ut gladiatoriam ſaginam [8], dividebat. Et effuſa plebes, totis ſe caſtris miſcue-

[1] Resistens ] Conſiſtens, morans. Sic Phædrus, Fab. I, 12.

*Ad fontem cervus cùm bibiſſet, reſtitit,*
*Et in liquore vidit effigiem ſuam.*

[2] Sexaginta millia armatorum ] Major quidem fuerat Vitellii exercitus, ut vidimus ſuprà Hiſt. I, 61 & 64. Hiſt. II, 57. At multa hominum millia perierant in prœliis ad locum Caſtorum, ad Bebriacum, Hiſt. II, 24 & 42. Cædes quoque plurimæ in ſeditionibus factæ, Hiſt. II, 68 & 88. Amputati legionum auxiliorumque numeri: promiſcuæ miſſiones oblatæ: remiſſæ Batavorum cohortes: reddita civitatibus Gallorum auxilia, Hiſt. II, 69. Satis ergo ex Tacito patet quomodo imminutus fuerit Vitellii exercitus. Fruſtraque eruditus Savilius Tacitum hìc vellicat, ut rectè obſervavit Ryckius.

[3] Calonum numerus amplior ] Tot aderant calones, lixæ, magis in luxus, quàm in exercitûs miniſteria. De calonibus & lixis vide quæ notata ſunt Hiſt. I, 49. Luxuriante autem imperio, ac maxime Vitellio, hunc calonum numerum nemo mirabitur, qui attenderit, cùm a Cimbris Cn. Manlius & Servilius Cæpio victi ſunt, *militum millia ſexaginta cæſa fuiſſe, calonum ac lixarum quadraginta*. Livii Epitome, LXVII.

[4] Copiarum ] Cibariorum, commeatuum.

[5] Ticini cœptam ] Vide ſuprà cap. 68.

[6] Adversus paganos ] Adversùs eos qui non militabant. De paganis dictum eſt ſuprà Hiſt. I, 53.

[7] Septimum ab Urbe lapidem ] Septem millia paſſuum ab Urbe; ac proinde prope locum, qui nunc dicitur *Prima Porta*.

[8] Saginam ] Saginam illam imitatur id, quod nunc dicimus *une [illegible]*.

A. U. C. 822. J. C. 69.

rat. Incurioſos milites, vernaculâ, ut rebantur, urbanitate, quidam ſpoliavere, abſciſis furtim balteis [1], « an accincti fo» rent » rogitantes. Non tulit ludibrium inſolens contumeliæ animus: inermem populum gladiis invaſere: cæſus inter alios pater militis, cùm filium comitaretur, deinde agnitus; & vulgatâ cæde, temperatum ab innoxiis [2]. In Urbe tamen trepidatum, præcurrentibus paſſim militibus. Forum maximè petebant, cupidine viſendi locum, in quo Galba jacuiſſet [3]. Nec minus ſævum ſpectaculum erant ipſi, tergis ferarum [4] & ingentibus telis horrentes, cùm turbam populi per inſcitiam parum vitarent, aut ubi lubrico viæ, vel occurſu alicujus procidiſſent, ad jurgium, mox ad manus & ferrum tranſirent. Quin & tribuni præfectique, cum terrore & armatorum catervis volitabant.

LXXXIX. Ipse Vitellius, a Ponte Milvio [5], inſigni equo, paludatus [6] accinctuſque, ſenatum & populum ante ſe agens, quominus, ut captam, Urbem ingrederetur, amicorum conſilio deterritus, ſumptâ prætextâ [7] & compoſito agmine, inceſſit. Quatuor legionum aquilæ per frontem, totidemque circà e legionibus aliis vexilla, mox duodecim alarum ſigna, & poſt peditum ordines, eques: dein quatuor & triginta cohortes, ut nomina gentium, aut ſpecies armorum forent, diſcretæ. Ante aquilam [8] præfecti caſtrorum tribunique, & primi centurionum,

[1] Balteis] Varro de Ling. Lat. lib. IV. *Balteum, cingulum erat e corio, bullatum.* Gallicè dicimus *un ceinturon.*

[2] Ab innoxiis] Adversùs innocentes non ampliùs ſævitum eſt.

[3] Galba jacuisset] Curtii lacum, de quo ſuprà Hiſt. I, 41.

[4] Tergis ferarum] Germanorum ritu. Vide infrà de Moribus German. XVII.

[5] A Ponte Milvio] De hoc jam diximus ſuprà Annal. XIII, 47.

[6] Paludatus] Paludamentum, veſtis erat militaris. Sic paludatum, deinde togatum, Galbam inceſſiſſe diximus in Supplemento Annal. XVI, 92 & 94.

[7] Prætexta] Prætexta, pacis inſigne. Ingreſſum Vitellii aliter narrat Suetonius in Vitell. XI. *Urbem denique ad claſſicum introiit paludatus, ferroque ſuccinctus, inter ſigna atque vexilla, ſagulatis comitibus, ac detectis commilitonum armis.* At Tacito potiùs, quàm Suetonio habendam fidem teſtantur nummi duo Vitellii apud eruditum Oiſelium, *Theſaurus ſelectorum numiſmatum*, Tab. XC. num. 4 & 5. & pag. 454. In uno, ADVENTVS AVGVSTI, Vitellius paludatus equo inſidet. In altero, ADVENTVS AVGVSTI, Roma galeata togatum Vitellium excipit. P. de Grainville ex uno ſuo nummo, in quo paludatus erat Vitellius, Suetonii partes adversùs Tacitum immeritò defendit. *Mémoires pour l'Hiſtoire des Sciences & des beaux Arts. Année* 1703. *Avril.* pag. 696. & ſeqq.

[8] Ante aquilam] Bene Lipſius. Ante ſuam quiſque aquilam. Alioqui veriùs, *aquilas*: nam quatuor erant aquilæ.

A. U. C. 822. J. C. 69.

candidâ veſte: ceteri, juxta ſuam quiſque centuriam, armis doniſque [1] fulgentes. Et militum phaleræ torqueſque ſplendebant: decora facies, & non Vitellio Principe [2] dignus exercitus. Sic Capitolium ingreſſus, atque ibi matrem [3] complexus, *Auguſtæ* nomine honoravit.

XC. POSTERA die, tamquam apud alterius civitatis ſenatum populumque, magnificam orationem de ſemetipſo prompſit, induſtriam temperantiamque ſuam laudibus attollens; conſciis flagitiorum ipſis, qui aderant, omnique Italiâ, per quam ſomno & luxu pudendus inceſſerat. Vulgus tamen, vacuum curis, & ſine falſi verique diſcrimine ſolitas adulationes edoctum, clamore & vocibus adſtrepebat: abnuentique nomen *Auguſti* [4], expreſſere ut adſumeret, tam fruſtra [5], quàm recuſaverat.

XCI. APUD civitatem cuncta interpretantem, funeſti ominis loco acceptum eſt, quòd maximum pontificatum [6] adeptus Vitellius, de cærimoniis publicis quintodecimo Calendas Auguſti edixiſſet [7], antiquitus infauſto die Cremerenſi Allienſique cladibus [8]: adeo omnis humani divinique juris expers, pari

[1] DONISQUE] Haſtæ, phaleræ, torques, armillæ, coronæ, dona erant militaria, virtutiſque præmia, de quibus vide jam dicta in Notis & Emendationibus ad Annal. I, 44.

[2] NON VITELLIO PRINCIPE] Non Vitellio, ſed alio meliore Principe. *Et* uſurpatur pro *ſed*, ut aliàs ſæpe.

[3] MATREM] Sextiliam; de quâ ſupra cap. 67.

[4] NOMEN AUGUSTI] Ut jam vidimus ſuprà cap. 62.

[5] TAM FRUSTRA] Bene illuſtr. Huetius: *Cauſam non habuit cur recuſaret; nec deinde cur recuſatum adſumeret.*

[6] MAXIMUM PONTIFICATUM] Die tantùm 18 Julii pontificatum maximum accepit Vitellius. Unde Sueton. in Vitell. XI, *omni divino humanoque jure neglecto Allienſi die pontificatum maximum cepit.* Antea fuit pontifex, minimè verò pontifex maximus. Hac de re inſignis nummus Vitellii in Catalogo nummorum Muſei Turnonenſis Soc. Jeſu, pag. 59. A. VITELLIVS GERMAN. IMP. PONT. Caput Vitellii. In averſâ parte, VICTORIA AVG.

[7] EDIXISSET] Quod Romanâ religione vetitum. Livius VI, 1. *De diebus religioſis agitari cæptum, diemque a. d. XV. Calendas Sextiles duplici clade inſignem (quo die ad Cremeram Fabii cæſi: quo deinde ad Alliam cum exitio Urbis fædè pugnatum) a poſteriore clade Allienſem appellarunt, inſignemque rei nulli publicè privatimque agendæ fecerunt.*

[8] CREMERENSI ALLIENSIQUE CLADIBUS] Ad Cremeram, Tuſciæ fluvium, hodie *la Varca*, trecenti Fabii a Veientibus cæſi ſunt, anno U. C. CCLXXVII. Ad Alliam victi a Gallis Romani, anno U. C. CCCLXIV. Allienſi clade nulla fœdior: *itaque hunc diem faſtis Roma damnavit.* Florus I, 13. Et Cicero Ep. ad Attic. IX, 5. *Majores noſtri funeſtiorem diem eſſe voluerunt Allienſis pugnæ, quàm Urbis captæ, quòd hoc malum ex illo: itaque alter religioſus etiam nunc dies,*

A. U. C. 822. J. C. 69.

libertorum amicorumque ſocordiâ, velut inter temulentos agebat. Sed comitia conſulum [1] cum candidatis civiliter celebrans, omnem infimæ plebis rumorem, in theatro ut ſpectator, in circo ut fautor, adfectavit. Quæ, grata ſanè & popularia, ſi a virtutibus proficiſcerentur; memoriâ vitæ prioris [2], indecora & vilia accipiebantur. Ventitabat in ſenatum, etiam cùm parvis de rebus patres conſulerentur. Ac fortè Priſcus Helvidius [3], prætor deſignatus, contra ſtudium ejus cenſuerat. Commotus primò Vitellius, non tamen ultrà, quàm « tribunos plebis in » auxilium ſpretæ poteſtatis » advocavit. Mox mitigantibus amicis, qui altiorem ejus iracundiam verebantur, « nihil novi ac» cidiſſe » reſpondit, « quod duo ſenatores in republicâ diſſen» tirent: ſolitum ſe etiam Thraſeæ contradicere ». Inriſere plerique impudentiam æmulationis: aliis id ipſum placebat, quod neminem ex præpotentibus, ſed Thraſeam [4] ad exemplar veræ gloriæ legiſſet.

XCII. Præposuerat prætorianis P. Sabinum, a præfecturâ cohortis [5], Julium Priſcum, tum centurionem: Priſcus, Valentis; Sabinus, Cæcinæ gratiâ pollebant. Inter diſcordes, Vitellio nihil auctoritatis: munia imperii Cæcina ac Valens obibant; olim anxii odiis, quæ, bello & caſtris malè

*alter in vulgus ignotus*. In Tabulâ Antiatinâ, ab erudito Vulpio editâ & illuſtratâ, XV K AVG DIES ALL ATR. Id eſt *quintodecimo Kalendas Auguſti, dies Allienſis atra*. Allia autem per Sabinorum agros fluit. Plurimi volunt eſſe *Rio di Moſſo*. At Cl. Venuti, in eruditâ diſſertatione, quæ præfixa eſt magnificæ editioni Virgilii, quam P. Antonius Ambrogi S. J. nuper publicavit, exiſtimat Alliam eſſe *Torrente di Catino*.

[1] Comitia consulum ] Comitia conſularia, quibus creabantur conſules, jam vidimus ſuprà Annal. I, 81. Vitellius autem cum candidatis, qui conſulatum ambiebant, comitia celebrans, popularem favorem, in theatro ut ſpectator, in circo ut fautor, adfectabat: quod egregiæ fuiſſet civilitatis, ni memoriâ prioris vitæ indecoram & vile. De his comitiis Sueton. in Vitell. XI, Comitia in decem *annos ordinavit, ſeque perpetuum conſulem*. Quantò civiliùs comitia conſulum celebraverit Trajanus fusè explicat Plinius in Panegyric. LXIII & ſeqq.

[2] Vitæ prioris ] Quam inter hiſtriones aurigaſque duxerat, ut Caio ac Neroni placeret. Vide Suetonium in Vitell. IV & XII.

[3] Helvidius Priscus ] Vir ſummus, ſæpe laudatus libris Annalium XII, XIII & XVI; ac ſæpe infrà memorandus.

[4] Thraseam ] Thraſeam Pætum, cujus laudes vide ſuprà Annal. XIV, 12 & XVI, 21 ac ſeqq.

[5] A præfectura cohortis ] Qui dumtaxat cohorti prætoriæ præfuerat. Hic verò P. Sabinus diverſus eſt a Flavio Sabino, Veſpaſiani fratre; de quo ſæpe ſuprà.

A. U. C. 822. J. C. 69.

diſſimulata, pravitas amicorum, & fecunda gignendis inimicitiis civitas auxerat, dum ambitu, comitatu, & immenſis ſalutantium agminibus contendunt, comparanturque; variis in hunc aut illum Vitellii inclinationibus. Nec umquam ſatis fida potentia, ubi nimia eſt. Simul ipſum Vitellium, ſubitis offenſis aut intempeſtivis blanditiis mutabilem, contemnebant metuebantque. Nec eo ſegniùs invaſerant domos, hortos, opeſque imperii: cùm flebilis & egens nobilium turba [1], quos ipſos liberoſque patriæ Galba reddiderat, nullâ Principis miſericordiâ juvarentur. Gratum primoribus civitatis, etiam plebes adprobavit, quòd reverſis ab exſilio jura libertorum [2] conceſſiſſet: quamquam id omni modo ſervilia ingenia corrumpebant, abditis pecuniis per occultos, aut ambitioſos ſinus [3]: & quidam in domum Cæſaris tranſgreſſi, atque ipſis dominis potentiores [4].

XCIII. Sed miles, plenis caſtris, & redundante multitudine, in porticibus, aut delubris, & Urbe totâ vagus, non principia [5] noſcere, non ſervare vigilias, neque labore firmari: per inlecebras Urbis, & inhoneſta dictu, corpus otio, animum libidinibus imminuebant. Poſtremò, ne ſalutis quidem cura: infamibus Vaticani locis [6] magna pars tetendit; unde crebræ in vulgus mortes. Et, adjacente Tiberi, Germanorum

[1] Nobilium turba ] Quos, fortunis exturbatos, in exſilia detruſerat Nero, revocaverat Galba.

[2] Jura libertorum ] Hæc jura in alimentis ac præcipuè teſtamentis poſita; de quibus Ulpianus Tit. 29. de Bonis libertorum. num. 1. *Civis Romani liberti hereditatem lex duodecim Tabularum patrono defert, ſi inteſtato ſine ſuo herede libertus deceſſerit:* & Edictum prætoris apud eumdem Ulpianum loc. cit. *Ex Edicto prætoris, ſi teſtamento facto libertus moriatur, aut ut nihil, aut minùs quàm partem dimidiam bonorum patrono relinquat, contra tabulas teſtamenti partis dimidiæ bonorum poſſeſſio illi datur; niſi libertus aliquem ex naturalibus liberis ſucceſſorem ſibi relinquat, ſive inteſtato decedat, & uxorem fortè in manum, vel adoptivum filium relinquat, æquè partis mediæ bonorum poſſeſſio contra ſuos heredes patrono datur.* Alia multa patronorum jura vide in Digeſt. libro XXXVIII. Titulis I, II & V.

[3] Ambitioſos ſinus ] Aut clam furtimque, aut ambitioſo potentiorum ſinu pecunias abdebant. De ſervilibus libertorum ingeniis dictum ſuprà in Annalium libris.

[4] Dominis potentiores ] Ac proinde dominis jure ſuo uti velle inutile aut periculoſum.

[5] Principia ] Ubi aquilæ, ſigna, forumque militare. Vide quæ dicta ſunt ſuprà Annal. I, 61.

[6] Infamibus Vaticani locis ] Stagnantibus aquis, ſerpentibus & inſalubri aere infamia tunc erant Vaticani loca. Nunc verò habitantur, ibique adſurgit Divi Petri eccleſia. Inſalubrem tamen adhuc aerem nonnulli queruntur: indeque ſummi Pontifices rarò Vaticanum palatium, plerumque Quirinale, *Monte Cavallo*, occupant.

Gallorumque obnoxia morbis corpora fluminis aviditas, & æſtûs impatientia labefecit. Inſuper confuſus, pravitate vel ambitu, ordo militiæ. Sedecim prætoriæ [1], quatuor Urbanæ cohortes ſcribebantur, quis ſingula millia ineſſent. Plus in eo delectu Valens audebat, tamquam ipſum Cæcinam periculo exemiſſet: ſanè adventu ejus partes convaluerant, & ſiniſtrum lenti itineris [2] rumorem proſpero prœlio [3] verterat: omniſque inferioris Germaniæ miles Valentem adſectabatur: unde primùm creditur Cæcinæ fides fluitaſſe.

A. U. C. 822. J. C. 69.

XCIV. Ceterum non ita ducibus indulſit Vitellius, ut non plus militi liceret: ſibi quiſque militiam ſumpſere: quamvis indignus, ſi ita maluerat, Urbanæ militiæ adſcribebatur: rurſus bonis, remanere inter legionarios, aut alares volentibus, permiſſum: nec deerant qui vellent, feſſi morbis, & intemperiem cæli incuſantes. Robora tamen legionibus aliſque ſubtracta: convulſum caſtrorum decus, viginti millibus e toto exercitu permixtis magis, quàm electis. Concionante Vitellio [4], poſtulantur « ad ſupplicium Aſiaticus, & Flavius, & Rufinus, » duces Galliarum, quòd pro Vindice bellaſſent [5] ». Nec coercebat ejuſmodi voces Vitellius; ſuper inſitam animo ignaviam, conſcius ſibi inſtare donativum, & deeſſe pecuniam, omnia alia militi largiebatur. Liberti Principum [6], « conferre pro nu» mero mancipiorum », ut tributum, juſſi. Ipſe, ſolâ perdendi curâ, ſtabula aurigis extruere: circum [7] gladiatorum ferarumque ſpectaculis opplere: tamquam in ſummâ abundantiâ, pecuniæ inludere.

XCV. Quin & natalem Vitellii diem [8], Cæcina ac Valens,

[1] Sedecim prætoriæ] Ergo auctus numerus. Antea fuere tantùm novem prætoriæ cohortes, tres Urbanæ, ut vidimus ſuprà Annal. IV, 5.

[2] Lenti itineris] De cunctationibus Valentis ſuprà Hiſt. II, 30.

[3] Proſpero prœlio] Bebriacenſi; de quo Hiſt. II, 31 & ſeqq.

[4] Concionante Vitellio] Milites adloquente.

[5] Pro Vindice bellaſſent] Qui, Vindicis partes ſecuti, a Neronis fide deſciviſſent.

[6] Liberti Principum] Claudii, Neronis, Galbæ, Othonis, Vitellii.

[7] Circum] Circum maximum.

[8] Natalem Vitellii diem] Incertus natalis Vitellii dies: teſte enim Suetonio in Vitell. III, Vitellius *natus eſt octavo Kalendas Octobris, vel, ut quidam, ſeptimo Idus Septembris, Druſo Cæſare, Norbano Flacco conſulibus*, anno U. C.

A. U. C. 822. J. C. 69.

editis totâ Urbe vicatim [1] gladiatoribus, celebravere, ingenti paratu, & ante illum diem inſolito. Lætum fœdiſſimo cuique, apud bonos invidiæ fuit, quod, exſtructis in campo Martio aris, inferias Neroni feciſſet [2]: cæſæ publicè victimæ crematæque: facem Auguſtales [3] ſubdidere: quod ſacerdotium, ut Romulus Tatio regi [4], ita Cæſar Tiberius Juliæ genti ſacravit. Nondum quartus a victoriâ menſis, & libertus Vitellii Aſiaticus [5], Polycletos, Patrobios, & vetera odiorum nomina æquabat. Nemo in illâ aulâ, probitate aut induſtriâ certavit: unum ad potentiam iter, prodigis epulis [6], & ſumptu ganeâque ſatiare inexplebiles Vitellii libidines. Ipſe abundè ratus, ſi præſentibus frueretur, nec in longius conſultans, novies millies ſeſtertiûm [7] pauciſſimis menſibus intervertiſſe creditur. Magna & miſera civitas, eodem anno Othonem Vitelliumque paſſa, inter Vinios, Fabios [8], Icelos, Aſiaticos, variâ & pudendâ ſorte agebat; donec ſucceſſere Mucianus & Marcellus [9], & magis alii homines, quàm alii mores.

XCVI. Prima Vitellio « tertiæ legionis [10] defectio » nuntiatur, miſſis ab Aponio Saturnino [11] epiſtolis, antequam is quoque

dcclxviii. Biduo celebratus eſt hic natalis; multæque feræ ac multi homines cæſi, Dio LXV. pag. 735.

[1] Vicatim ] Auctore Victore, *de Regionib. Urbis*, erant Romæ *vici* ccccxxiiii.

[2] Neroni fecisset ] De his inferiis Sueton. in Vitell. XI. *Ne cui dubium foret, quod exemplar regendæ reipublicæ eligeret, medio Martio campo, adhibitâ publicorum ſacerdotum frequentiâ, inferias Neroni dedit: ac ſolemni convivio citharœdum placentem palam admonuit, ut & aliquid de Domitio diceret: inchoantique Neroniana cantica, primus exſultans etiam plauſit.* Idem quoque teſtatur Suidas, in voce Βιτέλλιος.

[3] Augustales ] Facem ſuæ quiſque aræ ſubdidere. De Auguſtalibus eorumque ſacerdotio dictum ſuprà Annal. I, 54 & II, 83.

[4] Tatio regi ] Vide quæ de ſodalium Tatiorum ſacerdotio, eorumque auctore dicta ſunt in Notis & Emendationibus ad Annal. I, 54.

[5] Asiaticus ] De quo jam ſuprà cap. 57. Frequens quoque memoria Polycletorum, Patrobiorum, Neronianorum & ditiſſimorum libertorum.

[6] Prodigis epulis ] De earum pretio vide quæ notata ſunt ſuprà cap. 62.

[7] Novies millies sestertium ] Gallicæ monetæ libras 175,095,225. De ventre & gulâ Vitellii dictum eſt ſatìs in Notis & Emendationibus ad Hiſt. II, 62.

[8] Vinios, Fabios ] Vinius, conſul, & Icelus, libertus, Galbâ Principe; Fabius Valens, dux exercitûs & conſul, & Aſiaticus, libertus, Principe Vitellio, potentiſſimi.

[9] Marcellus ] Marcellus Eprius, ad ſcelus homo promptus; ut vidimus Annal. XVI, 26. Sæpe poſtea memorandus.

[10] Tertiæ legionis ] De quâ ſuprà cap. 85.

[11] Aponio Saturnino ] Mœſiæ rectori, ibid.

Veſpaſiani

A. U. C. 822. J. C. 69.

Veſpaſiani partibus adgregaretur. Sed neque Aponius cuncta, ut trepidans re ſubitá, perſcripſerat; & amici adulantes, mollius interpretabantur: « unius legionis eam ſeditionem; ceteris exercitibus conſtare fidem ». In hunc modum etiam Vitellius apud milites diſſeruit, prætorianos nuper exauctoratos inſectatus, « a quibus falſos rumores diſpergi; nec ullum civilis belli metum » adſeverabat, ſuppreſſo Veſpaſiani nomine, & vagis per Urbem militibus, qui ſermones populi coercerent: id præcipuum alimentum famæ erat.

XCVII. Auxilia tamen e Germaniâ, Britanniâque, & Hiſpaniis excivit, ſegniter, & neceſſitatem diſſimulans. Perinde legati, provinciæque cunctabantur. Hordeonius Flaccus [1], ſuſpectis jam Batavis, anxius proprio bello [2], Vettius Bolanus [3], numquam ſatis quietâ Britanniâ; & uterque ambigui: neque ex Hiſpaniis properabatur, nullo tum ibi conſulari [4]: trium legionum [5] legati, pares jure, &, proſperis Vitellii rebus, certaturi ad obſequium, adverſam ejus fortunam ex æquo detrectabant. In Africâ legio cohorteſque, delectæ a Clodio Macro [6], mox a Galbâ dimiſſæ, rurſus juſſu Vitellii militiam cepere: ſimul cetera juventus dabat impigre nomina: quippe integrum illic ac favorabilem proconſulatum [7] Vitellius, famoſum inviſumque [8] Veſpaſianus egerat: perinde ſocii de imperio utriuſque conjectabant: ſed experimentum contrà fuit.

[1] Hordeonius Flaccus ] Superioris Germaniæ rector, & cui cura ripæ Rheni permiſſa. Hiſt. I, 9 & II, 57.

[2] Proprio bello ] De quo plura infrà Hiſt. IV, 18.

[3] Vettius Bolanus ] Britanniæ præerat. Hiſt. II, 65.

[4] Consulari ] Aberat Cluvius Rufus, qui abſens Hiſpaniam regebat, ut dictum eſt ſuprà Hiſt. II, 65.

[5] Trium legionum ] Quibus habebantur Hiſpaniæ, Annal. IV, 5. Tres illæ legiones tunc erant ſexta, decima, & prima Adjutrix claſſicorum, ut patet ex Hiſt. II, 58, 67. & Hiſt. III, 44.

[6] A Clodio Macro ] De quo ſuprà Hiſt. I, 7 & 11.

[7] Proconsulatum ] Quem laudat quoque Suetonius in Vitell. V. *In provinciâ ſingularem innocentiam præſtitit biennio continuato, cùm ſuccedenti fratri legatus ſubſtitiſſet.*

[8] Famosum invisumque ] Contrà Suetonius in Veſpaſian. IV. Exin *ſortitus Africam, integerrimè, nec ſine magnâ dignatione adminiſtravit: niſi quòd Adrumeti, ſeditione quâdam, rapa in eum jacta ſunt. Rediit certè nihilo opulentior, ut qui propè labefactatâ jam fide, omnia prædia fratri obligarit: neceſſarióque ad mangonicos quæſtus ſuſtinendæ dignitatis causâ deſcenderit.* Ut Tacitum Suetoniumque conciliet Illuſtr. Huetius, ait Veſpaſiani proconſulatum inviſum fuiſ-

A. U. C. 822. J. C. 69.

XCVIII. Ac primo Valerius Feſtus, legatus [1], ſtudia provincialium cum fide juvit: mox nutabat, palam epiſtolis edictiſque Vitellium, occultis nuntiis Veſpaſianum fovens, & hæc illave defenſurus, prout invaluiſſent. Deprehenſi cum literis edictiſque Veſpaſiani, per Rætiam [2] & Gallias, militum & centurionum quidam, ad Vitellium miſſi, necantur: plures fefellere, fide amicorum, aut ſuomet aſtu occultati. Ita Vitellii paratus noſcebantur: Veſpaſiani conſiliorum pleraque ignota, primum ſocordiâ Vitellii; deinde Pannonicæ Alpes [3], præſidiis infeſſæ, nuntios retinebant: mare quoque Eteſiarum flatu [4] in Orientem navigantibus ſecundum, inde adverſum erat.

XCIX. Tandem, inruptione hoſtium, atrocibus undique nuntiis exterritus, Cæcinam & Valentem expediri ad bellum jubet: præmiſſus Cæcina: Valentem, e gravi corporis morbo tum primùm adſurgentem, infirmitas tardabat. Longè alia proficiſcentis ex Urbe Germanici exercitûs ſpecies: non vigor corporibus, non ardor animis: lentum & rarum agmen, fluxa arma, ſegnes equi: impatiens ſolis, pulveris, tempeſtatum: quantùmque hebes ad ſuſtinendum laborem miles, tanto ad diſcordias promptior. Accedebat huc Cæcinæ ambitio vetus, torpor recens, nimiâ fortunæ indulgentiâ ſoluti in luxum: ſeu perfidiam meditato, infringere exercitûs virtutem, inter artes erat. Credidere plerique, Flavii Sabini [5] conſiliis concuſſam Cæcinæ mentem, miniſtro ſermonum Rubrio Gallo [6], « rata » apud Veſpaſianum fore pacta tranſitionis »: ſimul odiorum invidiæque erga Fabium Valentem admonebatur [7], « ut impar » apud Vitellium, gratiam vireſque apud novum Principem » pararet ».

C. Cæcina, complexu Vitellii multo cum honore digreſ-

ſe ob avaritiam, cetera laudabilem.

[1] Legatus ] Legatus legionis, quæ erat in Africâ.

[2] Rætiam ] Nunc *le pays des Griſons*, &c.

[3] Pannonicæ Alpes ] Dictæ quoque Juliæ. Nunc *Alpi Giule*; inter Carinthiam & Carniolam.

[4] Etesiarum flatu ] De quo dictum ſuprà Annal. VI, 33.

[5] Flavii Sabini ] Quem Veſpaſiani fratrem fuiſſe ſæpe monuimus.

[6] Rubrio Gallo ] Jam memorato ſuprà Hiſt. II, 51.

[7] Admonebatur ] De hac æmulatione vide ſuprà cap. 30.

A. U. C. 822. J. C. 69.

ſus, partem equitum ad occupandam Cremonam præmiſit. Mox vexillarii quartædecimæ [1] & ſextædecimæ legionum; dein quinta & duoetviceſima ſecutæ: poſtremo agmine unaetviceſima Rapax & prima Italica inceſſere, cum vexillariis trium Britannicarum legionum [2], & electis auxiliis. Profecto Cæcinâ, ſcripſit Fabius Valens exercitui, quem ipſe ductaverat, « ut in itinere » opperiretur; ſic ſibi cum Cæcinâ conveniſſe » : qui præſens, eóque validior, « immutatum id conſilium » finxit, « ut ingruenti » bello, totâ mole occurreretur ». « Ita adcelerare » legiones « Cremonam », pars « Hoſtiliam [3] petere » juſſæ: ipſe Ravennam devertit, prætexto claſſem adloquendi: mox Patavii [4] ſecretum componendæ proditionis quæſitum. Namque Lucilius Baſſus [5], poſt præfecturam alæ, Ravennati ſimul ac Miſenenſi [6] claſſibus a Vitellio præpoſitus, quòd non ſtatim præfecturam prætorii adeptus foret, iniquam iracundiam flagitioſâ perfidiâ ulciſcebatur: nec ſciri poteſt, traxeritne Cæcinam, an (quod evenit inter malos, ut & ſimiles ſint) eadem illos pravitas impulerit.

CI. SCRIPTORES temporum, qui, potiente rerum Flaviâ domo [7], monumenta hujuſce belli compoſuerunt, « curam pacis & amorem reipublicæ » corruptas in adulationem « cauſas », tradidere. Nobis, ſuper inſitam levitatem, & prodito Galbâ, vilem mox fidem, æmulatione etiam invidiâque, ne ab aliis apud Vitellium anteiretur, pervertiſſe ipſum Vitellium videtur. Cæcina, legiones adſecutus, centurionum militumque animos obſtinatos pro Vitellio, variis artibus ſubruebat: Baſſo eadem molienti minor difficultas erat, lubricâ ad mutandam fidem claſſe, ob memoriam recentis pro Othone militiæ [8].

[1] VEXILLARII QUARTÆDECIMÆ] Mendosè, *quartædecimæ*. Veriùs *quartæ*. Vide Notas & Emend. ad Hiſt. II, 100.

[2] LEGIONUM] Quæ nominatim memorantur infrà Hiſt. III, 22. *Cum vexillis nonæ, ſecundæque, & viceſimæ, Britannicarum legionum*. Legio quartadecima, quòd Vitellio erat infenſa, in Britanniâ retenta eſt.

[3] HOSTILIAM] Nunc *Oſtiglia, dans le Duché de Mantoue.*

[4] PATAVII] Nunc *Padoue.*

[5] LUCILIUS BASSUS] Inſigne ejus monumentum vide in Notis & Emendationibus ad Hiſt. II, 100.

[6] RAVENNATI SIMUL AC MISENENSI] De utrâque claſſe dictum ſuprà Annal. IV, 5.

[7] FLAVIA DOMO] Veſpaſiano, Tito & Domitiano.

[8] PRO OTHONE MILITIÆ] De quâ ſuprà cap. 14 & 28.

# *BREVIARIUM*

## LIBRI TERTII.

I. *DELIBERANTIBUS Flavianarum partium ducibus, feſtinationem ſuadet Antonius Primus, acerrimus belli concitator.* IV. *Proxima Cornelii Fuſci auctoritas.* V. *Trahuntur in partes Sido atque Italicus, reges Suevorum.* VI. *Antonio Italiam invadenti comes Arrius Varus. Urbes multas occupant; Veronamque bello ſedem legunt: moras fruſtra, aut ſerò, molientibus Veſpaſiano ac Muciano.* IX. *Hoſtiles Vitellianorum & Flavianorum epiſtolæ.* X. *Seditiones in Flavianorum caſtris ab Antonio compoſitæ.* XII. *Lucilius Baſſus & Cæcina Vitellium produnt; & a militibus vinciuntur.* XIV. *Antonius Bebriacum venit: diſcordes Vitellianos adgreditur. Dubium primò, mox Antonii arte, Flavianis proſperum prœlium.* XIX. *Cremonam pergere volunt Flaviani.* XX. *Inconſultum eorum ardorem retinet Antonius.* XXI. *Vitelliani Cremonam conveniunt, in prœlium accincti. Se quoque ad pugnam parant Flaviani.* XXII. *Atrox pugna; partaque Antonii virtute & conſilio victoria. Filius patrem interficit.* XXVI. *Cremona obſeſſa, capta, & incenſa. Cæ-*

*cina, vinculis exſolutus, ad Veſpaſianum dimittitur.* XXXV. *Victæ legiones diſperſæ.* XXXVI. *Interea luxu torpet Vitellius.* XXXVII. *Is tamen ſenatum habet. In Cæcinam ſententia. Eàdem die conſulatum init & ejurat Roſius Regulus.* XXXVIII. *Mors Junii Blæſi, L. Vitellii artibus præparata. Blæſi laus.* XL. *Valens libidine, cunctatione, Vitellianorum res ſubruit: in Gallias egredi fruſtra tentat.* XLII. *Flaviani Italiam occupant.* XLIII. *Interim Valens, adversâ tempeſtate Stœchadas, Maſſilienſium inſulas, delatus, capitur.* XLIV. *Hiſpaniæ, Galliæ, Britannia, omnia ſtatim ad Flavianorum opes converſa.* XLV. *Turbat tamen in Britanniâ Venuſius; variâque ſorte pugnatum.* XLVI. *Turbata quoque Germania. Mota & Dacorum gens. Adeſt opportunè Mucianus, & tranquillitas reſtituta.* XLVII. *Aniceti ſervilia per Pontum arma, brevì oppreſſa.* XLVIII. *Veſpaſianus Alexandriam venit, ut Romam fame urgeat.* XLIX. *Antonius, poſt Cremonam ſuperbior, copiarum partem Veronæ relinquit, partem in Vitellianos expedit.* LI. *Inreverentia militis, ob occiſum a ſe fratrem præmium petentis.* LII. *Feſtinationem Antonii apud Veſpaſianum criminatur Mucianus.* LIII. *Antonius ſuperbis ad Veſpaſianum literis id queritur. Inde graves Mucianum inter & Antonium ſimultates.* LIV. *Vitellius, ſtultâ diſſimulatione, frac-*

*tarum apud Cremonam rerum nuntios occultat. Notabilis conſtantia centurionis.* LV. *Vitellius, ut e ſomno excitus, Apenninum obſideri jubet: honores largitur: tandem ipſe in caſtra venit.* LVI. *Prodigia. Præcipuum ipſe Vitellius oſtentum: ignarus militiæ, improvidus conſilii, Romam revertit.* LVII. *Puteolanorum in Veſpaſianum ſtudia. Contrà Capua Vitellio fida. Claudius Julianus Vitellium prodit, & Tarracinam occupat.* LVIII. *L. Vitellius ingruenti per Campaniam bello opponitur. Ex plebe & ſervitiis legitur in Urbe exercitus. At paullatim ſenatores & equites dilabuntur.* LIX. *Flaviani Apenninum tranſeunt: Petilium Cerialem, illic obvium, & Vitellii cuſtodias elapſum, inter duces adſumunt.* LX. *Iidem, pugnæ avidi, oratione Antonii mitigantur.* LXI. *Unum tunc apud Vitellianos perfidiæ certamen. Priſcus & Alphenus caſtra deſerunt.* LXII. *Nullo jam proditionis pudore, cæſoque Valente, Vitellianus miles in Flavianas partes tranſit.* LXIII. *Agitur cum Vitellio, ut imperio cedat; nec reluctatur.* LXIV. *Ad arma incitatur Flavius Sabinus, Veſpaſiani frater: ſed invalidus ſenectâ, conditiones pacis cum Vitellio agitat.* LXVI. *Vitellius ad fortitudinem exſtimulatur.* LXVII. *At ignavus, concionem habet, & imperio cedit. Reclamantibus tamen, qui adſtiterant, in palatium re-*

*dire cogitur.* LXIX. *Interim Sabinus rempublicam ſuſceperat; aderantque primores ſenatûs, plerique equeſtris ordinis, miles Urbanus & vigiles. Id ægre ferunt Germanicæ cohortes. Leve prœlium Vitellianis proſperum. Capitolium tamen occupat Sabinus.* LXXI. *Oppugnatur & incenditur Capitolium.* LXXII. *Super eo facinore querela; & Capitolii uſque ad Vitellium vices.* LXXIII. *Sabinus, & Atticus, conſul, capti.* LXXIV. *Domitianus, ſollertiâ liberti occultatus, deliteſcit. Sabinus ad Vitellium ductus, eoque invito confoſſus, in Gemonias trahitur.* LXXV. *Sabini laus. Atticus, incendiſſe ſe Capitolium confeſſus, aut mentitus, ſervatur.* LXXVI. *Tarracinâ a L. Vitellio obſeſſâ, & captâ, jugulatur Julianus.* LXXVIII. *Flaviani, Antonii incertum an Muciani culpâ cunctantes, obſeſſi Capitolii famâ exciti, ad Urbem properant.* LXXIX. *Haud procul Urbe equeſtre prœlium iis adverſum.* LXXX. *Pro pace tamen aut induciis fruſtra a Vitellianis miſſi legati & virgines Veſtales.* LXXXI. *Flaviani, tripartito agmine, Urbi propinquant. Prœlia ante Urbem multa & varia, Flavianis ſæpius proſpera. Vitelliani in Urbe congregantur.* LXXXIII. *Recrudeſcunt prœlia. Fœda laſcivientis Urbis facies: pugnantes ſpectante populo, & plaudente.* LXXXIV. *Caſtra prætoria oppugnata.* LXXXV. *Vitellius,*

*Vitellius, captâ Urbe, e pudendâ latebrâ protrahitur; cæſuſque, ad Gemonias propellitur.* LXXXVI. *Vita moreſque Vitellii. Domitianus conſalutatur Cæſar.*

Hæc geſta paucis menſibus,

| | | | |
|---|---|---|---|
| | | *Suff. Coſſ.* | C. Fabio Valente, A. Alieno Cæcinâ. |
| A. U. C. DCCCXXII. | J. C. 69. | *Suf. Coſ.* | Rosio Regulo. |
| | | *Suff. Coſſ.* | Cn. Cæcilio Simplici, C. Quinctio Attico. |

# C. CORNELII *TACITI* HISTORIÆ.

## *LIBER TERTIUS.*

Meliore fato fideque partium Flavianarum duces conſilia belli tractabant. Pœtovionem [1] in hiberna tertiædecimæ legionis convenerant : illic agitavere, « placeretne obſtrui Pannoniæ Alpes [2], donec a tergo vires univerſæ conſurgerent ; an ire cominus, & certare pro Italiâ conſtantius foret ». Quibus opperiri auxilia & trahere bellum videbatur, « Germanicarum legionum vim famamque » extollebant « & adveniſſe mox cum Vitellio Britannici exercitûs robora [3] : ipſis nec numerum parem pulſarum nuper [4] legionum ; & quamquam atrociter lo-

A. U. C. 822. J. C. *69.*

[1] Pœtovionem ] In Pannoniâ ; nunc *Pettau dans la baſſe Stirie.* Ut Pœtovione tertiædecimæ legionis hiberna, ſic æſtiva fuiſſe Vindobonæ, *Vienne en Autriche*, probant multi lateres, Vindobonæ reperti, & inſcripti : LEG. XIII. GEM. POETO. Multæ quoque exſtant Pœtovione Inſcriptiones veteres, quas vide apud Wolf. Lazium, *Reſpublica Romana in exteris provinciis*, pag. 985 & ſeqq. Inter plurimas hæc inſignis :

IVLIAE. AVG. MATRI CASTROR. POETOVIENS.

[2] Pannoniæ Alpes ] De quibus ſuprà Hiſt. II, 98. Pannonicæ Alpes jam fuerant infeſtæ, ne nuntii tranſirent ; agitatur an nunc eſſent obſtruendæ, ut Vitelliano exercitui forent omnino imperviæ.

[3] Robora ] Quæ Vitellius exciverat. Hiſt. II, 97 & 100.

[4] Pulsarum nuper ] In prœlio Bebriacenſi. Hiſt. II, 40 & ſeqq.

A. U. C. 822. J. C. 69.

» querentur, minorem eſſe apud victos animum. Sed inſeſſis interim Alpibus, venturum cum copiis Orientis Mucianum. Supereſſe Veſpaſiano mare, claſſes, ſtudia provinciarum, per quas velut alterius belli molem cieret. Ita ſalubri morâ, novas vires adfore, & præſentibus nihil periturum ».

II. Ad ea Antonius Primus (is acerrimus belli concitator) « feſtinationem ipſis utilem, Vitellio exitioſam » diſſeruit: « plus ſocordiæ, quàm fiduciæ, acceſſiſſe victoribus: neque enim in procinctu [1] & caſtris habitos: per omnia Italiæ municipia deſides, tantùm hoſpitibus metuendos: quantò ferociùs antè ſe egerint, tantò cupidiùs inſolitas voluptates hauſiſſe: circo quoque, ac theatris, & amœnitate Urbis emollitos, aut valetudinibus [2] feſſos. Sed addito ſpatio, rediturum & his robur meditatione belli: nec procul Germaniam, unde vires: Britanniam freto dirimi: juxtà Gallias, Hiſpaniaſque: utrimque viros, equos, tributa: ipſamque Italiam, & opes Urbis: ac ſi inferre arma ultrò velint, duas claſſes [3], vacuumque Illyricum mare. Quid tum clauſtra montium profutura? quid tractum in æſtatem aliam bellum? unde interim pecuniam, & commeatus? Quin potiùs eo ipſo uterentur, quod Pannonicæ legiones deceptæ magis, quàm victæ, reſurgere in ultionem properent: Mœſici exercitus [4] integras vires attulerint. Si numerus militum potiùs, quàm legionum putetur; plus hinc roboris, nihil libidinum, & profuiſſe diſciplinæ ipſum pudorem. Equites verò, ne tum quidem victos; ſed, quamquam rebus adverſis, disjectam Vitellii aciem [5]. Duæ tunc Pannonicæ ac Mœſicæ alæ perrupere hoſtem [6]. Nunc ſedecim alarum conjuncta ſigna, pulſu ſonituque, & nube ipsâ operient ac ſuperfundent oblitos prœliorum equites equoſque. Niſi quis retinet,

[1] In procinctu] In exercitiis militaribus. Gallicè *en haleine.*

[2] Valetudinibus] Sic Plinius XXIII, 1. Sect. 24. *Quod ad febrium valetudines attinet.*

[3] Duas classes] Ravennatem & Miſenenſem; ut ſuprà Hiſt. II, 100.

[4] Mœsici exercitus] Quòd Mœſici exercitus attulerint vires integras, nec bello fractas. Prœlio Bebriacenſi non interfuerant: vide Hiſt. II, 44.

[5] Vitellii aciem] Suprà Hiſt. II, 43.

[6] Perrupere hostem] Pugnâ Bebriacenſi pulſus eques Vitellianus, Hiſt. II, 44.

A. U. C. 822. J. C. 69.

» idem ſuaſor auctorque conſilii ero. Vos, quibus fortuna in in» tegro eſt, legiones continete, mihi expeditæ cohortes ſuffi» cient. Jam reſeratam Italiam, impulſas Vitellii res audietis: » juvabit ſequi, & veſtigiis vincentis inſiſtere ».

III. Hæc & talia, flagrans oculis, truci voce, quò latiùs audiretur, (etenim ſe centuriones & quidam militum conſilio miſcuerant) ita effudit, ut cautos quoque ac providos permoveret; vulgus, & ceteri, « unum virum ducemque » ſpretâ « alio» rum ſegnitiâ », laudibus ferrent. Hanc ſui famam eâ ſtatim concione commoverat, quâ, recitatis Veſpaſiani epiſtolis, non, ut plerique, incerta diſſeruit, huc illuc tracturus interpretationem, prout conduxiſſet; apertè deſcendiſſe in cauſam videbatur: eóque gratior militibus erat, culpæ vel gloriæ ſocius.

IV. Proxima Cornelii Fuſci procuratoris auctoritas: is quoque inclementer in Vitellium invehi ſolitus, nihil ſpei ſibi inter adverſa reliquerat. T. Ampius Flavianus [1], naturâ ac ſenectâ cunctatior, ſuſpiciones militum inritabat, tamquam adfinitatis [2] cum Vitellio meminiſſet: idemque, quòd, cœptante legionum motu, profugus, dein ſponte remeaverat, perfidiæ locum quæſiſſe credebatur. Nam Flavianum, omiſsâ Pannoniâ, ingreſſum Italiam, & diſcrimini exemptum, rerum novarum cupido legati nomen reſumere, & miſceri civilibus armis impulerat, ſuadente Cornelio Fuſco; non quia induſtriâ Flaviani egebat, ſed ut conſulare nomen, ſurgentibus cùm maximè partibus, honeſtâ ſpecie prætenderetur.

V. Ceterum, ut tranſmittere in Italiam impune & uſui foret, ſcriptum Aponio Saturnino [3], « cum exercitu Mœſico » celeraret ». Ac ne inermes provinciæ, barbaris nationibus exponerentur, principes Sarmatarum Jazygum [4], penes quos civitatis regimen, in commilitium adſciti; « plebem » quoque,

[1] T. Ampius Flavianus] Cornelius Fuſcus, procurator, T. Ampius Flavianus, rector Pannoniæ, jam memorati ſuprà, Hiſt. II, 86.

[2] Tamquam adfinitatis] Propinquus erat Vitellii, ut dicetur infra cap. 10.

[3] Aponio Saturnino] Mœſiæ rectori, de quo ſupra Hiſt. II, 85 & 96.

[4] Sarmatarum Jazygum] De Sarmatis Jazygibus jam dictum eſt Annal. XII, 29.

A. U. C. 822. J. C. 69.

« & vim equitum », quâ ſolâ valent, offerebant: remiſſum id munus, ne inter diſcordias externa molirentur [1], aut majore ex diverſo [2] mercede, jus faſque exuerent. Trahuntur in partes Sido atque Italicus [3], reges Suevorum, quis vetus obſequium erga Romanos; & gens fidei commiſſæ patientior [4]: poſita in latus [5] auxilia, infeſtâ Rætiâ, cui Porcius Septiminus procurator erat, incorruptæ erga Vitellium fidei. Igitur Sextilius Felix cum alâ Aurianâ [6] & octo cohortibus, ac Noricorum juventute, ad occupandam ripam Æni fluminis [7], quod Rætos Noricoſque interfluit, miſſus: nec his, aut illis, prœlium tentantibus, fortuna partium alibi tranſacta.

VI. ANTONIO, vexillarios e cohortibus, & partem equitum ad invadendam Italiam rapienti, comes fuit Arrius Varus, ſtrenuus bello; quam gloriam & dux Corbulo [8], & proſperæ in Armeniâ res addiderant. Idem, « ſecretis apud Neronem ſer»monibus », ferebatur « Corbulonis virtutes criminatus ». Unde infami gratiâ primum pilum [9] adepto, læta ad præſens malè parta, mox in perniciem vertêre. Sed Primus ac Varus, occupatâ Aquileiâ, in proxima quæque, & Opitergii & Altini [10] lætis animis accipiuntur: relictum Altini præſidium, adversùs claſſem Ravennatem, nondum defectione ejus [11] auditâ: inde Patavium & Ateſte [12] partibus adjunxere: illic cognitum, « tres Vi-

[1] EXTERNA MOLIRENTUR ] Ne inter populi Romani diſcordias externa moliri, & fines imperii deprædari aſſueſcerent. Quod tunc ſapientiſſimè cautum eſt, poſtea cum ſummo imperii detrimento neglectum.

[2] EX DIVERSO ] Ex alterâ parte.

[3] SIDO ATQUE ITALICUS ] Sido jam memoratus eſt ſuprà Annal. XII, 29 & 30. Italicus fortè fuit filius Sidonis, ut opinatur Ryckius; fortè etiam filius & ſucceſſor Vangionis, de quo ibid. certè diverſus videtur ab Italico, de quo Annal. XI, 16.

[4] FIDEI COMMISSÆ PATIENTIOR ] Conſtantior; & quæ, ut Sarmatæ, fidem non falleret.

[5] POSITA IN LATUS ] Adversùs Rætos.

[6] ALA AURIANA ] Hæc ala ita dicta vel ab Hiſpaniæ urbe Auriâ, nunc *Orenſe, dans la Galice*; vel ab ipſo alæ præfecto. Diu manſit nomen: nam in Notitiâ Imperii, ſub diſpoſitione ducis Armeniæ memoratur ALA AVRIANA DASCVSAE. Daſcuſa, nunc *Arzingam* dici putant. Vide eruditum Weſſelingium, Itinerar. Antonin. pag. 209.

[7] ÆNI FLUMINIS ] Ænus, nunc *l'Inn*, qui in Danubium influit prope *Paſſaw*.

[8] DUX CORBULO ] De Corbulone, & rebus in Armeniâ geſtis, vide Annal. XIII, 35 & ſeqq.

[9] PRIMUM PILUM ] Id eſt primipili, ſeu primi centurionis ordinem.

[10] OPITERGII ET ALTINI ] Aquileia, *Aquilée*; Opitergium, *Oderzo*; Altinum, *Altino, dans l'Etat de Veniſe*.

[11] DEFECTIONE EJUS ] De quâ Hiſt. II, 100 & 101.

[12] PATAVIUM ET ATESTE ] Patavium,

A. U. C. 822. J. C. 69.

»tellianas cohortes, & alam, cui Scribonianæ nomen, ad Fo»rum Allieni [1], ponte juncto, conſediſſe». Placuit occaſio invadendi incurioſos; nam id quoque nuntiabatur: luce primâ, inermos pleroſque oppreſſere. Prædictum, «ut, paucis inter»fectis, ceteros pavore ad mutandam fidem cogerent»: & fuere, qui ſe ſtatim dederent: plures, abrupto ponte, inſtanti hoſti viam abſtulerunt.

VII. Vulgata victoriâ, poſt principia belli ſecundum Flavianos [2], duæ legiones, ſeptima Galbiana, tertiadecima Gemina [3], cum Vedio Aquilâ, legato, Patavium alacres veniunt [4]: ibi pauci dies ad requiem ſumpti: & Minucius Juſtus, præfectus caſtrorum legionis ſeptimæ, quia adductiùs [5], quàm civili bello, imperitabat, ſubtractus militum iræ, ad Veſpaſianum miſſus eſt. Deſiderata diu res, interpretatione gloriæ [6], in majus accipitur, poſtquam «Galbæ imagines, diſcordiâ tem»porum ſubverſas, in omnibus municipiis recoli» juſſit Antonius: decorum pro causâ ratus, ſi placere Galbæ principatus, & partes revireſcere crederentur.

VIII. Quæsitum inde «quæ ſedes bello legeretur»? Verona [7] potior viſa, «patentibus circùm campis [8] ad pugnam »equeſtrem», quâ prævalebant: «ſimul coloniam copiis validam, auferre Vitellio, in rem famamque [9]» videbatur. Poſſeſſa ipſo

*Padoue*; Ateſte, *Eſte*, *dans l'Etat de Veniſe.*

[1] Forum Allieni] Nunc *Ferrare*, *ſur le Pô.* Haud tamen diſſimulaverim Muretum in margine exemplaris ſui, quod vidi Romæ in Bibliothecâ Collegii Romani Soc. Jeſu, notaſſe: Puto nunc eſſe *Lignano.* Vulgò ſcribimus *Legnago*, *ſur l'Adige*, *petite ville de l'Etat de Veniſe.*

[2] Secundum Flavianos] Flavianis læta.

[3] Tertiadecima gemina] De hac ceteriſque legionibus vide Notas & Emendationes ad Hiſt. II, 6. Ibi explicatum cur hæc legio diceretur *Gemina.*

[4] Veniunt] E Pannoniâ. Vide ſuprà Hiſt. II, 86.

[5] Adductius] Id eſt, duriùs. Sic ſuprà Annal. XIV, 4, *adductius.*

[6] Interpretatione gloriæ] Othonis & Vitellii vitia civiliaque bella deſiderium Galbæ ejuſque principatûs attulerant. Inde cùm Antonius ejus imagines in omnibus municipiis recoli juſſiſſet, res diu deſiderata interpretatione gloriæ utilitatiſque publicæ, in majus accipitur. Id enim ſpes ŏmenque reſurgentis felicitatis habebatur. Igitur meritò decorum pro causâ Flavianarum partium ratus eſt Antonius, ſi placere Galbæ principatus, ejuſque partes revireſcere crederentur.

[7] Verona] Hodieque *Verone*, quam egregiis commentationibus illuſtravit eruditus Scipio Maffei.

[8] Circum campis] Quibus adhuc nomen *Campagna di Verona.*

[9] In rem famamque] Utile glorioſumque habebatur.

A. U. C. 822. J. C. 69.

tranſitu Vicetia [1]: quod per ſe parum (etenim modicæ municipio vires) magni momenti locum obtinuit, reputantibus « illic » Cæcinam genitum, & patriam hoſtium duci ereptam ». In Veronenſibus pretium fuit [2]; exemplo opibuſque, partes juvere. Et interjectus exercitus Rætiam [3] Juliaſque Alpes [4], ne pervium illà Germanicis exercitibus foret, obſepſerat: quæ ignara Veſpaſiano, aut vetita [5]: quippe « Aquileiæ ſiſti bellum, exſ» pectarique Mucianum » jubebat; adjiciebatque imperio conſilium, « quando Ægyptus, clauſtra annonæ [6], vectigalia opulen» tiſſimarum [7] provinciarum obtinerentur, poſſe Vitellii exer» citum egeſtate ſtipendii frumentique ad deditionem ſubigi ». Eadem Mucianus crebris epiſtolis monebat, « incruentam & ſi» ne luctu victoriam », & alia hujuſcemodi prætexendo; ſed gloriæ avidus, atque omne belli decus ſibi retinens. Ceterùm ex diſtantibus terrarum ſpatiis, conſilia poſt res adferebantur.

IX. Igitur repentino incurſu Antonius ſtationes hoſtium inrumpit, tentatiſque levi prœlio animis, ex æquo diſceſſum. Mox Cæcina inter Hoſtiliam [8], vicum Veronenſium, & paludes Tartari fluminis, caſtra permuniit: tutus loco, cùm terga flumine, latera objectu paludis tegerentur: quòd ſi adfuiſſet fides, aut opprimi univerſis Vitellianorum viribus duæ legiones [9], nondum conjuncto Mœſico exercitu, potuere, aut retro actæ, deſertâ Italiâ, turpem fugam conſciviſſent. Sed Cæcina, per varias moras, prima hoſtibus prodidit tempora belli, dum quos armis pellere promptum erat, epiſtolis increpat, donec per nuntios pacta perfidiæ firmaret. Interim Aponius Saturninus cum legione ſeptimâ Claudianâ advenit [10]: legioni tribunus

[1] Vicetia ] Nunc *Vicenza*.

[2] Pretium fuit ] Majus operæ pretium fuit, pluſque utilitatis.

[3] Rætiam ] Malè vulgò, *per Rætiam... ac ne pervium*, &c. Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. III, 8.

[4] Juliasque Alpes ] Juliæ Alpes eædem ſunt ac Pannonicæ, de quibus dictum eſt ſuprà Hiſt. II, 98.

[5] Aut vetita ] Aut ab illo vetita.

[6] Claustra annonæ ] Quantum annonæ conferret Ægyptus diximus in Notis & Emendationibus ad Annal. II, 59.

[7] Opulentissimarum ] Orientis, ubi opulentiſſimæ provinciæ.

[8] Hostiliam ] De Hoſtiliâ vide ſuprà Hiſt. II, 100. Paludes verò Tartari fluminis, nunc *le Tartaro*, adhuc videntur in eo terrarum tractu, qui nunc dicitur *la Poléſine de Rovigo*.

[9] Duæ legiones ] Septima Galbiana & tertia decima Gemina.

[10] Advenit ] E Mœſiâ. Hiſt. II. 85.

Vipſtanius

A. U. C. 822. J. C. 69.

Vipſtanius Meſſala præerat, claris majoribus, egregius ipſe, & qui ſolus ad id bellum artes bonas attuliſſet. Has ad copias, nequaquam Vitellianis pares [1] (quippe tres adhuc legiones [2] erant) miſit epiſtolas Cæcina, « temeritatem victa arma » tractantium » incuſans: ſimul « virtus Germanici exercitus », laudibus attollebatur, Vitellii modicâ & vulgari mentione, nullâ in Veſpaſianum contumeliâ: nihil prorſus, quod aut corrumperet hoſtem, aut terreret. Flavianarum partium duces, omiſsâ prioris fortunæ defenſione, pro Veſpaſiano magnificè, pro causâ fidenter, de exitu ſecuri, in Vitellium ut inimici, præſumpſere; factâ tribunis centurionibuſque « retinendi, quæ » Vitellius indulſiſſet », ſpe: atque ipſum Cæcinam non obſcurè ad tranſitionem hortabantur. Recitatæ pro concione epiſtolæ addidere fiduciam, quod ſubmiſsè Cæcina, velut offendere Veſpaſianum timens, ipſorum duces contemptim, tamquam inſultantes Vitellio, ſcripſiſſent.

X. Adventu deinde duarum legionum [3], e quibus tertiam Dillius Aponianus, octavam Numiſius Lupus ducebant, oſtentare vires, & militari vallo Veronam circumdare placuit. Fortè Galbianæ legioni [4] in adversâ fronte valli opus ceſſerat, & viſi procul ſociorum equites, vanam formidinem, ut hoſtes, fecere. Rapiuntur arma, &, ut proditionis [5], ira militum in T. Ampium Flavianum incubuit, nullo criminis argumento, ſed jam pridem inviſus, turbine quodam ad exitium poſcebatur: « propinquum Vitellii, proditorem Othonis, interceptorem » donativi [6] » clamitabant. Nec defenſioni locus, quamquam ſupplices manus tenderet, humi plerumque ſtratus, lacerâ veſte, pectus atque ora ſingultu quatiens: id ipſum apud infenſos incitamentum erat, tamquam nimius pavor conſcientiam ar-

[1] Vitellianis pares] Quas vide Hiſt. II, 100.

[2] Tres adhuc legiones] Tres tantùm legiones, ſeptima Galbiana, tertiadecima Gemina & ſeptima Claudiana.

[3] Duarum legionum] E Mœſiâ excitarum. Vide Hiſt. II, 74. & 85.

[4] Galbianæ legioni] Septimæ legioni.

[5] Et, ut proditionis] Et, tamquam ob proditionem, ira militum incubuit, &c. De Ampio Flaviano dictum ſuprà cap. 4. & Hiſt. II, 86.

[6] Donativi] De quo ſuprà Hiſt. II, 94.

A. U. C. 822. J. C. 69.

gueret [1]. Obturbabatur militum vocibus Aponius [2], cùm loqui cœptaret: fremitu & clamore ceteros aſpernantur: uni Antonio apertæ militum aures: Namque & facundia aderat, mulcendique vulgum artes, & auctoritas. Ubi crudeſcere ſeditio, & a conviciis ac probris, ad tela & manus tranſibant, « injici » catenas Flaviano » jubet. Senſit ludibrium miles, disjectiſque, qui tribunal tuebantur, extrema vis parabatur. Oppoſuit ſinum Antonius, ſtricto ferro, « aut militum ſe manibus, aut ſuis mo» riturum » obteſtans: ut quemque notum, & aliquo militari decore inſignem aſpexerat, ad ferendam opem nomine ciens: mox converſus ad ſigna & bellorum deos « hoſtium potiùs exer» citibus illum furorem, illam diſcordiam injicerent [3] », orabat; donec fatiſceret ſeditio, &, extremo jam die, ſua quiſque in tentoria dilaberentur. Profectus eâdem nocte Flavianus, obviis Veſpaſiani literis [4], diſcrimini exemptus eſt.

XI. Legiones, veluti tabe infectæ, Aponium Saturninum, Mœſici exercitûs legatum, eò atrociùs adgrediuntur, quòd non, ut priùs, labore & opere feſſæ, ſed medio diei exarſerant; vulgatis epiſtolis, quas Saturninus ad Vitellium ſcripſiſſe credebatur. Ut olim virtutis modeſtiæque, tunc procacitatis & petulantiæ certamen erat, ne minus violenter Aponium, quàm Flavianum, ad ſupplicium depoſcerent. Quippe Mœſicæ legiones, « adjutam a ſe Pannoniorum ultionem [5] », referentes; & Pannonici, velut abſolverentur aliorum ſeditione [6], iterare culpam gaudebant. In hortos, in quibus devertebatur Saturninus, pergunt: nec tam Primus, Aponianus, & Meſſala (quamquam omni modo niſi) eripuere Saturninum,

[1] Argueret ] Quint. Curtius, VII, 1. *trepidatio conſcientiæ indicium.*

[2] Aponius ] Aponius Saturninus, de quo ſuprà cap. 9.

[3] Injicerent ] Sic Virgilius, Georgic. III, 513.

*Dî meliora piis, erroremque hoſtibus illum!*

[4] Veſpaſiani literis ] Eruditus Savilius aliique nonnulli Tacitum criminantur, quòd hæ literæ, quaſi ex machinâ, nec per locorum intervalla re ad Veſpaſianum delatâ, prodeant. At minimè advertunt Flavianum, naturâ & ſenectâ cunctatorem, ad Veſpaſianum miſſum fuiſſe; ac proinde, dum lentè pergeret, edoctum ab Antonio Principem obvias miſiſſe literas, quibus Flavianum diſcrimini eximeret.

[5] Ultionem ] Cùm in Flavianum ſævirent.

[6] Aliorum seditione ] Seditione Mœſicarum legionum.

A. U. C. 822. J. C. 69.

quàm obſcuritas latebrarum, quibus occulebatur, vacantium forte balnearum fornacibus abditus: mox, omiſſis lictoribus, Patavium conceſſit. Digreſſu conſularium, uni Antonio vis & poteſtas in utrumque exercitum fuit, cedentibus collegis [1], & obverſis militum ſtudiis: nec deerant qui crederent, utramque ſeditionem fraude Antonii cœptam, ut ſolus bello frueretur.

XII. Ne in Vitellii quidem partibus quietæ mentes, exitioſiore diſcordiâ, non ſuſpicionibus vulgi, ſed perfidiâ ducum, turbabantur. Lucilius Baſſus [2], claſſis Ravennatis præfectus, ambiguos militum animos, quòd magna pars Dalmatæ Pannoniique erant, quæ provinciæ Veſpaſiano tenebantur, partibus ejus adgregaverat. Nox proditioni electa, ut, ceteris ignaris, ſoli in principia [3] defectores coirent. Baſſus pudore, ſeu metu quiſnam exitus foret, intra domum opperiebatur. Trierarchi, magno tumultu, Vitellii imagines invadunt, & paucis reſiſtentium obtruncatis, ceterum vulgus, rerum novarum ſtudio, in Veſpaſianum inclinabat. Tum progreſſus Lucilius auctorem ſe palam præbet [4]: claſſis Cornelium Fuſcum præfectum ſibi deſtinat, qui properè adcucurrit. Baſſus, honoratâ cuſtodiâ, liburnicis navibus [5] Atriam [6] pervectus a præfecto alæ Mennio Rufino, præſidium illic agitante, vincitur. Sed exſoluta ſtatim vincula, interventu Hormi, Cæſaris liberti: is quoque inter duces habebatur.

[1] Collegis ] Legionum legatis.

[2] Lucilius Bassus ] De quo ſupra Hiſt. II, 100.

[3] In principia ] Ubi militum ſigna. Plura vide Annal. I, 61. not. 4.

[4] Palam præbet ] Plurimas de Lucilio Baſſo difficultates nectit eruditus Savilius. Cur exitum rei intra domum opperitur? cur Atriam pervectus, & vinctus? cur poſtea altum de eo ſilentium? Hæc fortè vana ſunt, nec de ullo ſcriptore quærenda; qui, dum falſa non ſcribat, quocumque narrationis genere uti poteſt. Baſſus rei exitum intra domum opperitur, pudore aut metu: Atriam, honoratâ tamen cuſtodiâ, pervehitur, ut certa eſſet fides: vincitur a Mennio, ſuſpicioſo homine; fortè etiam conſcio Baſſo, ut conſtaret fides; quæ cùm conſtitit, ab Hormo, Veſpaſiani liberto, exſoluta ſtatim vincula. Mutato autem ſacramento, præfectum mutavit claſſis, conſentiente, ut opinor, Baſſo, quòd Fuſcus, vigens ætate, claris natalibus, ſuſceptis Veſpaſiani partibus, acerrimam bello facem præferret; ut dictum eſt Hiſt. II, 86. Vide & infrà Hiſt. III, 42. Peracto autem bello, Fuſcoque prætoriis inſignibus, Hiſt. IV, 4, donato, videtur Baſſus præfecturam claſſis Ravennatis reſumpſiſſe, ut conjicere eſt ex Inſcriptione laudatâ in Notis & Emendationibus ad Hiſt. II, 100.

[5] Liburnicis navibus ] De liburnicis dictum Annal. XVI, 14.

[6] Atriam ] Nunc *Adria, dans la Poleſine de Rovigo.*

A. U. C. 822. J. C. 69.

XIII. At Cæcina, defectione claſſis vulgatâ, primores centurionum, & paucos militum, ceteris per militiæ munera diſperſis, ſecreta caſtrorum adfectans [1], in principia vocat. Ibi « Veſpaſiani virtutem, vireſque partium » extollit: « transfu»giſſe claſſem, in arcto commeatum [2]: adverſas Gallias Hiſpa»niaſque: nihil in Urbe fidum »: atque omnia de Vitellio in deterius. Mox incipientibus, qui conſcii aderant, ceteros re novâ attonitos, in verba Veſpaſiani adigit: ſimul Vitellii imagines dereptæ, & miſſi qui Antonio nuntiarent. Sed ubi totis caſtris in famâ proditio, recurrens in principia miles, præſcriptum Veſpaſiani nomen, projectas Vitellii effigies aſpexit; vaſtum primo ſilentium, mox cuncta ſimul [3] erumpunt: « Huc cecidiſſe »Germanici exercitûs gloriam, ut ſine prœlio, ſine vulnere, »vinctas manus, & capta traderent arma? Quas enim ex di»verſo legiones? Nempe victas, & abeſſe unicum Othoniani »exercitûs robur, primanos, quartadecimanoſque [4]: quos ta»men iiſdem illis campis fuderint ſtraverintque, ut tot armato»rum millia, velut grex venalium, exſuli Antonio [5] donum da»rentur. Octo nimirum legiones unius claſſis acceſſionem fore. Id »Baſſo, id Cæcinæ viſum, poſtquam domos, hortos, opes, »Principi abſtulerint, etiam militibus Principem auferre [6], li»cèt integros incruentoſque, Flavianis quoque partibus viles. »Quid dicturos repoſcentibus aut proſpera, aut adverſa »?

XIV. Hæc ſinguli, hæc univerſi, ut quemque dolor impulerat, vociferantes, initio a quintâ legione [7] orto, repoſitis

[1] Secreta castrorum adfectans ] Ceteris per militiæ munera diſperſis, ſecreta caſtrorum, ſeu tempus, quo ſola erant caſtra, aucupans Cæcina, eos vocat in principia,

*Concilii penetrale, domumque verendam*
*Signorum.* Statius X, 120.

Vide Annal. I, 61. not. 4.

[2] In arcto commeatum ] Cibariorum ceterorumque commeatuum anguſtias.

[3] Cuncta simul ] Potiùs *cuncti ſimul*; & mox *recidiſſe*. Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. III, 13.

[4] Primanos quartadecimanosque ] Vide Hiſt. II, 43, ac Notas & Emendationes ad Hiſt. II, 6. Primani & quartadecimani aberant, quòd legio prima Adjutrix in Hiſpaniam, quartadecima in Britanniam fuerant miſſæ.

[5] Exsuli Antonio ] Sanè cùm falſi damnatus eſt. Vide Annal. XIV, 40.

[6] Auferre ] Addendum & emendandum videtur, *etiam militibus Principem auferre, Principi militem: integros incruentoſque, Flavianis quoque partibus viles, quid dicturos repoſcentibus aut proſpera, aut adverſa?* Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. III, 13.

[7] Quinta legione ] De hac legione

Vitellii imaginibus, vincla Cæcinæ injiciunt: Fabium Fabullum, quintæ legionis legatum, & Caſſium Longum, præfectum caſtrorum, duces deligunt: fortè oblatos trium liburnicarum milites, ignaros & inſontes trucidant: relictis caſtris [1], abrupto ponte, Hoſtiliam rurſus, inde Cremonam pergunt, ut legionibus primæ Italicæ & unietviceſimæ Rapaci jungerentur: quas Cæcina, ad obtinendam Cremonam, cum parte equitum præmiſerat. A. U. C. 822. J. C. 69.

XV. Ubi hæc comperta Antonio, diſcordes animis, diſcretos viribus hoſtium exercitus adgredi ſtatuit, antequam ducibus auctoritas, militi obſequium, & junctis legionibus fiducia rediret: namque Fabium Valentem, profectum ab Urbe, adceleraturumque, cognitâ Cæcinæ proditione, conjectabat: & fidus Vitellio Fabius, nec militiæ ignarus. Simul ingens Germanorum vis, per Rætiam [2] timebatur: & ex Britanniâ Galliâque & Hiſpaniâ auxilia Vitellius acciverat [3], immenſam belli luem, ni Antonius, id ipſum metuens, feſtinato prœlio victoriam præcepiſſet. Univerſo cum exercitu, ſecundis a Veronâ caſtris [4], Bebriacum [5] venit: poſtero die, legionibus ad muniendum retentis, auxiliares cohortes in Cremonenſem agrum miſſæ, ut ſpecie parandarum copiarum, civili prædâ miles imbueretur. Ipſe, cùm quatuor millibus equitum, ad octavum a Bebriaco [6] progreſſus, quò licentiùs popularentur: exploratores (ut mos eſt) longiùs curabant [7].

XVI. Quinta ferme hora [8] diei erat, cùm citus eques, « adventare hoſtes, prægredi paucos, motum fremitumque » latè audiri », nuntiavit. Dum Antonius, « quidnam agen-

aliiſque Vitellianorum partium vide Hiſt. II, 100.

[1] Relictis castris ] Quæ erant inter Hoſtiliam & paludes Tartari fluminis, ut vidimus ſuprà cap. 9.

[2] Per Rætiam ] Flavianis infeſtam, ut vidimus ſupra cap. 5 & 8.

[3] Acciverat ] Supra Hiſt. II, 97.

[4] Castris ] Secundis caſtris; Gallicè *en deux jours de marche.*

[5] Bebriacum ] Othonianâ clade percelebre; ut vidimus ſuprà Hiſt. II, 23 & 39.

[6] Ad octavum a Bebriaco ] Ad octo millia paſſuum ultra Bebriacum, Cremonam versùs, ac proinde prope locum, qui nunc dicitur *Roncha.*

[7] Longius curabant ] Longiùs ſpeculabantur, loca exploraturi.

[8] Quinta ferme hora ] Gallico noſtro more, undecima circiter hora matutina.

A. U. C. 822. J. C. 69.

» dum », conſultat, aviditate navandæ operæ Arrius Varus cum promptiſſimis equitum prorupit, impulitque Vitellianos modicâ cæde; nam plurium adcurſu, verſa fortuna, & acerrimus quiſque ſequentium, fugæ ultimus [1] erat: nec ſponte Antonii properatum, & fore, quæ acciderant, rebatur. Hortatus ſuos, « ut magno animo capeſſerent pugnam », diductis in latera turmis, vacuum medio [2] reliquit iter, quo Varum equiteſque ejus reciperet. Juſſæ armari legiones: datum per agros ſignum, ut, quà cuique proximum, omiſsâ prædâ, prœlio occurrerent. Pavidus interim Varus, turbæ ſuorum miſcetur, intulitque formidinem: pulſi cum ſauciis integri, ſuometipſi metu, & anguſtiis viarum conflictabantur.

XVII. Nullum in illâ trepidatione Antonius conſtantis ducis, aut fortiſſimi militis, officium omiſit: occurſare paventibus; retinere cedentes: ubi plurimus labor [3], unde aliqua ſpes, conſilio, manu, voce, inſignis hoſti, conſpicuus ſuis: eò poſtremò ardoris provectus eſt, ut vexillarium fugientem haſtâ transverberaret: mox raptum vexillum in hoſtem vertit: quo pudore, haud plures, quàm centum equites, reſtitere. Juvit locus, arctiore illic viâ, & fracto interfluentis rivi [4] ponte, qui incerto alveo, & præcipitibus ripis, fugam impediebat: ea neceſſitas, ſeu fortuna, lapſas jam partes reſtituit. Firmati inter ſe, denſis ordinibus, excipiunt Vitellianos temere effuſos: atque illi [5] conſternantur. Antonius inſtare perculſis, ſternere obvios. Simul ceteri, ut cuique ingenium, ſpoliare, capere, arma, equoſque abripere: & exciti proſpero clamore, qui modò per agros fugâ palabantur, victoriæ ſe miſcebant.

[1] Fugæ ultimus ] Hìc fortè ingenio nimis indulget Tacitus. Senſus autem eſt: plurium Vitellianorum accurſu verſa eſt fortuna; & acerrimus quiſque Flavianorum, qui Vitellianos inſequebantur, factus eſt fugæ ultimus, quia Vitellianis propior. Nec emendandum, ut placet Cl. Erneſto, *primus fugæ erat.*

[2] Medio ] In medio. Gallicè *au centre.*

[3] Plurimus labor ] Sic Livius VI, 24. *Ubi plurimus labor periculumque erat.*

[4] Interfluentis rivi ] Rivus ille hodie appellatur *Dermonæ*; in Ollium, *Oglio*, influit.

[5] Atque illi ] Id eſt ſtatim illi conſternantur; ut J. F. Gronovio rectè obſervatum. Sic Virgilius, Georgic. I, 201.

*Non aliter, quàm qui adverſo vix flumine lembum*
*Remigiis ſubigit; ſi brachia fortè remiſit,*
*Atque illum in præceps prono rapit alveus amni.*

XVIII. Ad quartum [1] a Cremonâ lapidem, fulſere legionum ſigna, Rapacis atque Italicæ [2], læto inter initia equitum ſuorum prœlio, illuc uſque provecta. Sed ubi fortuna contrà fuit, non laxare ordines [3], non recipere turbatos, non obviàm ire, ultroque adgredi hoſtem, tantum per ſpatium curſu & pugnando feſſum: fortè victi [4], haud perinde rebus proſperis ducem deſideraverant [5], atque in adverſis deeſſe intelligebant. Nutantem aciem victor equitatus incurſat: & Vipſtanius Meſſala, tribunus, cum Mœſicis auxiliaribus adſequitur, quos militiæ gloriâ legionariis, quamquam raptim ductos, æquabat. Ita mixtus pedes equeſque, rupere legionum agmen. Et propinqua Cremonenſium mœnia, quantò plus ſpei ad effugium, tanto minorem ad reſiſtendum animum dabant.

A. U. C. 822. J. C. 69.

XIX. Nec Antonius ultrà inſtitit, memor laboris ac vulnerum, quibus tam anceps prœlii fortuna, quamvis proſpero ſine, equites equoſque adflictaverat. Inumbrante veſperâ, univerſum Flaviani exercitûs robur advenit. Utque cumulos ſuper [6], & recentia cæde veſtigia inceſsére, quaſi debellatum foret, « pergere Cremonam, & victos in deditionem accipere, aut » expugnare » depoſcunt. Hæc in medio [7], pulchra dictu. Illa ſibi quiſque: « Poſſe coloniam plano ſitam impetu capi. Idem » audaciæ per tenebras inrumpentibus, & majorem rapiendi li» centiam: quòd ſi lucem opperiantur, jam pacem, jam preces, » & pro labore ac vulneribus, clementiam & gloriam, inania, » laturos: ſed opes Cremonenſium, in ſinu præfectorum legato» rumque fore. Expugnatæ urbis prædam, ad militem; deditæ, » ad duces pertinere ». Spernuntur centuriones tribunique, ac ne vox cujuſquam audiatur, quatiunt arma, rupturi imperium, ni ducantur.

[1] Ad quartum ] Ac proinde prope locum, qui nunc dicitur *S. Anbroſio*.

[2] Rapacis atque Italicæ ] De quibus ſuprà Hiſt. II, 100.

[3] Laxare ordines ] Ut turbatos reciperent.

[4] Forte victi ] Meliùs *pugnando feſſum fortè victuri: haud perinde*, &c. Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. III, 18.

[5] Ducem desideraverant ] Cæcinam, cui vincula injecerant, ut vidimus ſuprà cap. 14.

[6] Cumulos super ] Super armorum corporumque cumulos.

[7] Hæc in medio ] Hæc, pulchra dictu, in medio jactabantur: illa verò quiſque ſentiebat.

A. U. C. 822. J. C. 69.

XX. Tum Antonius, inſerens ſe manipulis, ubi aſpectu & auctoritate ſilentium fecerat: « Non ſe decus neque pretium » eripere tam bene meritis » adſirmabat; « ſed diviſa inter exer» citum duceſque munia: militibus pugnandi cupidinem conve» nire; duces providendo, conſultando, cunctatione ſæpius, » quàm temeritate prodeſſe. Ut pro virili portione, armis ac » manu victoriam juverit; ratione & conſilio, propriis ducis ar» tibus, profuturum. Neque enim ambigua eſſe, quæ occurrant, » noctem, & ignotæ ſitum urbis, intus hoſtes, & cuncta inſidiis » opportuna: non, ſi pateant portæ, niſi explorato, niſi die, in» trandum. An oppugnationem inchoaturos, adempto omni » proſpectu, quis æquus locus, quanta altitudo mœnium? tor» mentiſne & telis, an operibus & vineis [1] adgredienda urbs » foret »? Mox converſus ad ſingulos, « num ſecures, dola» bras [2], & cetera expugnandis urbibus, ſecum adtuliſſent »? rogitabat. Et cùm abnuerent, « gladiis ne », inquit, « & pilis [3], » perfringere ac ſubruere muros ullæ manus poſſunt? Si agge» rem ſtruere, ſi pluteis cratibuſve protegi neceſſe fuerit, ut » vulgus improvidum inriti ſtabimus, altitudinem turrium, & » aliena munimenta mirantes? Quin potiùs morâ noctis unius, » advectis tormentis machiniſque, vim victoriamque nobiſcum » ferimus »? Simul lixas caloneſque [4], cum recentiſſimis equitum, Bebriacum mittit, copias, ceteraque uſui allaturos.

XXI. Id verò ægre tolerante milite, prope ſeditionem ventum, cùm progreſſi equites ſub ipſa mœnia, vagos ex Cremonenſibus corripiunt: quorum indicio noſcitur, « ſex Vitellianas » legiones [5], omnemque exercitum, qui Hoſtiliæ egerat [6], eo » ipſo die triginta millia paſſuum emenſum, compertâ ſuorum » clade, in prœlium accingi, ac jam adfore ». Is terror obſtructas

[1] Et vineis ] De vineis, pluteis, cratibus dictum ſupra Hiſt. II, 21.

[2] Dolabras ] Dolabrâ utebantur Romani ad munienda caſtra & ſubruendos muros. Tales dolabras, ex unâ parte acie acutâ, ex alterâ latiore, videre eſt expreſſas in columnâ Trajani num. 299.

[3] Et pilis ] De pilis vide Annal. XV, 7.

[4] Lixas caloneſque ] De quibus ſuprà Hiſt. I, 49. not. 5.

[5] Sex Vitellianas legiones ] Quæ nominantur cap. ſeq.

[6] Hostiliæ egerat ] Vide ſupra Hiſt. II, 100. & III, 14.

mentes

mentes conſiliis ducis aperuit. Siſtere tertiamdecimam legionem in ipſo viæ Poſtumiæ aggere [1] jubet, cui juncta a lævo ſeptima Galbiana, patenti campo ſtetit, dein ſeptima Claudiana, agreſti foſsâ ( ita locus erat ) præmunita; dextro, octava per apertum limitem [2], mox tertia, denſis arbuſtis interſepta: hic aquilarum ſignorumque ordo: milites mixti per tenebras, ut fors tulerat [3]: prætorianum vexillum [4] proximum tertianis [5]; cohortes auxiliorum, in cornibus: latera ac terga, equite circumdata. Sido atque Italicus [6], Suevi, cum delectis popularium, primori in acie verſabantur.

XXII. At Vitellianus exercitus, cui acquieſcere Cremonæ, & reciperatis cibo ſomnoque viribus, confectum algore atque inediâ hoſtem, poſterâ die profligare ac proruere ratio fuit; indigus rectoris, inops conſilii, tertiâ ferme noctis horâ [7], paratis jam diſpoſitiſque Flavianis impingitur. Ordinem agminis, disjecti per iram ac tenebras, adſeverare non auſim: quamquam alii tradiderunt, « quartam Macedonicam, dextro ſuorum » cornu; quintam, & quintamdecimam, cum vexillis nonæ, » ſecundæque, & viceſimæ, Britannicarum legionum, mediam » aciem; ſextadecimanos, duoetviceſimanoſque, & primanos, » lævum cornu compleſſe ». Rapaces atque Italici [8], omnibus ſe manipulis miſcuerant. Eques, auxiliaque, ſibi ipſi locum legère. Prœlium totâ nocte varium, anceps, atrox; his, rurſum illis, exitiabile. Nihil animus, aut manus, ne oculi quidem proviſu juvabant: eadem utrâque acie arma: crebris interrogationibus notum pugnæ ſignum [9]: permixta vexilla, ut quiſque

[1] Viæ Postumiæ aggere ] Ubi pugnatum vidimus ſuprà Hiſt. II, 24.

[2] Per apertum limitem ] Quo arbuſta a viâ diſterminabantur.

[3] Ut fors tulerat ] Non verò, ut virtus, cùm vir virum legeret. Quo de uſu vide ſupra Hiſt. I, 18.

[4] Prætorianum vexillum ] Prætorianos, quòd pro Othone ſtetiſſent a Vitellio dimiſſos, eique infenſos, recuperandæ militiæ præmio invitaverat Veſpaſianus, ut dictum eſt ſuprà Hiſt. II, 82. Vide & infra Hiſt. IV, 46. Vitellius autem alias ſedecim prætorias cohortes conſcripſerat. Hiſt. II, 93.

[5] Tertianis ] Tertiæ legioni.

[6] Sido atque Italicus ] De his ſuprà cap. 5.

[7] Tertia ferme noctis hora ] Gallico noſtro more, noná circiter horâ ſerotinâ.

[8] Rapaces atque Italici ] Milites, qui ſupererant, legionum Rapacis atque Italicæ. Vide ſuprà cap. 18.

[9] Pugnæ signum ] Gallicè, ut jam diximus, *le mot du guet.*

A. U. C. 822. J. C. 69.

globus, capta ex hoſtibus, huc vel illuc raptabat. Urgebatur maximè ſeptima legio [1], nuper a Galbâ conſcripta. Occiſi ſex primorum ordinum centuriones; abrepta quædam ſigna. Ipſam Aquilam [2] Atilius Verus, primipili centurio, multâ cum hoſtium ſtrage, & ad extremum moriens, ſervaverat.

XXIII. Sustinuit labantem aciem Antonius, accitis prætorianis [3]: qui ubi excepere pugnam, pellunt hoſtem, dein pelluntur. Namque Vitelliani, tormenta in aggerem viæ contulerant, ut tela vacuo atque aperto [4] excuterentur, diſperſa primo, & arbuſtis, ſine hoſtium noxâ, inliſa. Magnitudine eximiâ quintædecimæ legionis [5] baliſta [6], ingentibus ſaxis hoſtilem aciem proruebat: latéque cladem intuliſſet, ni duo milites, præclarum facinus auſi, arreptis e ſtrage ſcutis [7] ignorati, vincla ac libramenta tormentorum abſcidiſſent: ſtatim confoſſi ſunt, eòque intercidêre nomina: de facto haud ambigitur. Neutro inclinaverat fortuna, donec, adultâ nocte, luna ſurgens [8] oſtenderet acies, falleretque. Sed Flavianis æquior a tergo: hinc majores equorum virorumque umbræ, & falſo, ut in corpora, ictu, tela hoſtium citrà cadebant: Vitelliani, adverſo lumine collucentes, velut ex occulto jaculantibus, incauti offerebantur.

1 Septima legio ] Galbiana.

2 Ipsam aquilam ] Inde & ex pluribus aliis veterum ſcriptorum auctoritatibus probat eruditus Fabrettus, *de columna Trajani*, cap. VII, pag. 189 primipili centurionem non modò aquilæ præfuiſſe, ſed etiam illam geſtaſſe.

3 Accitis prætorianis ] Qui proximi erant tertiæ legioni, inter arbuſta; ut dictum eſt cap. ſup.

4 Vacuo atque aperto ] In vacuo apertoque loco.

5 Quintædecimæ legionis ] Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. III, 23.

6 Balista ] Vegetius IV, 22. *Baliſta funibus, nervis, chordiſque* (meliùs Mſ. Salmaſ. *funibus & nervis*) *tenditur, quæ quantò prolixiora brachiola habuerit, hoc eſt quantò major fuerit, tantò ſpicula longiùs mittit. Quæ & ſi juxta artem mechanicam temperetur, & ab exercitatis hominibus, qui menſuram ejus antè collegerint, dirigatur, penetrat quodcumque percuſſerit. Onager autem dirigit lapides; ſed pro nervorum craſſitudine, & magnitudine, ſaxorum pondera jaculatur.* Quam vim egregiè deſcripſit Lucanus III, 464.

*Neque enim ſolis excuſſa lacertis*
*Lancea, ſed tenſo baliſtæ turbine rapta,*
*Haud unum contenta latus tranſire, quieſcit:*
*Sed pandens perque arma viam, perque oſſa, relictâ*
*Morte, fugit: ſupereſt telo poſt vulnera curſus.*
*At ſaxum quoties ingenti ponderis ictu*
*Excutitur, qualis rupes, quam vertice montis*
*Abſcidit impulſu ventorum adjuta vetuſtas,*
*Frangit cuncta ruens: nec tantùm corpora preſſa*
*Exanimat: totos cum ſanguine diſſipat artus.*

Lapides talenti pondere his baliſtis ad duo & ampliùs ſtadia miſſos fuiſſe teſtis eſt Joſephus Bell. Jud. V, 6. num. 3.

7 Scutis ] Scutis Vitellianorum, ut hoſtem fallerent.

8 Luna surgens ] Dio LXV. pag. 738 & ſeqq. hanc pugnam pueriliter

A. U. C. 822. J. C. 69.

XXIV. Igitur Antonius, ubi noſcere ſuos, noſcique poterat, alios pudore & probris, multos laude & hortatu, omnes ſpe promiſſiſque accendens, « cur rari ſumpſiſſent [1] ar- » ma »? Pannonicas legiones interrogabat. « Illos eſſe campos, » in quibus abolere labem prioris ignominiæ [2], ubi reciperare » gloriam poſſent ». Tum ad Mœſicos converſus, « principes » auctoreſque belli » ciebat: « fruſtra minis & verbis provocatos » Vitellianos, ſi manus eorum oculoſque non tolerent ». Hæc ut quoſque acceſſerat: plura ad tertianos, veterum recentiumque admonens: ut « ſub M. Antonio Parthos [3], ſub Corbulone » Armenios [4], nuper Sarmatas [5] » pepuliſſent. Mox inſenſus prætorianis: « Vos » inquit, « niſi vincitis, pagani [6], quis alius » Imperator, quæ caſtra alia excipient? Illic ſigna armaque veſ- » tra ſunt, & mors victis: nam ignominiam conſumpſiſtis ». Undique clamor, & orientem ſolem (ita in Syriâ mos eſt) tertiani ſalutavere [7].

XXV. Vagus inde, an conſilio ducis ſubditus rumor, « adveniſſe Mucianum; exercitus invicem ſalutaſſe [8] »: gradum inferunt, quaſi recentibus auxiliis aucti, rariore jam Vitellianorum acie, ut quos, nullo rectore, ſuus quemque impetus vel pavor contraheret, diduceretve. Poſtquam perculſos ſenſit Antonius, denſo agmine obturbabat: laxati ordines abrumpuntur: nec reſtitui quivere, impedientibus vehiculis tormentiſque. Per

narravit; & ut miraculo locus eſſet, ſanguinolentæ lunæ, quæ horribiles colores emitteret, eclipſin finxit.

[1] Rari sumpsissent ] Melius, *cur reſumpſiſſent arma*? Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. III, 24.

[2] Prioris ignominiæ ] Cladis Bebriacenſis. Vide quoque Hiſt. II, 86.

[3] M. Antonio Parthos ] Anno Urbis conditæ dccxviii, Parthos clade affecit Antonius. Vide Dionem XLIX, pag. 409 & ſeqq.

[4] Corbulone Armenios ] Vide ſupra Annal. XV, 26.

[5] Nuper Sarmatas ] Sarmatas Rhoxolanos; ut dictum eſt ſuprà Hiſt. I, 79.

[6] Pagani ] Prætoriani, niſi vincebant, pagani erant, id eſt non milites; ſiquidem eos dimiſerat Vitellius, aliaſque prætorias cohortes ſcripſerat. Ideo penes Vitellium prætorianorum ſigna armaque, & mors victis certiſſima; nam ignominiam conſumpſerant, bis victi, Othone ac Veſpaſiano Principibus.

[7] Salutavere ] Tertia legio, quæ e Syriâ in Mœſiam venerat, ut ſæpe ſuprà dictum eſt, Orientem ſolem ſalutavit. Parthos Orientem ſolem magno clamore ante prœlium ſalutantes vide apud Herodianum IV, 15.

[8] Invicem salutasse ] Inde ſanè Vitellianos inter & Flavianos mutuas & ridiculas exercituum ſalutationes & compotationes fingendi anſam arripuit Dio LXV, pag. 739.

A. U. C. 822. J. C. 69.

limitem viæ ſparguntur, conſectandi feſtinatione, victores. Eò notabilior cædes fuit, quia filius patrem interfecit. Rem nominaque, auctore Vipſtanio Meſſalâ, tradam. Julius Manſuetus, ex Hiſpaniâ, Rapaci legioni additus, impubem filium domi liquerat: is mox adultus, inter ſeptimanos a Galbâ conſcriptus, oblatum fortè patrem, & vulnere ſtratum, dum ſemianimem ſcrutatur, agnitus, agnoſcenſque, & exſanguem amplexus, voce flebili precabatur « placatos [1] patris manes, neve ſe ut parricidam averſarentur: publicum id facinus; & unum militem quotam civilium armorum partem »? Simul attollere corpus, aperire humum, ſupremo erga parentem officio fungi. Advertère proximi, deinde plures: hinc per omnem aciem miraculum, & quæſtus, & ſæviſſimi belli exſecratio: nec eo ſegniùs propinquos, adfines, fratres trucidatos ſpoliant: factum eſſe ſcelus loquuntur, faciuntque.

XXVI. Ut Cremonam venêre, novum immenſumque opus occurrit. Othoniano bello [2], Germanicus miles mœnibus Cremonenſium caſtra ſua, caſtris vallum circumjecerat; eaque munimenta rurſus auxerat: quorum aſpectu hæſere victores, incertis ducibus, quid juberent. Incipere oppugnationem, feſſo per diem noctemque exercitu, arduum, &, nullo juxtà ſubſidio, anceps: ſin Bebriacum redirent, intolerandus tam longi itineris labor, & victoria ad inritum revolvebatur: munire caſtra; id quoque propinquis hoſtibus formidoloſum, ne diſperſos, & opus molientes ſubitâ eruptione turbarent. Quæ ſuper cuncta, terrebat ipſorum miles, periculi quàm moræ patientior: Quippe ingrata, quæ tuta; ex temeritate ſpes: omniſque cædes, & vulnera, & ſanguis, aviditate prædæ penſabantur.

XXVII. Huc inclinavit Antonius, « cingique vallum coronâ [3] » juſſit: primo ſagittis ſaxiſque eminus certabant, majore Flavianorum pernicie, in quos tela deſuper librabantur:

[1] Precabatur placatos] Precabatur patris manes, ut ſibi placati eſſent. Ni fortè emendandum ſit, *voce flebili deos precabatur ne piatos patris manes, neve ſe ut parricidam averſarentur.* Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. III, 25.

[2] Othoniano bello] Suprà Hiſt. II, 22.

[3] Corona] Coronâ militum.

mox vallum portaſque legionibus adtribuit, ut diſcretus labor fortes ignavoſque diſtingueret, atque ipsâ contentione decoris accenderentur. Proxima Bebriacenſi viæ [1], tertiani ſeptimanique ſumpsére; dexteriora valli, octava ac ſeptima Claudiana; tertiadecimanos, ad Brixianam portam [2] impetus tulit. Paullum inde moræ, dum e proximis agris ligones, dolabras, & alii falces, ſcalaſque convectant: tum, elatis ſuper capita ſcutis, denſâ teſtudine [3] ſuccedunt. Romanæ utrimque artes: pondera ſaxorum Vitelliani provolvunt; disjectam fluitantemque teſtudinem lanceis contiſque ſcrutantur; donec, ſolutâ compage ſcutorum, exſangues aut laceros proſternerent, multâ cum ſtrage.

A. U. C. 822. J. C. 69.

XXVIII. Incesserat cunctatio, ni duces feſſo militi, & velut inritas exhortationes abnuenti, Cremonam monſtraſſent. Hormi-ne id ingenium, ut Meſſala tradit, an potior auctor ſit C. Plinius [4], qui Antonium incuſat, haud facilè diſcreverim: niſi quòd neque Antonius, neque Hormus, a famâ vitâque ſuâ, quamvis peſſimo flagitio, degeneravere. Non jam ſanguis, neque vulnera morabantur, quin ſubruerent vallum, quaterentque portas, innixi humeris, & ſuper iteratam teſtudinem ſcandentes, prenſarent hoſtium tela brachiaque: integri cum ſauciis, ſemineces cum exſpirantibus volvuntur, variâ pereuntium formâ, & omni imagine mortium.

XXIX. Acerrimum, tertiæ ſeptimæque legionum, certamen: & dux Antonius, cum delectis auxiliaribus, eódem incubuerat. Obſtinatos inter ſe cùm ſuſtinere Vitelliani nequirent, & ſuperjecta tela teſtudine laberentur [5], ipſam poſtremò baliſtam [6] in ſubeuntes propulere: quæ ut ad præſens disjecit

[1] Bebriacensi viæ ] Viæ, quæ Cremonâ Bebriacum duceret. Inde patet Bebriacum non eſſe *Bina*, ut quidam voluere: contrà verò omnia conſentiunt cum *Caneto*, ut dictum eſt ſuprà Hiſt. II, 23.

[2] Ad Brixianam portam ] Quà ibatur Brixiam, nunc *Breſcia*.

[3] Testudine ] De teſtudine dictum ſatis in Notis & Emendationibus ad Annal. XIII, 39.

[4] C. Plinius ] Qui Hiſtorias ſcripſerat, teſte Plinio Juniore, III, Ep. 5.

[5] Laberentur ] Ob ſcuta arctè connexa. Si quis autem velit talis teſtudinis formam, variaſque, quæ hìc memorantur obſidionales artes machinaſque cognoſcere, adeat Lucanum III, 474 & ſeqq.

[6] Balistam ] Quam fuiſſe magnitudine eximiâ jam dictum eſt ſuprà cap. 23.

A. U. C. 822. J. C. 69.

obruitque, quos inciderat; ita pinnas ac ſumma valli ruinâ ſuâ traxit: ſimul juncta turris, ictibus ſaxorum ceſſit: quâ ſeptimani dum nituntur cuneis [1], tertianus ſecuribus gladiiſque portam perfregit. Primum inrupiſſe C. Voluſium, tertiæ legionis militem, inter omnes auctores conſtat: is in vallum egreſſus, deturbatis qui reſtiterant, conſpicuus manu ac voce, « capta caſtra » conclamavit. Ceteri, trepidis jam Vitellianis, ſeque e vallo præcipitantibus, perrupere: completur cæde [2], quantum inter caſtra muroſque vacui fuit.

XXX. At rurſus nova laborum facies; ardua urbis mœnia, ſaxeæ turres, ferrati portarum obices, vibrans tela miles, frequens obſtrictuſque Vitellianis partibus Cremonenſis populus, magna pars Italiæ, ſtato in eoſdem dies mercatu congregata: quod defenſoribus auxilium ob multitudinem, oppugnantibus incitamentum ob prædam erat. « Rapi ignes » Antonius, « inferrique amœniſſimis extra urbem ædificiis » jubet; ſi damno rerum ſuarum Cremonenſes ad mutandam fidem traherentur: propinqua muris tecta, & altitudinem mœnium egreſſa, fortiſſimo quoque militum complet: illi trabibus, teguliſque, & facibus propugnatores deturbant.

XXXI. Jam legiones in teſtudinem glomerabantur, & alii ſaxa telaque incutiebant, cùm langueſcere paullatim Vitellianorum animi. Ut quiſque ordine anteibat, cedere fortunæ: ne, Cremonâ quoque excisâ, nulla ultrà venia, omniſque ira victoris, non in vulgus inops, ſed in tribunos centurioneſque, ubi pretium cædis erat, reverteretur. Gregarius miles, futuri ſocors, & ignobilitate tutior, perſtabat: vagi per vias, in domibus abditi, pacem ne tum quidem orabant, cùm bellum poſuiſſent. Primores caſtrorum, nomen atque imagines Vitellii [3] amoliuntur: catenas Cæcinæ (nam etiam tum

[1] Nituntur cuneis] Fractâ turri, nitebantur ſeptimani, factis cuneis, vallum ſuperare, caſtraque ingredi. Cuneum, quo milites anguſtâ fronte irruebant, deſcribit Vegetius, III, 19.

[2] Completur cæde] Tum in prælio, tum in urbis excidio periiſſe quinquaginta hominum millia, πέντε μυριάδας, tradit Dio, LXV. pag. 740. Contrà Joſephus, Bell. Jud. IV, 11, ait ex Vitellianis interiiſſe virorum triginta millia & ducentos, ex Flavianis quatuor millia & quingentos.

[3] Imagines Vitellii] Signis inſcrip-

vinctus erat) exſolvunt, orantque, « ut cauſæ ſuæ depreca- »tor adſiſtat »: Aſpernantem tumentemque [1], lacrimis fatigant. Extremum malorum, tot fortiſſimi viri, proditoris opem invocantes: mox velamenta & infulas [2], pro muris oſtentant. Cùm Antonius « inhiberi tela » juſſiſſet, ſigna aquilaſque extulere: mæſtum inermium agmen, dejectis in terram oculis, ſequebatur. Circumſtiterant victores, & primò ingerebant probra, intentabant ictus: mox ut præberi ora contumeliis, &, poſitâ omni ferociâ, cuncta victi patiebantur, ſubit recordatio, illos eſſe, qui nuper Bebriaci victoriæ temperaſſent. Sed ubi Cæcina, prætextâ lictoribuſque inſignis, dimotâ turbâ, conſul inceſſit, exarſere victores: « ſuperbiam, ſævi- »tiamque » (adeò inviſa ſcelera ſunt) etiam « perſidiam », objectabant. Obſtitit Antonius, datiſque defenſoribus, ad Veſpaſianum dimiſit.

A. U. C. 822. J. C. 69.

XXXII. Plebs interim Cremonenſium inter armatos conflictabatur: nec procul cæde aberant, cùm precibus ducum mitigatus eſt miles. Et vocatos ad concionem Antonius adloquitur, magnificè victores, victos, clementer: de Cremonâ in neutrum [3]. Exercitus, præter inſitam prædandi cupidinem, vetere odio ad excidium Cremonenſium incubuit: juviſſe partes Vitellianas, Othonis quoque bello, credebantur: mox tertiadecimanos, ad exſtruendum amphitheatrum relictos [4], ut ſunt procacia urbanæ plebis ingenia, petulantibus jurgiis inluſerant. Auxit invidiam editum illic a Cæcinâ gladiatorum ſpectaculum [5], eademque rurſus belli ſedes; & præbiti in acie Vitellianis cibi; cæſæ quædam feminæ, ſtudio partium ad prœlium progreſſæ: tempus quoque mercatûs, ditem alioquin coloniam, majore opum ſpecie complebat. Ceteri duces in obſcuro: Antonium fortuna famaque om-

tum nomen, affixaſque imagines Vitellii amoliuntur. Inde mox *ſigna aquilaſque extulere.*

[1] Tumentemque ] De hac voce jam dictum ſupra Hiſt. II, 32.

[2] Velamenta et infulas ] Vide ſuprà Hiſt. I, 66.

[3] In neutrum ] Neque ad ſalutem, neque ad ruinam.

[4] Relictos ] Suprà Hiſt. II, 67.

[5] Spectaculum ] Jam memoratum Hiſt. II, 70.

A. U. C. 822. J. C. 69.

nium oculis expoſuerat: is balineas, abluendo cruori, properè petit: excepta vox eſt, cum teporem incuſaret; « ſtatim »futurum, ut incaleſcerent ». Vernile dictum omnem invidiam in eum vertit, « tamquam ſignum incendendæ Cremo»næ dediſſet », quæ jam flagrabat.

XXXIII. Quadraginta armatorum millia inrupere, calonum lixarumque [1] amplior numerus, & in libidinem ac ſævitiam corruptior. Non dignitas, non ætas protegebat, quominus ſtupra cædibus, cædes ſtupris miſcerentur. Grandævos ſenes, exactâ ætate feminas, viles ad prædam [2], in ludibrium trahebant. Ubi adulta virgo, aut quis formâ conſpicuus incidiſſet, vi manibuſque rapientium divulſus, ipſos poſtremo direptores in mutuam perniciem [3] agebat: dum pecuniam, vel gravia auro templorum dona, ſibi quiſque trahunt, majore aliorum vi truncabantur. Quidam obvia aſpernati, verberibus tormentiſque dominorum abdita ſcrutari, defoſſa eruere. Faces in manibus: quas, ubi prædam egeſſerant, in vacuas domos, & inania templa, per laſciviam jaculabantur: utque exercitu, vario linguis, moribus, cui cives, ſocii, externi intereſſent, diverſæ cupidines, & aliud cuique fas, nec quidquam inlicitum. Per quatriduum Cremona ſuffecit. Cùm omnia ſacra profanaque in igne conſiderent, ſolum Mephitis templum [4] ſtetit ante mœnia, loco, ſeu numine, defenſum.

XXXIV. Hic exitus Cremonæ, anno CCLXXXVI. a primordio ſui. Condita erat [5] Ti. Sempronio & Cornelio conſulibus,

[1] Calonum lixarumque ] De his vide dicta Hiſt. I, 49.

[2] Viles ad prædam ] Viles erant ad prædam, quòd ob ſenium & exactam ætatem, ut cetera mancipia, vendi non poterant. Inde eos in ludibrium trahebant.

[3] In mutuam perniciem ] Quòd omnes libidinibus flagrarent, prædamque inviderent.

[4] Mephitis templum ] Mephitis, dea in locis, tetros lethaleſve ſpiritus exhalantibus, culta. Aliud fuit ejus templum, de quo Plinius II, 93. *In Hirpinis Amſancti, ad Mephitis ædem, locum*, (potiùs *lacum*, qui hodieque ſulphureus teterrimuſque eſt, & dicitur, *lago Muſiti*) *quem qui intravere moriuntur.* Hirpini, nunc *la Principauté ultérieure.* De tetro vapore fontis ſilvæque Albuneæ dixit Virgilius, Æneid. VII, 84.

*Sævamque exhalat opaca mephitin.*

Cur autem Mephitis coleretur docet Plinius II, 7. *Numina innumerabilia reperimus: inferis quoque in genera deſcriptis, morbiſque, & multis etiam peſtibus, dum eſſe placatas trepido metu cupimus.*

[5] Condita erat ] Ne ita accipias, quaſi tunc condi cœpta Cremona: ſed

ingruente

A. U. C. 822. J. C. 69.

ingruente in Italiam Hannibale, propugnaculum adversùs Gallos, trans Padum agentes, & ſi qua alia vis per Alpes rueret. Igitur numero colonorum, opportunitate fluminum [1], ubere agri [2], annexu conubiiſque gentium [3], adolevit floruitque, bellis externis intacta, civilibus infelix. Antonius pudore flagitii, crebreſcente invidiâ, edixit, « ne quis Cremonenſes captivos detineret »: inritamque prædam militibus effecerat conſenſus Italiæ, emptionem talium mancipiorum aſpernantis. Occidi cœpere: quod ubi enotuit, a propinquis adfinibuſque occultè redemptabantur: mox rediit Cremonam reliquus populus: repoſita fora [4], templaque, munificentiâ municipum: & Veſpaſianus hortabatur.

XXXV. Ceterum adſidere ſepultæ urbis ruinis, noxia tabo humus haud diu permiſit: ad tertium lapidem progreſſi, vagos paventeſque Vitellianos, ſua quemque apud ſigna componunt. Et victæ legiones, ne, manente adhuc civili bello, ambiguè agerent, per Illyricum diſperſæ. In Britanniam inde, & Hiſpanias, nuntios famamque; in Galliam, Julium Calenum, tribunum; in Germaniam, Alpinum Montanum, præfectum cohortis, quòd hic Trevir, Calenus Æduus, uterque Vitelliani fuerant, oſtentui miſêre. Simul tranſitus Alpium, præſidiis occupati; ſuſpectâ Germaniâ, tamquam in auxilium Vitellii accingeretur.

XXXVI. At Vitellius, profecto Cæcinâ, cùm Fabium Valentem, paucis poſt diebus, ad bellum impuliſſet, curis luxum obtendebat: non parare arma, non adloquio exercitioque militem firmare; non in ore vulgi [5] agere: ſed umbra-

tunc facta eſt colonia, Tiberio Sempronio Longo & Publio Cornelio Scipione, conſulibus, anno Urbis conditæ DXXXVI.

[1] Fluminum ] Padi, *le Pô*; Adduæ, *l'Adda*; Ollii, *l'Oglio*; aliorumque plurium, ſed minorum.

[2] Ubere agri ] Id eſt, agri ubertate. Sic quoque Virgilius, Æneid. I, 535.

*Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebæ.*

Utrumque e Græcis deſumptum eſt: Οὖθαρ ἀρούρης. Ut rectè obſervabat Ill. Huetius.

[3] Conubiisque gentium ] De conubio, & quid a matrimonio differat, dictum eſt ſuprà in Notis & Emendationibus ad Annal. XIV, 27. pag. 456.

[4] Reposita fora ] Fora Gallicè dicimus *les places publiques*. Eorum formam uſuſque in Italiâ vide apud Vitruvium, V, 1.

[5] Non in ore vulgi ] Non ſe plebi videndum præbere.

A. U. C. 822. J. C. 69.

culis hortorum [1] abditus, ut ignava animalia, quibus ſi cibum ſuggeras, jacent torpentque, præterita, inſtantia, futura pari oblivione dimiſerat. Atque illum, in nemore Aricino deſidem & marcentem, proditio Lucilii Baſſi [2], ac defectio claſſis Ravennatis perculit. Nec multo poſt de Cæcinâ adfertur mixtus gaudio dolor, « & deſciviſſe, & ab exercitu vinctum [3] » : plus apud ſocordem animum lætitia, quàm cura valuit. Multâ cum exſultatione in Urbem revectus, frequenti concione, « pietatem militum » laudibus cumulat. « P. Sabinum [4], prætorii » præfectum, ob amicitiam Cæcinæ, vinciri » jubet, ſubſtituto in locum ejus Alpheno Varo.

XXXVII. Mox ſenatum, compoſitâ in magnificentiam oratione, adlocutus, exquiſitis patrum adulationibus attollitur. Initium atrocis in Cæcinam ſententiæ a L. Vitellio [5] factum: dein ceteri, compoſitâ indignatione « quod conſul » rempublicam, dux Imperatorem, tantis opibus, tot hono» ribus cumulatus, amicum, prodidiſſet », velut pro Vitellio conquerentes, ſuum dolorem proferebant. Nulla, in oratione cujuſquam, erga Flavianos duces obtrectatio: « errorem » imprudentiamque exercituum » culpantes, Veſpaſiani nomen ſuſpenſi & vitabundi circumibant. Nec defuit, qui unum conſulatûs diem (is enim, in locum Cæcinæ, ſupererat), magno cum inriſu tribuentis accipientiſque, eblandiretur. Pridie Calendas Novembris Roſius Regulus [6] iniit, ejuravitque. Adnotabant periti, « numquam antea, non abrogato magiſtratu, » neque lege latâ, alium ſuffectum »: nam conſul uno die & antè fuerat Caninius Rebilus [7], C. Cæſare dictatore, cùm belli civilis præmia feſtinarentur.

[1] UMBRACULIS HORTORUM ] Inter Ariciam, nunc *la Riccia*, & nemus Aricinum, multa adhuc exſtant monumentorum veſtigia: ibi fuiſſe villam Vitellii ſuſpicatur Cl. Corradinus, *Vetus Latium*, Tom. II, pag. 192.

[2] LUCILII BASSI ] Vide ſuprà Hiſt. II, 100 & III, 12.

[3] VINCTUM ] Hiſt. III, 14.

[4] P. SABINUM ] De quo ſuprà Hiſt. II, 92.

[5] L. VITELLIO ] Imperatoris Vitellii fratre.

[6] ROSIUS REGULUS ] De hujus anni conſulibus vide Notas & Emendationes ad Hiſt. I, 77.

[7] CANINIUS REBILUS ] Anno Urbis conditæ DCCIX, ante Chriſtum 45, conſul fuit Julius Cæſar IV ſine collegâ: eodem anno ſuffecti ſunt conſules Q.

XXXVIII. Nota per eos dies Junii Blæſi [1] mors, & famoſa fuit; de quâ ſic accepimus. Gravi corporis morbo æger Vitellius, Servilianis hortis [2], turrim, vicino ſitam, collucere per noctem crebris luminibus animadvertit. Sciſcitanti cauſam, « apud Cæcinam Tuſcum [3] epulari multos, præcipuum honore Junium Blæſum » nuntiatur: cetera in majus, de « apparatu, & ſolutis in laſciviam animis »: nec defuere, qui ipſum Tuſcum, & alios, ſed criminoſiùs Blæſum incuſarent, « quòd, ægro Principe, lætos dies ageret ». Ubi aſperatum Vitellium, & poſſe Blæſum perverti, ſatis patuit iis, qui Principum offenſas acriter ſpeculantur, datæ L. Vitellio delationis partes. Ille, infenſus Blæſo, æmulatione pravâ, quod eum omni dedecore maculoſum, egregiâ famâ anteibat, cubiculum Imperatoris reſerat, filium ejus [4] ſinu complexus, & genibus accidens: cauſam confuſionis [5] quærenti: « non ſe » proprio metu, nec ſui anxium, ſed pro fratre, pro liberis » fratris [6], preces lacrimaſque attuliſſe. Fruſtra Veſpaſianum ti» meri, quem tot Germanicæ legiones, tot provinciæ virtute » ac fide, tantum denique terrarum ac maris immenſis ſpatiis » arceat. In Urbe ac ſinu cavendum hoſtem, Junios Antonioſ» que avos jactantem, qui ſe ſtirpe imperatoriâ [7] comem ac

A. U. C. 822.
J. C. 69.

Fabius Maximus & C. Trebonius Nepos. Cùm autem ultimo anni die mortuus eſſet Fabius in magiſtratu, ſuffectus eſt C. Caninius Rebilus, quem irridet Tullius Epiſt. ad Familiares VII, 30. *Caninio conſule, ſcito neminem prandiſſe: nihil tamen, eo conſule, mali factum eſt. Fuit enim mirificâ vigilantiâ, qui ſuo toto conſulatu ſomnum non viderit.*

[1] Junii Blæsi ] De quo plura Hiſt. II, 59.

[2] Servilianis hortis ] Jam memoratis ſuprà Annal. XV, 55.

[3] Cæcinam Tuscum ] Eumdem ſanè, quem Dio LXIII. pag. 723, appellat quoque Καικίναν Τυσκον, Ægypti præfectum, a Nerone mulctatum exſilio, quòd balneum, Principi Alexandriam venturo, paratum, eſſet ingreſſus: idem habet Suetonius in Ner. XXXV, *Tuſcum, nutricis filium, relegavit, quòd in procuratione Ægypti, balneis in adventum ſuum exſtructis laviſſet.* Reverſus videtur Tuſcus, cùm exſules revocavit Galba; ut dictum eſt ſuprà Hiſt. II, 92.

[4] Filium ejus ] Germanicum: ſuprà Hiſt. II, 59.

[5] Confusionis ] Perturbationis. Sic Plinius I, Ep. 22. *Erit confuſioni meæ non mediocre ſolatium, ſi tu nihil quereris*, & III, Ep. 10. *Veritus ſum ne vos feſtis diebus confunderem, ſi in memoriam graviſſimi luctûs reduxiſſem.*

[6] Liberis fratris ] Vide Stemma Vitelliorum in Notis & Emendationibus ad Hiſt. I, 9.

[7] Stirpe imperatoria ] Inde in tot nummis Juniæ familiæ, BRVTVS IMP. & Antoniæ, M. ANTONIVS IMP. quos vide apud eruditum Vaillant, *Nummi antiqui familiarum;* nominibus *Junia, Antonia.*

A. U. C. 822. J. C. 69.

» magnificum militibus oſtentet. Verſas illuc omnium mentes, » dum Vitellius amicorum inimicorumque negligens [1], fovet » æmulum, Principis labores [2] e convivio proſpectantem. Red» dendam pro intempeſtivâ lætitiâ mæſtam & funebrem noc» tem, quâ ſciat & ſentiat vivere Vitellium, & imperare, & » ſi quid fato accidat, filium habere ».

XXXIX. Trepidanti inter ſcelus metumque, ne dilata Blæſi mors maturam perniciem, palam juſſa atrocem invidiam ferret, placuit veneno graſſari [3]. Addidit facinori fidem, nobili gaudio, Blæſum viſendo: quin & audita eſt ſæviſſima Vitellii vox, quâ « ſe » (ipſa enim verba referam) « paviſſe oculos [4], » ſpectatâ inimici morte », jactavit. Blæſo ſuper claritatem natalium, & elegantiam morum, fidei obſtinatio fuit. Integris quoque rebus, a Cæcinâ, & primoribus partium, jam Vitellium aſpernantibus, ambitus, abnuere perſeveravit; ſanctus, inturbidus, nullius repentini honoris, adeò non principatûs appetens: parum effugerat, ne dignus crederetur.

XL. Fabius interim Valens, multo ac molli concubinarum ſpadonumque agmine, ſegnius quàm ad bellum incedens, « proditam a Lucilio Baſſo Ravennatem claſſem » pernicibus nuntiis accepit. Et, ſi cœptum iter properaſſet, nutantem Cæcinam prævenire, aut, ante diſcrimen pugnæ, adſequi legiones potuiſſet. Nec deerant, qui monerent, « ut cum fidiſſimis, per » occultos tramites, vitatâ Ravennâ, Hoſtiliam Cremonamve » pergeret ». Aliis placebat, « accitis ex Urbe prætoriis cohor» tibus, validâ manu perrumpere ». Ipſe, inutili cunctatione, agendi tempora conſultando conſumpſit: mox utrumque conſilium aſpernatus, quod inter ancipitia deterrimum eſt, dum media ſequitur, nec auſus eſt ſatis, nec providit.

[1] Negligens ] Quoſnam amicos, quos inimicos habeat, haud ſatis ſollicitus.

[2] Labores ] Morbum doloreſque Vitellii.

[3] Veneno graſſari ] De hoc veneno Suetonius in Vitell. XIV. Vitellius *nobiles viros, condiſcipulos & æquales ſuos omnibus blanditiis tantùm non ad ſocietatem imperii allectos, vario genere fraudis occidit: etiam unum*, Junium Blæſum, *veneno manu ſuâ porrecto in frigidæ potione, quam is affectus febre popoſcerat.*

[4] Paviſſe oculos ] Hac horrendâ voce aliàs adhuc uſus eſt Vitellius, teſte Suetonio in Vitell. XIV. ubi multa de Vitellianâ crudelitate.

XLI. Missis ad Vitellium literis, « auxilium » poſtulat. Venère tres cohortes, cum alâ Britannicâ, neque ad fallendum aptus numerus [1], neque ad penetrandum. Sed Valens, ne in tanto quidem diſcrimine, infamiâ caruit, quominus rapere inlicitas voluptates, adulteriiſque ac ſtupris polluere hoſpitum domus crederetur: aderant vis, & pecunia, & ruentis fortunæ noviſſima libido. Adventu demum peditum equitumque pravitas conſilii patuit, quia nec vadere per hoſtes tam parvâ manu poterat, etiamſi fidiſſima foret, nec integram fidem attulerant. Pudor tamen, & præſentis ducis reverentia morabatur, haud diuturna vincula apud avidos periculorum, & dedecoris ſecuros. Eo metu, & paucis, quos adverſa non mutaverant, comitantibus, cohortes Ariminum [2] præmittit: alam « tueri terga » jubet: ipſe flexit in Umbriam [3], atque inde Etruriam; ubi cognito pugnæ Cremonenſis eventu, non ignavum, &, ſi provenisset, atrox conſilium iniit, ut arreptis navibus, in quamcumque partem Narbonenſis provinciæ egreſſus [4], Gallias, & exercitus, & Germaniæ gentes, novumque bellum cieret.

A. U. C. 822. J. C. 69.

XLII. Digresso Valente, trepidos, qui Ariminum tenebant, Cornelius Fuſcus [5], admoto exercitu, & miſſis per proxima litorum liburnicis, terrâ marique circumvenit. Occupantur plana Umbriæ, & quà Picenus ager [6] Adriâ [7] adluitur: omniſque Italia inter Veſpaſianum ac Vitellium Apennini [8] jugis dividebatur. Fabius Valens e ſinu Piſano [9], ſegnitiâ maris, aut adverſante vento, Portum Herculis Monœci [10] depellitur:

[1] Numerus ] Scilicet major, quàm ut falleret; minor, quàm ut penetraret.

[2] Ariminum ] Nunc *Rimini, dans la Romagne.*

[3] In Umbriam ] Umbria, *partie de la Romagne, du duché d'Urbin, de la Marche d'Ancone.* Etruria, *la Toſcane*, &c.

[4] Egressus ] Egredi, Gallicè dicimus *faire une deſcente.*

[5] Cornelius Fuscus ] Præfectus claſſis Ravennatis, ut vidimus ſuprà Hiſt. III, 12.

[6] Picenus ager ] Picenum, *la Marche d'Ancone.*

[7] Adria ] Nunc *la Mer Adriatique, ou le Golfe de Veniſe.*

[8] Apennini ] Hodieque *l'Apennin.*

[9] E sinu Pisano ] Nunc *le Golfe de Piſe.*

[10] Portum Herculis Monœci ] Nunc *Monaco, ſur la côte de Genes.* De ejus origine Ammianus Marcellinus XV, 9. *Hercules Thebanus . . . maritimas compoſuit Alpes. Monæci ſimiliter arcem & portum ad perennem ſui memoriam conſecravit.* Dictus eſt autem Hercules Monœcus, id eſt ſolitarius, *μόνοικος*, quod templum ejus ſolum eſſet in montis vertice. Inde Virgilius Æneid. VI, 831.

*Aggeribus ſocer Alpinis atque arce Monœci Deſcendens.*

A. U. C. 822. J. C. 69.

haud procul inde agebat Marius Maturus, Alpium maritimarum [1] procurator [2], fidus Vitellio, cujus ſacramentum, cunctis circà hoſtilibus, nondum exuerat. Is Valentem comiter exceptum, « ne Galliam Narbonenſem temere ingrederetur » monendo terruit: ſimul ceterorum fides metu infracta: namque circumjectas civitates procurator Valerius Paullinus, ſtrenuus militiæ, & Veſpaſiano ante fortunam amicus, in verba ejus adegerat.

XLIII. Concitisque omnibus, qui exauctorati a Vitellio bellum ſponte ſumebant, Forojulienſem coloniam [3], clauſtra maris, præſidio tuebatur; eo gravior auctor, quod Paullino patria Forum Julii, & honos apud Prætorianos, quorum quondam tribunus fuerat. Ipſique pagani [4], favore municipali, & futuræ potentiæ ſpe, juvare partes adnitebantur: quæ ubi paratu firma, & aucta rumore, apud varios [5] Vitellianorum animos increbuere; Fabius Valens cum quatuor ſpeculatoribus [6], & tribus amicis, totidem centurionibus, ad naves regreditur: Maturo, ceteriſque remanere, & in verba Veſpaſiani adigi volentibus fuit [7]. Ceterùm ut mare tutius Valenti, quàm litora, aut urbes; ita futuri ambiguus, & magis quid vitaret, quàm cui fideret, certus, adversâ tempeſtate Stœchadas [8], Maſſilienſium [9] inſulas, adfertur: ibi eum miſſæ a Paullino liburnicæ oppreſſere.

1 Alpium maritimarum ] De quibus dictum Annal. XV, 32.

2 Procurator ] Et Galliæ Narbonenſis, ut rectè conjicit eruditus Savilius.

3 Forojuliensem coloniam ] Forum Julium, Narbonenſis Galliæ colonia, nunc *Fréjus*. Clauſtra maris, quòd ibi navale Cæſaris Auguſti, de quo Strabo, IV, pag. 184. Τὸ ναύσταθμον τοῦ Καίσαρος τοῦ Σεβαστοῦ, ὃ καλοῦσι Φόρον Ἰούλιον. Plinio, III, 4, dicitur *Forum Julii Octavanorum coloniâ, quæ Pacenſis appellatur, & claſſica.*

4 Ipsique pagani ] Iique qui non militabant, ut ſæpe dictum eſt.

5 Varios ] Dubios & incertos; ut rectè explicat Illuſtr. Huetius.

6 Speculatoribus ] De ſpeculatoribus vide ſupra Hiſt. I, 24 & 25.

7 Volentibus fuit ] Marius Maturus ceterique ultro remanſere, & in verba Veſpaſiani adacti ſunt. De hac dicendi ratione *volentibus fuit*, vide Notas & Emendationes ad Hiſt. III, 43.

8 Stœchadas ] Inſulæ Stœchades, nunc *les iſles d'Hieres*: aliæ ſunt Stœchades minores, & Maſſiliæ viciniores, nunc *Ratoneau*, *If & Pomegue*. Stœchades autem dicuntur a voce Græca στοῖχος, *ordo*. Originem nominis docet Plinius, III, 5. *Tres Stœchades a vicinis Maſſilienſibus dictæ propter ordinem, quas item nominant ſingulis vocabulis, Proten, & Meſen . . . Tertia Hypæa.*

9 Massiliensium ] De Maſſiliâ jam

XLIV. Capto Valente, cuncta ad victoris opes converſa, initio per Hiſpaniam a primâ Adjutrice legione orto, quæ memoriâ Othonis, infenſa Vitellio [1], decimam quoque ac ſextam [2] traxit. Nec Galliæ cunctabantur. Et Britanniam, inclitus erga Veſpaſianum favor, quod illic ſecundæ legioni a Claudio præpoſitus, & bello clarus [3] egerat, non ſine motu adjunxit ceterarum [4], in quibus plerique centuriones ac milites, a Vitellio provecti, expertum jam Principem anxii mutabant.

A. U. C. 822. J. C. 69.

XLV. Ea diſcordiâ, & crebris belli civilis rumoribus, Britanni ſuſtulere animos, auctore Venuſio: qui ſuper inſitam ferociam, & Romani nominis odium, propriis in Cartiſmanduam reginam ſtimulis accendebatur. Cartiſmandua Brigantibus [5] imperitabat, pollens nobilitate: & auxerat potentiam, poſtquam, capto per dolum rege Caractaco [6], inſtruxiſſe triumphum Claudii Cæſaris videbatur. Inde opes, & rerum ſecundarum luxus: ſpreto Venuſio, is fuit maritus, armigerum ejus, Vellocatum, in matrimonium regnumque accepit. Concuſſa ſtatim flagitio domus. Pro marito, ſtudia civitatis; pro adultero, libido reginæ, & ſævitia. Igitur Venuſius, accitis auxiliis, ſimul ipſorum Brigantum defectione, in extremum diſcrimen Cartiſmanduam adduxit. Tum petita [7] a Romanis præſidia: & cohortes alæque noſtræ, variis prœliis, exemere tamen periculo reginam: regnum Venuſio, bellum nobis relictum.

dictum Annal. IV, 43. Maſſilienſes olim longè latéque huic oræ dominati.

[1] Infensa Vitellio ] Ideoque in Hiſpaniam miſſa, ut pace & otio miteſceret. Hiſt. II, 67.

[2] Decimam quoque ac sextam ] Duæ illæ legiones VI & X erant in Hiſpaniâ. Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. II, 6.

[3] Bello clarus ] Veſpaſianus in Britanniâ *tricies cum hoſte conflixit: duas validiſſimas gentes ſuperque viginti oppida, & inſulam Vectem*, nunc *l'iſle de Wight*, *Britanniæ proximam, in deditionem redegit: partim Auli Plautii conſularis legati, partim Claudii ipſius ductu.* Sueton. in Veſpaſ. IV. Vide & Supplementum Annal. X, 5.

[4] Ceterarum ] IX & XX legionum: ſuprà Hiſt. III, 22. Quartadecimanorum autem non dubius erga Veſpaſianum favor. Vide Hiſt. II, 66 & 86. IV, 68.

[5] Brigantibus ] De Brigantibus, Caractaco, & Cartiſmanduâ dictum ſuprà Annal. XII, 32 & ſeqq.

[6] Caractaco ] Cartiſmandua, capto per dolum & vincto Romaniſque tradito Caractaco, triumphum Imperatoris Claudii inſtruxerat. Vide Annal. XII, 36.

[7] Tum petita ] Tum Cartiſmandua petiit a Romanis præſidia. A cohortibus aliſque noſtris, variis prœliis, vario exitu, pugnatum. Exempta tamen periculo regina. Regnum Venuſio, bellum Romanis relictum.

A. U. C. 822. J. C. 69.

XLVI. Turbata per eoſdem dies Germania, & ſocordiâ ducum, & ſeditione legionum. Externâ vi, perfidiâ ſociali [1], propè adflicta Romana res. Id bellum, cum cauſis & eventibus (etenim longiùs provectum eſt) mox memorabimus [2]. Mota & Dacorum gens [3], numquam fida, tunc ſine metu, abducto e Mœſiâ exercitu. Sed prima rerum quieti ſpeculabantur: ubi flagrare Italiam bello, cuncta invicem hoſtilia, accepere; expugnatis cohortium alarumque hibernis, utrâque Danubii ripâ potiebantur. Jamque caſtra legionum exſcindere parabant, ni Mucianus ſextam legionem [4] oppoſuiſſet, Cremonenſis victoriæ gnarus, ac ne externa moles utrimque ingrueret, ſi Dacus Germanuſque diverſi inrupiſſent. Adfuit, ut ſæpe aliàs, fortuna populi Romani, quæ Mucianum vireſque Orientis illuc tulit: & quòd Cremonæ interim tranſegimus [5]. Fonteius Agrippa ex Aſiâ (proconſule eam provinciam annuo imperio tenuerat) Mœſiæ præpoſitus eſt [6]: additis copiis e Vitelliano exercitu, quem ſpargi per provincias, & externo bello inligari, pars conſilii, paciſque erat.

XLVII. Nec ceteræ nationes ſilebant. Subita per Pontum arma barbarum mancipium, regiæ quondam claſſis præfectus, moverat: is fuit Anicetus, Polemonis libertus [7], præpotens olim, & poſtquam regnum in formam provinciæ verterat, mutationis impatiens. Igitur Vitellii nomine, adſcitis gentibus, quæ Pontum accolunt, corrupto in ſpem rapinarum egentiſſimo quoque, haud temnendæ manûs ductor, Trapezuntem [8], vetuſtam Aſiæ civitatem, a Græcis in extremo Ponticæ oræ conditam,

[1] Perfidia sociali ] Sociorum.

[2] Mox memorabimus ] Infra Hiſt. IV, 12 & ſeqq.

[3] Dacorum gens ] Nunc *la Tranſilvanie*, *la Valakie*, *la Moldavie*, *partie de la Hongrie*, &c.

[4] Sextam legionem ] Jam memoratam ſupra Hiſt. II, 83.

[5] Transegimus ] Debellavimus, bellumque profligavimus.

[6] Præpositus est ] Fonteium Agrippam poſtea a Sarmatis, magnâ vi irruentibus, cæſum fuiſſe tradit Joſephus Bell. Jud. VII, 4. num. 3.

[7] Polemonis libertus ] Polemonis II, regis Pontici: quod regnum a Caio Caligulâ acceperat, ut dictum eſt in Supplemento Annal. VII, 36. Deinde, concedente Polemone, in provinciam Romanam ſub Neronis Principatu regnum illud ceſſerat. Vide Suetonium in Ner. XVIII. Singulares Polemonis nummos protulit Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Rois*, pag. 187.

[8] Trapezuntem ] Nunc *Trébizonde*. Vide Annal. XIII, 39. not. 3.

ſubitus

A. U. C. 822. J. C. 69.

ſubitus inrupit. Cæſa ibi cohors, regium auxilium olim, mox donati civitate Romanâ [1], ſigna armaque in noſtrum modum, deſidiam licentiamque Græcorum retinebant. Claſſi quoque faces intulit, vacuo mari eludens [2], quia lectiſſimas liburnicarum, omnemque militem Mucianus Byzantium [3] adegerat. Quin & barbari contemptim vagabantur, fabricatis repentè navibus (*camaras* vocant [4]) arctis lateribus, latâ alvo, ſine vinculo æris [5] aut ferri connexâ: & tumido mari, prout fluctus attollitur, ſumma navium tabulis augent donec in modum tecti claudantur. Sic inter undas volvuntur, pari utrimque prorâ, & mutabili remigio [6], quando hinc vel illinc appellere indiſcretum & innoxium eſt.

XLVIII. ADVERTIT ea res Veſpaſiani animum [7], ut vexillarios e legionibus, ducemque Virdium Geminum, ſpectatæ militiæ, deligeret. Ille incompoſitum, & prædæ cupidine vagum, hoſtem adortus, coegit in naves: effectiſque raptim liburnicis, adſequitur Anicetum in oſtio fluminis Cohibi [8], tutum ſub Sedochezorum regis [9] auxilio, quem pecuniâ doniſque ad ſocietatem perpulerat. Ac primò rex minis armiſque ſupplicem tueri: poſtquam merces proditionis, aut bellum oſten-

[1] CIVITATE ROMANA ] De jure civitatis Romanæ dictum in Notis & Emendationibus ad Annal. XI, 23.

[2] ELUDENS ] Et illudens. Vacuo enim mari, ſecurus oberrabat.

[3] BYZANTIUM ] Nunc *Conſtantinople.*

[4] CAMARAS VOCANT ] Quarum uſus perantiquus, ut videre eſt apud Strabonem XI, pag. 496, qui eas quoque Καμάρας appellat. Ita leves erant camaræ, ut barbari eas humeris imponerent, & in ſilvas portarent, licèt viginti quinque aut triginta hominum capaces, teſte eodem Strabone.

[5] SINE VINCULO ÆRIS ] Quales erant Moſcoviticæ ante celebratiſſimum Petri Magni principatum: qualeſque nunc Groenlandicæ, aliæque barbarorum naves, nervis radicibuſque colligatæ. Quàm frequens apud Romanos æris uſus docent vetera monumenta, quæ paſſim in curioſorum cimeliis exſtant. Vide & navem Trajani inter Anecdota de Trajano.

[6] MUTABILI REMIGIO ] Idem de Germanorum navibus dicetur infrà, de Moribus German. XLIV.

[7] VESPASIANI ANIMUM ] Mallet Lipſius, *Veſpaſianum.* Sic ſuprà Annal. II, 17. *Octo aquilæ . . . Imperatorem* advertêre.

[8] FLUMINIS COHIBI ] Meliùs *fluminis Cobi.* Idem enim eſt, de quo Plinius VI, 4. *Flumen Cobum e Caucaſo per Suanos fluens.* Arrianus in Peripl. Κῶβος ποταμὸς, nunc *Kobidzkali.* In Pontum Euxinum influit ſuprà Phaſis, *le Phaſe*, oſtia.

[9] SEDOCHEZORUM REGIS ] Error certè eſt, & emendandum, ut rectè conjecit Colerus, *ſub Sedochi, Lazorum regis, auxilio:* ita quoque vertit Cl. Gordon, *upon the protection of Sedochus King of the Lazians.* Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. III, 48. *Lazi*, nunc *la Principauté de Guriel.*

A. U. C. 822. J. C. 69.

debatur, fluxâ, ut eſt barbaris, fide, pactus Aniceti exitium, perfugas tradidit, belloque ſervili [1] finis impoſitus. Lætum eâ victoriâ Veſpaſianum, cunctis ſuper vota fluentibus, Cremonenſis prœlii nuntius in Ægypto adſequitur. Eo properantius Alexandriam pergit, ut, fracto Vitellii exercitu, Urbem quoque externæ opis [2] indigam fame urgeret. Namque & Africam [3], eodem latere ſitam, terrâ marique invadere parabat, clauſis annonæ ſubſidiis [4], inopiam ac diſcordiam hoſti facturus.

XLIX. Dum hac totius orbis mutatione, fortuna imperii tranſit, Primus Antonius nequaquam pari innocentiâ poſt Cremonam [5] agebat; ſatisfactum bello ratus, & cetera ex facili: ſeu felicitas in tali ingenio avaritiam, ſuperbiam, ceteraque occulta mala patefecit. Ut captam, Italiam perſultare; ut ſuas, legiones colere; omnibus dictis factiſque vim ſibi ad potentiam ſtruere: utque licentiâ militem imbueret, interfectorum centurionum ordines legionibus offerebat: eo ſuffragio turbidiſſimus quiſque delecti: nec miles in arbitrio ducum, ſed duces militari violentiâ trahebantur. Quæ ſeditioſa [6], & corrumpendæ diſciplinæ, mox in prædam vertebat, nihil adventantem Mucianum veritus, quod exitioſius erat, quàm Veſpaſianum ſpreviſſe.

L. Ceterum propinquâ hieme, & humentibus Pado campis, expeditum agmen incedere. Signa aquilæque victricium legionum, milites vulneribus aut ætate graves, plerique etiam integri, Veronæ relicti: ſufficere cohortes alæque, & e legionibus lecti, profligato jam bello [7], videbantur. Undecima legio ſeſe adjunxerat, initio cunctata; ſed, proſperis rebus, anxia, quod defuiſſet. Sex millia Dalmatarum, recens delectus, comitabantur. Ducebat Pompeius Silvanus [8], conſularis: vis conſi-

[1] Belloque servili ] Bellum ſervile appellat, quod ejus cauſa Anicetus, nunc quidem libertus, olim ſervus.

[2] Externæ opis ] Eadem vide Annal. III, 54.

[3] Africam ] Nunc *le Royaume de Tunis.*

[4] Annonæ subsidiis ] Sic clauſtra annonæ dicta ſunt ſuprà Hiſt. III, 8. Romam alebant Ægyptus & Africa.

[5] Post Cremonam ] Poſt expugnatam Cremonam.

[6] Quæ seditiosa ] Quæ ſeditioſa, & ad corrumpendam diſciplinam excogitata, mox in prædam vertebat, & a ducibus, militari violentiâ tractis, pecuniam exigebat.

[7] Profligato jam bello ] Bello pæne confecto. Vide quæ de hoc verbo notata ſunt ſuprà Hiſt. II, 4.

[8] Pompeius Silvanus ] Rector Dalmatiæ, ut vidimus ſupra Hiſt. II, 86.

A. U. C. 822. J. C. 69.

liorum penes Annium Baſſum, legionis legatum: is Silvanum, ſocordem bello, & dies rerum [1] verbis terentem, ſpecie obſequii regebat, ad omniaque, quæ agenda forent, quietá cum induſtriá aderat. Ad has copias, e claſſicis Ravennatibus legionariam militiam poſcentibus, optimus quiſque adſciti: Claſſem Dalmatæ ſupplevere. Exercitus duceſque ad Fanum Fortunæ [2] iter ſiſtunt, de ſummâ rerum cunctantes, quòd « motas ex Ur»be prætorias cohortes » audierant, & teneri præſidiis Apenninum rebantur: & ipſos, in regione bello attritâ, inopia & ſeditioſæ militum voces terrebant, *clavarium* [3] (donativi nomen eſt) flagitantium: nec pecuniam, aut frumentum providerant: & feſtinatio atque aviditas præpediebant, dum, quæ accipi poterant, rapiuntur.

LI. Celeberrimos auctores habeo, tantam victoribus adversùs fas nefaſque inreverentiam fuiſſe, ut gregarius eques, occiſum a ſe proximâ acie fratrem profeſſus, præmium a ducibus petierit. Nec illis aut honorare eam cædem, jus hominum; aut ulciſci, ratio belli [4] permittebat. Diſtulerant tamquam majora meritum, quàm quæ ſtatim exſolverentur: nec quidquam ultrà traditur. Ceterùm, & prioribus civium bellis, par ſcelus inciderat: nam prœlio, quo apud Janiculum [5] adversùs Cinnam pugnatum eſt, Pompeianus miles fratrem ſuum [6], dein,

[1] Dies rerum ] Dies rebus gerendis idoneos.

[2] Ad Fanum Fortunæ ] Nunc *Fano, dans le duché d'Urbin.*

[3] Clavarium ] Donativum ad emendos clavos caligares, unde dicebatur *clavarium*: ſic ad calceos emendos dictum *calcearium*, apud Suetonium in Veſpaſ. VIII: ſic quoque *unguentarium*, unguenti nomine datum. Mores hujus temporis illuſtrabit inſigne exemplum. *Hoſtilius Firmicus, legatus Marii Priſci in Africâ* . . . probabatur *accepiſſe ſeſtertiûm decem millia*, Gallicæ monetæ libras 1945, *fœdiſſimo quidem titulo, nomine unguentarii, qui titulus a vitâ hominis compti ſemper & pumicati non abhorrebat*, Plinius Ep. II, 11. Clavatas autem militum Romanorum caligas, quarum nonnulla adhuc exſtant monumenta, rectè deſcripſit Joſephus, Bell. Jud. VI, 1. Ὑποδήματα πεπαρμένα πυκνοῖς καὶ ὀξέσιν ἥλοις. *Caligæ crebris & acutis clavis ſubfixæ.*

[4] Ratio belli ] Hos bellorum civilium furores vividè deſcripſit Lucanus, I, 375. cùm Lælius Cæſarem alloquitur.

*Perque tuos juro quocumque ex hoſte triumphos;*
*Pectore ſi fratris gladium, juguloque parentis*
*Condere me jubeas, plenæque in viſcera partu*
*Conjugis, invitâ peragam tamen omnia dextrâ.*
*Si ſpoliare deos, ignemque immittere templis, &c.*

[5] Apud Janiculum ] Romæ, hodieque dicitur *Monte Gianicolo*; vulgo *Montorio.*

[6] Fratrem suum ] Ita quoque Epitome Livii LXXIX. *In quo bello duo fratres, alter ex Pompeii exercitu, alter ex*

A. U. C. 822. J. C. 69.

cognito facinore, ſeipſum interfecit, ut Siſenna memorat: tanto acrior apud majores, ſicut virtutibus gloria, ita flagitiis pænitentia fuit. Sed hæc aliaque ex veteri memoriâ petita, quotiens res locuſque exempla recti, aut ſolatia mali poſcet, haud abſurdè memorabimus.

LII. Antonio ducibuſque partium, « præmitti equites, » omnemque Umbriam explorari » placuit, « ſi quà Apennini » juga clementiùs adirentur: acciri aquilas ſignaque, & quid» quid Veronæ militum foret: Padumque & mare commeatibus [1] » compleri. ». Erant inter duces, qui necterent moras: quippe nimius jam Antonius, & certiora ex Muciano ſperabantur. Namque Mucianus, tam celeri victoriâ anxius, & ni præſens Urbe potiretur, expertem ſe belli gloriæque ratus, ad Primum & Varum media [2] ſcriptitabat, « inſtandum cœptis », aut rurſus « cunctandi utilitates » ediſſerens; atque ita compoſitus, ut ex eventu rerum adverſa abnueret, vel proſpera agnoſceret. Plotium Griphum [3], nuper ab Veſpaſiano in ſenatorium ordinem additum, ac legioni præpoſitum, ceteroſque ſibi fidos, apertiùs monuit. Iique omnes, de feſtinatione Primi ac Vari ſiniſtrè, & Muciano volentia [4] reſcripſere. Quibus epiſtolis Veſpaſiano miſſis, effecerat, ut non pro ſpe Antonii, conſilia factaque ejus æſtimarentur.

LIII. Ægre id pati Antonius, & culpam in Mucianum conferre, cujus criminationibus eviluiſſent pericula ſua: nec ſermonibus temperabat, immodicus linguâ, & obſequii inſolens: literas ad Veſpaſianum compoſuit, jactantiùs quàm ad Principem, nec ſine occultâ in Mucianum inſectatione: « Se » Pannonicas legiones in arma egiſſe: ſuis ſtimulis excitos Mœ» ſiæ duces, ſuá conſtantiâ perruptas Alpes, occupatam Italiam,

*Cinnæ, ignorantes occurrerunt: & cùm victor ſpoliaret occiſum, agnito fratre, ingenti lamentatione editâ, rogo ei exſtructo, ipſe ſupra rogum ſe transfodit, & eodem igni conſumptus eſt.* Plura vide in Notis & Emendationibus ad Hiſt. III, 51.

[1] Commeatibus ] Navibus, quæ cibaria ceteroſque commeatus advehérent.

[2] Media ] Dubia & ambigua.

[3] Plotium Griphum ] Quem *majoris gradûs* juvenem appellat, cuique *Riſum Saturnalitium* inſcripſit Statius, Sylv. IV, 1 & 9.

[4] Volentia ] Grata & accepta. Ita quoque Salluſtius, Hiſt. IV, 9. *Multiſque ſuſpicionibus volentia plebi facturus videbatur.* Id eſt, quæ plebs vellet.

A. U. C. 822. J. C. 69.

» interſepta Germanorum Ræetorumque auxilia. Quòd diſcor»des, diſperſaſque Vitellii legiones equeſtri procellâ[1], mox »peditum vi, per diem noctemque fudiſſet[2], id pulcherrimum, »& ſui operis: caſum Cremonæ, bello imputandum: majore »damno, plurium urbium excidiis, veteres civium diſcordias »reipublicæ ſtetiſſe. Non ſe nuntiis, neque epiſtolis, ſed manu »& armis Imperatori ſuo militare: neque officere gloriæ eorum, »qui Aſiam interim compoſuerint: illis Mœſiæ pacem, ſibi ſa»lutem ſecuritatemque Italiæ, cordi fuiſſe. Suis exhortationi»bus Gallias Hiſpaniaſque, validiſſimam terrarum partem, ad »Veſpaſianum converſas. Sed cecidiſſe in inritum labores, ſi »præmia periculorum ſoli adſequantur, qui periculis non ad»fuerint». Nec fefellere ea Mucianum: inde graves ſimultates; quas Antonius ſimpliciùs, Mucianus callidè, eóque implacabiliùs nutriebat.

LIV. At Vitellius, fractis apud Cremonam rebus, nuntios cladis occultans, ſtultâ diſſimulatione, remedia potiùs malorum, quàm mala, differebat. Quippe confitenti conſultantique ſupererant ſpes vireſque: cùm e contrario læta omnia fingeret, falſis ingraveſcebat[3]. Mirum apud ipſum de bello ſilentium: prohibiti per civitatem ſermones, eóque plures: ac, ſi liceret, vera narraturi, quia vetabantur, atrociora vulgaverant. Nec duces hoſtium augendæ famæ deerant, captos Vitellii exploratores, circumductoſque, ut robora victoris exercitûs noſcerent, remittendo: quos omnes Vitellius ſecretò percunctatus, interfici juſſit. Notabili conſtantiâ centurio, Julius Agreſtis, poſt multos ſermones, quibus Vitellium ad virtutem fruſtra accendebat, perpulit ut ad vires hoſtium ſpectandas, quæque apud Cremonam acta forent, ipſe mitteretur. Nec exploratione occultâ fallere Antonium tentavit, ſed « mandata »Imperatoris ſuumque animum» profeſſus, «ut cuncta viſeret», poſtulat. Miſſi, qui locum prœlii, Cremonæ veſtigia, captas

[1] Equestri procella ] Bene, pro equeſtri impetu. Sic quoque Livius XXIX, 2. *Jam miſſum ab ſe Ser. Cornelium, procellâ equeſtri hoſtes circumfuſurum.*

[2] Fudisset ] Suprà cap. 21 & ſeqq.

[3] Ingravescebat ] Falſis narrationibus malum ingraveſcebat.

A. U. C. 822. J. C. 69.

legiones oſtenderent. Agreſtis ad Vitellium remeavit, abnuentique « vera eſſe quæ adferret », atque ultro « corruptum » arguenti ; « quandoquidem », inquit, « magno documento opus » eſt, nec alius jam tibi aut vitæ, aut mortis meæ uſus, dabo » cui credas »: atque ita digreſſus, voluntariâ morte dicta firmavit. Quidam « juſſu Vitellii interfectum »; de ſide conſtantiâque [1] eadem tradidere.

LV. Vitellius, ut e ſomno excitus, « Julium Priſcum, » & Alphenum Varum, cum quatuordecim prætoriis cohorti» bus, & omnibus equitum alis obſidere Apenninum » jubet. Secuta e claſſicis legio. Tot millia armatorum, lecta equis viriſque, ſi dux alius foret, inferendo quoque bello ſatis pollebant. Ceteræ cohortes, ad tuendam Urbem, L. Vitellio fratri datæ. Ipſe nihil e ſolito luxu remittens, & diffidentiâ properus, feſtinare comitia, quibus conſules in multos annos deſtinabat: fœdera ſociis [2], Latium externis dilargiri: his tributa dimittere: alios immunitatibus juvare: denique nullâ in poſterum curâ, lacerare imperium. Sed vulgus ad magnitudinem beneficiorum aderat: ſtultiſſimus quiſque pecuniis mercabatur: apud ſapientes caſſa habebantur, quæ neque dari, neque accipi, ſalvâ republicâ, poterant. Tandem, flagitante exercitu, qui Mevaniam [3] inſederat, magno ſenatorum agmine, quorum multos ambitione, plures formidine trahebat, in caſtra venit, incertus animi, & infidis conſiliis obnoxius.

LVI. Concionanti (prodigioſum dictu) tantum fœdarum volucrum [4] ſupervolitavit, ut nube atrâ diem obtenderent. Acceſſit dirum omen, profugus altaribus [5] taurus, disjecto ſa-

[1] Fide constantiaque ] Parem fidem conſtantiamque manipularis militis, fractis apud Bebriacum rebus, vidimus ſuprà Hiſt. II, 47. not. 3.

[2] Fœdera sociis ] De fœderatis populis, Latio, & jure Latii, dictum eſt ſuprà in Notis & Emendationibus ad Annal. XI, 23.

[3] Mevaniam ] Nunc *Bevagna, dans le Duché de Spolete.*

[4] Fœdarum volucrum ] Vultures appellat Dio LXV, pag. 740. Γῦπές τε πολλοὶ προσπεσόντες, τά τε ἱερὰ διεσκέδασαν, καὶ ἐκεῖνον ἀπὸ τοῦ βήματος ὀλίγου δεῖν κατέβαλον. *Vulturum vis magna irruit, victimas diſcerpſit, ipſumque Vitellium de tribunali ferme deturbavit.*

[5] Profugus altaribus ] Quod inter oſtenta habebatur. Vide Suetonium in Jul. LIX. Inde Plinius VIII, 45. *Hoc quoque notatum, vitulos ad aras humeris hominis allatos non fere litare, ſicut nec claudicante, nec alienâ hoſtiâ deos placari, nec trahente ſe ab aris.*

A. U. C. 822. J. C. 69.

criſicii apparatu, longè, nec ubi feriri hoſtias mos eſt, confoſſus. Sed præcipuum ipſe Vitellius oſtentum erat, ignarus militiæ, improvidus conſilii; « quis ordo agminis, quæ cura explo»randi, quantus urgendo trahendove bello modus », alios rogitans, & ad omnes nuntios, vultu quoque & inceſſu trepidus, dein temulentus. Poſtremo tædio caſtrorum, & auditâ defectione Miſenenſis claſſis [1], Romam revertit, recentiſſimum quodque vulnus pavens, ſummi diſcriminis incurioſus. Nam cum transgredi Appenninum, integro exercitûs ſui robore, & feſſos hieme atque inopiâ hoſtes adgredi, in aperto foret; dum diſpergit vires, acerrimum militem, & uſque in extrema obſtinatum, trucidandum, capiendumque tradidit, peritiſſimis centurionum diſſentientibus, &, ſi conſulerentur, vera dicturis. Arcuere eos intimi amicorum Vitellii, ita formatis Principis auribus, ut aſpera, quæ utilia, nec quidquam, niſi jucundum & læſurum acciperet.

LVII. Sed claſſem Miſenenſem (tantum civilibus diſcordiis etiam ſingulorum audacia valet) Claudius Faventinus, centurio, per ignominiam a Galbâ dimiſſus, ad defectionem traxit, fictis Veſpaſiani epiſtolis pretium proditionis oſtentans. Præerat claſſi Claudius Apollinaris, neque fidei conſtans, neque ſtrenuus in perfidiâ: & Apinius Tiro, præturâ functus, ac tum fortè Minturnis [2] agens, ducem ſe defectoribus obtulit: a quibus municipia coloniæque impulſæ: præcipuo Puteolanorum [3] in Veſpaſianum ſtudio, contrà Capuâ [4] Vitellio fidâ, municipalem æmulationem bellis civilibus miſcebant. Vitellius, Claudium Julianum (is nuper claſſem Miſenenſem molli imperio rexerat) permulcendis militum animis delegit: data in auxilium Urbana cohors, & gladiatores [5], quibus Julianus præ-

[1] Misenensis classis] De quâ ſuprà Hiſt. II, 9.

[2] Minturnis] Minturnæ, olim ſitæ ad oſtium fluvii Liris, nunc *Garigliano*, periere.

[3] Puteolanorum] Puteoli, nunc *Pozzuolo*. Ob ſtudium in Veſpaſianum, poſtea inſtaurata, vel aucta eorum colonia, dictaque COLONIA FLAVIA, ut videre eſt apud Holſtenium, *Annotation. in Cluverii Italiam Antiq.* pag. 237. de hac coloniâ plura vide in Notis & Emendationibus ad Annal. XIV, 27.

[4] Capua] De Capua dictum ſupra Annal. IV, 57.

[5] Gladiatores] Deforme quidem auxilium, ſed per civilia bella uſurpatum, ut vidimus ſupra Hiſt. II, 11.

A. U. C. 822. J. C. 69.

erat [1]. Ut collata utrimque caſtra, haud magnâ cunctatione Juliano in partes Veſpaſiani tránſgreſſo, Tarracinam [2] occupavere, mœnibus ſituque magis, quàm ipſorum [3] ingenio tutam.

LVIII. Quæ ubi Vitellio cognita, parte copiarum Narniæ [4] cum præfectis prætorii relictâ, L. Vitellium fratrem, cum ſex cohortibus & quingentis equitibus, ingruenti per Campaniam bello oppoſuit. Ipſe æger animi, ſtudiis militum & clamoribus populi arma poſcentis reſovebatur: dum vulgus ignavum & nihil ultra verba auſurum, falsâ ſpecie, « exercitum & le» giones » appellat. Hortantibus libertis ( nam amicorum ejus quanto quis clarior, minus fidus ) « vocari tribus [5] » jubet; dantes nomina ſacramento adigit: ſuperfluente multitudine, curam delectûs in conſules partitur. Servorum numerum, & pondus argenti ſenatoribus indicit. Equites Romani obtulere « operam » pecuniaſque », etiam libertinis [6] idem munus ultro flagitantibus. Ea ſimulatio officii, a metu profecta, verterat in favorem. Et plerique haud perinde Vitellium, quàm caſum locumque principatûs miſerabantur: nec deerat ipſe, vultu, voce, lacrimis, miſericordiam elicere, largus promiſſis, &, quæ natura trepidantium eſt, immodicus. Quin & *Cæſarem* ſe dici voluit, aſpernatus antea [7]: ſed tunc, ſuperſtitione nominis, & quia in metu conſilia prudentium, & vulgi rumor juxtà audiuntur. Ceterùm, ut omnia inconſulti impetûs cœpta, initiis valida, ſpatio langueſcunt, dilabi paullatim ſenatores, equiteſque, primò cunctanter, & ubi ipſe non aderat; mox contemptim, & ſine diſcrimine, donec Vitellius pudore inriti conatûs, quæ non dabantur [8], remiſit.

LIX. Ut terrorem Italiæ poſſeſſa Mevania, ac velut renatum ex integro bellum, intulerat; ita haud dubium erga Flavianas

[1] Julianus præerat ] Julianum, qui curabat *gladiatorum manus Neronis Principis*, vidimus ſuprà inter Anecdota de Nerone, Tom. II. pag. 532.

[2] Tarracinam ] Nunc *Terracine*.

[3] Ipsorum ] Juliani & Apollinaris.

[4] Narniæ ] Hodieque *Narni*, *dans le Duché de Spolete*.

[5] Tribus ] De tribubus dictum ſuprà Annal. XIV, 13.

[6] Libertinis ] Quorum latè fuſum corpus, ut vidimus ſuprà Annal. XIII, 27. Ibi plura de libertinis.

[7] Aspernatus antea ] Vide ſuprà Hiſt. I, 62.

[8] Quæ non dabantur ] Servi, pecuniæ, &c.

partes

A. U. C. 822. J. C. 69.

partes ſtudium, tam pavidus Vitellii diſceſſus addidit: erectus Samnis, Pelignuſque, & Marſi [1], æmulatione, quod Campania [2] prævenisſet, ut in novo obſequio ad cuncta belli munia acres erant [3]. Sed fœdâ hieme per tranſitum Apennini conflictatus exercitus: & vix quieto agmine nives eluctantibus, patuit quantum diſcriminis adeundum foret, ni Vitellium retro fortuna vertiſſet [4]; quæ Flavianis ducibus non minus ſæpe, quàm ratio adfuit [5]. Obvium illic Petilium Cerialem habuere, agreſti cultu, & notitiâ locorum cuſtodias Vitellii elapſum. Propinqua adfinitas Ceriali cum Veſpaſiano, nec ipſe inglorius militiæ; eóque inter duces adſumptus eſt. « Flavio quoque Sabino, ac Domitiano patuiſſe effugium », multi tradidere. Et miſſi ab Antonio nuntii, per varias fallendi artes penetrabant, « locum ac præſidium [6] » monſtrantes. Sabinus « inhabilem labori & audaciæ valetudinem » cauſabatur: Domitiano aderat animus: ſed cuſtodes a Vitellio additi, quamquam « ſe ſocios fugæ » promitterent, tamquam inſidiantes timebantur. Atque ipſe Vitellius, reſpectu ſuarum neceſſitudinum [7], nihil in Domitianum atrox parabat.

LX. Duces partium ut Carſulas [8] venêre, paucos ad requiem dies ſumunt, donec aquilæ, ſignaque legionum adſequerentur: & locus ipſe caſtrorum placebat, latè proſpectans, tuto copiarum [9] aggeſtu, florentiſſimis pone tergum municipiis: ſimul colloquia cum Vitellianis, decem millium ſpatio diſtantibus, & proditio ſperabatur. Ægre id pati miles, & victoriam malle, quàm pacem: ne ſuas quidem legiones opperiebantur,

[1] Et Marsi ] In partes Veſpaſiani erectus & animoſus Samnis, nunc *la partie de l'Abruzze citérieure, le Comté de Moliſe, & partie de la terre de Labour & de la Capitanate;* Pelignus, nunc *partie de l'Abruzze citérieure entre les fleuves Peſcara & Sangro.* Marſi, nunc *partie de l'Abruzze ultérieure près du lac de Celano.*

[2] Campania ] *La Campanie*, vel *partie de la terre de Labour & de la Principauté Citérieure.*

[3] Acres erant ] Eò acriores, quòd novum erat obſequium.

[4] Vertisset ] Cùm Vitellius Romam revertit, ut dictum eſt cap. 56.

[5] Adfuit ] Sic ſuprà cap. 46. *Adfuit, ut ſæpe aliàs, fortuna populi Romani.*

[6] Locum ac præsidium ] Locum, quò ſe reciperent, tutumque præſidium.

[7] Suarum necessitudinum ] Ipſi enim Vitellio erat mater, uxor, liberi, &c.

[8] Carsulas ] Carſularum manent rudera prope *Santo Gemini*, in Umbriâ.

[9] Copiarum ] Commeatuum.

A. U. C. 822. J. C. 69.

ut prædæ [1], quàm periculorum ſocias. Vocatos ad concionem Antonius docuit, « eſſe adhuc Vitellio vires, ambiguas, ſi » deliberarent, acres, ſi deſperaſſent. Initia bellorum civilium » fortunæ permittenda, victoriam conſiliis & ratione perfici. » Jam Miſenenſem claſſem, & pulcherrimam Campaniæ oram » deſciviſſe: nec plus e toto terrarum orbe reliquum Vitellio, » quàm quod inter Tarracinam Narniamque [2] jaceat. Satis glo- » riæ prœlio Cremonenſi partum, & exitio Cremonæ, nimium » invidiæ: ne concupiſcerent Romam capere potiùs, quàm ſer- » vare: majora illis præmia, & multò maximum decus, ſi inco- » lumitatem ſenatui populoque Romano ſine ſanguine quæſiſ- » ſent ».

LXI. His ac talibus mitigati animi. Nec multò pòſt legiones venêre. Et terrore famâque aucti exercitùs, Vitellianæ cohortes nutabant, nullo in bellum adhortante, multis ad tranſitionem, qui ſuas centurias turmaſque tradere, donum victori, & ſibi in poſterum gratiam, certabant. Per eos cognitum eſt, « Interamnam [3] proximis campis præſidio quadringentorum » equitum teneri ». Miſſus extemplo Varus [4], cum expeditâ manu, paucos repugnantium interfecit: plures, abjectis armis, veniam petivere: quidam in caſtra refugi, cuncta formidine implebant, augendo rumoribus virtutem copiaſque hoſtium, quò amiſſi præſidii dedecus lenirent. Nec ulla apud Vitellianos flagitii pœna; & præmiis defectorum [5], vera fides; ac reliquum perfidiæ certamen: crebra transfugia tribunorum centurionumque; nam gregarius miles induruerat pro Vitellio, donec Priſcus & Alphenus [6], deſertis caſtris, ad Vitellium regreſſi, pudore proditionis cunctos exſolverent.

LXII. Iisdem diebus, Fabius Valens Urbini [7], in cuſto-

[1] Ut prædæ] Ut prædæ potiùs, quàm periculorum ſocias.

[2] Tarracinam Narniamque ] Hodieque *Terracine* & *Narni*.

[3] Interamnam ] Nunc *Terni*; de quâ dictum Annal. I, 79.

[4] Varus ] Arrius Varus, de quo ſæpe ſuprà.

[5] Præmiis defectorum ] Nulla apud Vitellianos flagitii pœna: certiſſima verò fides præmiis, quæ defectores acceperant erantve accepturi. Inde reliquum perfidiæ certamen, crebraque tribunorum ac centurionum transfugia.

[6] Priscus et Alphenus ] Vide ſupra cap. 55.

[7] Urbini ] Hodieque *Urbino*, *dans le Duché d'Urbin*. Cujus nomen immor-

diâ, interficitur. Caput ejus Vitellianis cohortibus oſtentatum, ne quam ultrà ſpem foverent: nam « pervaſiſſe in Germanias » Valentem, & veteres illic novoſque exercitus ciere » credebant. Viſá cæde, in deſperationem verſi: & Flavianus exercitus, immane quantum [1] animo, exitium Valentis, ut finem belli, accepit. Natus erat Valens Anagniæ [2], equeſtri familiâ: procax moribus, neque abſurdus ingenio [3], famam urbanitatis per laſciviam petere: ludicro Juvenalium [4] ſub Nerone, velut ex neceſſitate, mox ſponte mimos actitavit, ſcitè magis, quàm probè. Legatus legionis, & fovit Verginium, & infamavit [5]. Fonteium Capitonem corruptum, ſeu quia corrumpere nequiverat, interfecit [6]. Galbæ proditor [7], Vitellio fidus, & aliorum perfidiâ inluſtratus.

A. U. C. 822.
J. C. 69.

LXIII. Abrupta undique ſpe, Vitellianus miles, tranſiturus in partes, id quoque non ſine dedecore [8], ſed ſub ſignis vexilliſque in ſubjectos Narniæ campos deſcendêre. Flavianus exercitus, ut ad prœlium, intentus armatuſque, denſis circa viam ordinibus, adſtiterat. Accepti in medium Vitelliani: & circumdatos, Primus Antonius clementer adloquitur: « pars » Narniæ, pars Interamnæ » ſubſiſtere juſſi: relictæ ſimul e victricibus legiones, neque quieſcentibus graves, & adversùs contumaciam validæ. Non omiſere per eos dies Primus ac Vàrus crebris nuntiis « ſalutem, & pecuniam, & ſecreta Campaniæ [9] » offerre Vitellio, « ſi poſitis armis, ſeque ac liberos ſuos Veſpa-

tale fecit Raphaelis, Pictorum facilè principis, mens arſque divina.

[1] Immane quantum ] Sic Horatius, I. Od. XXVII, 5.

*Vino & lucernis Medus acinaces*
*Immane quantum diſcrepat.*

[2] Anagniæ ] Nunc *Anagni*, *dans la campagne de Rome.*

[3] Neque absurdus ingenio ] Ita ferme de Semproniá Salluſtius in Catilin. XXVI. *Ingenium ejus haud abſurdum: poſſe verſus facere, jocum movere, ſermone uti vel modeſto, vel molli, vel procaci: prorſus multæ facetiæ multuſque lepos inerat.* Vide & ſuprà Annal. XIII, 45. Poppææ *ſermo comis, nec abſurdum ingenium.*

[4] Juvenalium ] De hoc ludicro dictum ſuprà Annal. XIV, 15 & XVI, 21.

[5] Infamavit ] Suprà Hiſt. I, 52.

[6] Interfecit ] Suprà Hiſt. I, 7.

[7] Galbæ proditor ] Suprà Hiſt. I, 52.

[8] Non sine dedecore ] Bene Illuſtr. Huetius: *Vitellianis, Flavianas partes ſecuturis, id maximè ignominioſum fuit, quòd ſub ſignis hoc fecerint, cùm furtim facere poſſent.*

[9] Secreta Campaniæ ] Ut Romà abſtineret, & in ſecreta Campaniæ, otio & libidinibus opportuna, ſe reciperet.

A. U. C. 822. J. C. 69.

» ſiano permiſiſſet ». In eumdem modum & Mucianus compoſuit epiſtolas: quibus plerumque fidere Vitellius, ac « de numero ſervorum, electione litorum [1] » loqui. Tanta torpedo invaſerat animum, ut, ſi Principem eum fuiſſe ceteri non meminiſſent, ipſe obliviſceretur.

LXIV. At primores civitatis, Flavium Sabinum [2], præfectum Urbis, ſecretis ſermonibus incitabant, « victoriæ famæque partem capeſſeret: eſſe illi proprium militem [3] cohortium Urbanarum: nec defuturas vigilum cohortes [4], ſervitia ipſorum, fortunam partium, & omnia prona victoribus. Ne Antonio Varoque de gloriâ concederet. Paucas Vitellio cohortes, & mæſtis undique nuntiis trepidas: populi mobilem animum; &, ſi ſe ducem præbuiſſet, eaſdem illas adulationes pro Veſpaſiano fore. Ipſum Vitellium ne proſperis quidem parem; adeò ruentibus debilitatum. Gratiam patrati belli penes eum, qui Urbem occupaſſet. Id Sabino convenire, ut imperium fratri reſervaret; id Veſpaſiano, ut ceteri poſt Sabinum haberentur ».

LXV. Haud quaquam erecto animo eas voces accipiebat, invalidus ſenectâ. Erant, qui occultis ſuſpicionibus inceſſerent, tamquam « invidiâ & æmulatione fortunam fratris moraretur ». Namque Flavius Sabinus ætate prior, privatis utriuſque rebus, auctoritate pecuniâque Veſpaſianum anteibat. Et credebatur adfectam ejus fidem præjuviſſe [5], domo agriſque pignori acceptis. Unde, quamquam manente in ſpeciem concordiâ, offenſarum operta metuebantur. Melior interpretatio, « mitem virum abhorrere a ſanguine & cædibus; eóque crebris cum Vitellio ſermonibus de pace, ponendiſque per conditionem armis, agi-

[1] Electione litorum ] Quas Campaniæ plagas, quæ litora habitaret.

[2] Flavium Sabinum ] Fratrem Veſpaſiani.

[3] Proprium militem ] Præfecti Urbis proprius miles, Urbanæ cohortes. Inde in Digeſt. libr. I. Tit. 12. de Officio præfecti Urbi. leg. 1. ex Ulpiano num. 12. Præfectus Urbi *debet etiam diſpoſitos milites ſtationarios habere ad tuendam popularium quietem, & ad referendum ſibi, quid in Urbe agatur.*

[4] Vigilum cohortes ] De quibus dictum ſuprà Annal. IV, 5. not. 8.

[5] Præjuvisse ] Bene Illuſtr. Huctius: *Sabinus credebatur pro Veſpaſiano fidejuſſiſſe, cùm hic fidem decoxiſſet, & pignori domos & agros a Veſpaſiano accepiſſe.* Hæc illuſtrat Suetonius, jam laudatus ſuprà Hiſt. II, 97. not. 8.

A. U. C. 822. J. C. 69.

»tare». Sæpe domi congreſſi, poſtremò in æde Apollinis [1], ut fama fuit, pepigere [2]. Verba voceſque duos teſtes habebant, Cluvium Rufum [3] & Silium Italicum. Vultus procul viſentibus notabantur; Vitellii projectus & degener, Sabinus non inſultans, & miſeranti propior.

LXVI. Quod ſi tam facilè ſuorum mentes flexiſſet Vitellius, quàm ipſe ceſſerat, incruentam Urbem Veſpaſiani exercitus intraſſet. Ceterùm, ut quiſque Vitellio fidus, ita pacem & conditiones abnuebant, « diſcrimen ac dedecus » oſtentantes, « & fidem in libidine victoris. Nec tantam Veſpaſiano ſu»perbiam, ut privatum Vitellium pateretur [4]: ne victos quidem »laturos. Ita periculum ex miſericordiâ. Ipſum ſanè ſenem, & »proſperis adverſiſque ſatiatum. Sed quod nomen, quem ſta»tum filio ejus Germanico [5] fore? Nunc pecuniam, & fami»liam [6], & beatos Campaniæ ſinus promitti: ſed ubi imperium »Veſpaſianus invaſerit, non ipſi, non amicis ejus, non deni»que exercitibus ſecuritatem, niſi exſtincto æmulatu redituram. »Fabium illis Valentem, captivum & caſibus dubiis reſerva»tum, prægravem fuiſſe [7], nedum Primus ac Fuſcus, & ſpeci»men partium Mucianus, ullam in Vitellium [8], niſi occidendi, »licentiam habeant. Non a Cæſare Pompeium, non ab Auguſto »Antonium incolumes relictos: niſi fortè Veſpaſianus altiores »ſpiritus gerat, Vitellii cliens [9], cùm Vitellius [10] collega Clau-

[1] In æde Apollinis ] In monte Palatino, domoque Auguſtâ. Vide ſuprà Hiſt. I, 27.

[2] Pepigere ] Quanto pretio pepigerint docebit Suetonius, laudandus infrà cap. 67. not. 6.

[3] Cluvium Rufum ] Laudatur Hiſt. I, 8 & IV, 43. De Silio Italico dictum in Supplemento Annal. XVI, 63.

[4] Pateretur ] Verè Illuſtr. Huetius: *Veſpaſianus conſulet potiùs ſecuritati, Vitellio occiſo, quàm gloriæ, ſervato. Sin Veſpaſianus ſervare velit; victi tantum dedecus non patientur, & Vitellium occident, ut ſubducant infamiæ.*

[5] Germanico ] Jam memorato ſuprà Hiſt. II, 59.

[6] Et familiam ] Et ſervos.

[7] Prægravem fuiſſe ] Ideoque interfectum, ut vidimus cap. 62.

[8] Ullam in Vitellium ] Bene adhuc Illuſtr. Huetius: *Primo, Fuſco, & Muciano non dabitur ſervandi Vitellii poteſtas, ſed tantùm occidendi.*

[9] Vitellii cliens ] Vitellii, Claudio Principe, præpotentis. Sic & Narciſſi gratiâ uſus eſt Veſpaſianus, ut videre eſt apud Sueton. in Veſpaſ. IV.

[10] Cum Vitellius ] Hæc fortè redundant, *cùm Vitellius collega Claudio foret.* Certè Cornelianam brevitatem minimè ſapiunt. Id quoque Lipſio & Erneſto obſervatum. De Vitellii cenſura & conſulatibus dictum ſatis Annal. XI.

A. U. C. 822. J. C. 69.

»dio foret. Quin, ut cenſuram patris, ut tres conſulatus, ut »tot egregiæ domûs [1] honores deceret, deſperatione ſaltem in »audaciam accingeretur: perſtare militem, ſupereſſe ſtudia »populi. Denique nihil atrocius eventurum, quàm in quod »ſponte ruant: moriendum victis, moriendum deditis: id ſolum »referre, noviſſimum ſpiritum per ludibrium, & contumelias »effundant, an per virtutem».

LXVII. Surdæ ad fortia conſilia Vitellio aures. Obruebatur animus miſeratione curâque, ne pertinacibus armis, minùs placabilem victorem relinqueret conjugi ac liberis. Erat illi & feſſa ætate parens [2], quæ tamen paucis antè diebus opportunâ morte [3] excidium domûs prævênit, nihil principatu filii adſecuta, niſi luctum & bonam famam. Quintodecimo [4] Calendas Januarii auditâ defectione legionis cohortiumque, quæ ſe Narniæ dediderant [5], pullo amictu [6] palatio degreditur, mæſtâ cir-

[1] Egregiæ domus ] Incertum tamen veteriſne & nobilis, an novæ & ſordidæ, teſte Suetonio in Vitell. I.

[2] Parens ] Sextilia. Vide Stemma Vitelliorum in Notis & Emendationibus ad Hiſt. I, *9*.

[3] Opportuna morte ] De quâ Suetonius in Vitell. XIV, Vitellius *ſuſpectus & in mortem matris fuit, quaſi ægræ præberi cibum prohibuiſſet ; vaticinante Cattâ muliere, cui velut oraculo acquieſcebat, ita demum firmiter ac diutiſſimè imperaturum, ſi ſuperſtes parenti exſtitiſſet. Et alii tradunt : ipſam tædio præſentium & imminentium metu, venenum a filio impetraſſe, haud ſanè difficulter.*

[4] Quintodecimo ] Die 18 Decembris.

[5] Dediderant ] Suprà cap. 63.

[6] Pullo amictu ] Atro & lugubri amictu. Sic Juvenalis, Satyr. III, 213.

*Horrida mater,*
*Pullati proceres.*

Vetus Scholiaſtes, *pullati ; id eſt, cum nigris veſtibus lugentes.* Rem autem paullo fuſiùs narrat Suetonius in Vitell. XV. Vitellius *ubique aut ſuperatus, aut proditus, ſalutem ſibi, & millies ſeſtertiûm,* Gallicæ monetæ libras 19,455,025, *a Flavio Sabino Veſpaſiani fratre pepigit : ſtatimque pro gradibus palatii apud frequentes milites cedere ſe imperio, quod invitus recepiſſet, profeſſus, cunctis reclamantibus rem diſtulit : ac nocte interpoſitâ, primo diluculo ſordidatus deſcendit ad Roſtra : multiſque cum lacrimis eadem illa verba, verùm e libello, teſtatus eſt. Rurſus interpellante milite, ac populo, & ne deficeret hortante, omnemque operam ſuam pollicente, animum reſumpſit. Sabinumque & reliquos Flavianos nihil jam metuentes, vi ſubitâ in Capitolium compulit, ſuccenſoque templo Jovis optimi maximi oppreſſit. Cùm & prælium, & incendium e Tiberianâ,* quæ erat in monte Palatino, *proſpiceret domo inter epulas, non multò pòſt pænitens facti, & in alios culpam conferens, vocatâ concione, juravit, coegitque jurare & ceteros, nihil ſibi antiquius quiete publicâ fore. Tunc ſolutum a latere pugionem, conſuli primùm, deinde illo recuſante, magiſtratibus, ac mox ſenatoribus ſingulis porrigens : nullo recipiente, quaſi in æde Concordiæ poſiturus abſceſſit. Sed quibuſdam acclamantibus, ipſum eſſe Concordiam, rediit : nec ſolùm retinere ſe ferrum adfirmavit, verùm etiam Concordiæ recipere cognomen.* Quæ, longiora licèt, deſcripſiſſe legiſſeque haud pigebit, ut Taciti narratio illuſtretur ; & quibus in rebus conſentiant diſſentiantve ambo ſcriptores innoteſcat.

cùm familiâ. Simul ferebatur lecticulâ parvulus filius, velut in funebrem pompam [1]. Voces populi blandæ & intempeſtivæ: miles minaci ſilentio.

A. U. C. 822. J. C. 69.

LXVIII. Nec quiſquam adeò rerum humanarum immemor, quem non commoveret illa facies, Romanum Principem, & generis humani paullo antè dominum, relictâ fortunæ ſuæ ſede, per populum, per Urbem, exire de imperio. Nihil tale viderant, nihil audierant: repentina vis dictatorem Cæſarem oppreſſerat; occultæ Caium inſidiæ [2]: nox & ignotum rus [3], fugam Neronis abſconderant: Piſo & Galba tamquam in acie cecidere [4]: in ſuâ concione Vitellius, inter ſuos milites, proſpectantibus etiam feminis, pauca & præſenti mæſtitiæ congruentia locutus [5]: « Cedere ſe pacis & reipublicæ causâ: retinerent » tantùm memoriam ſuî, fratremque, & conjugem, & innoxiam » liberorum ætatem miſerarentur ». Simul filium protendens, modò ſingulis, modo univerſis commendans, poſtremò fletu præpediente, adſiſtenti conſuli [6] (Cæcilius Simplex erat) exſolutum a latere pugionem, velut jus necis vitæque civium, reddebat. Aſpernante conſule, reclamantibus, qui in concione adſtiterant, ut in æde Concordiæ [7] poſiturus inſignia imperii, domumque fratris [8] petiturus, diſceſſit. Major hìc clamor obſiſtentium penatibus privatis, « in palatium » vocantium: interclusum aliud iter, idque ſolum, quod in ſacram viam [9] pergeret, patebat: tum conſilii inops, in palatium rediit.

[1] Velut in funebrem pompam ] Lecticâ efferebantur mortui. Vide Kirchmannum, de funeribus Roman. II, 9.

[2] Insidiæ ] Vide Supplementum Annal. VIII, 68.

[3] Ignotum rus ] Rus Phaontis, liberti. Vide Supplementum An. XVI, 84 & 86.

[4] Cecidere ] Suprà Hiſt. I, 40 & ſeqq.

[5] Locutus ] E roſtris, in foro Romano, ut patet ex capite 70.

[6] Consuli ] Conſuli ſuffecto. De hujus anni conſulibus vide Notas & Emendationes ad Hiſt. I, 77.

[7] In æde Concordiæ ] Hoc templum in clivo Capitolino, prope arcum Septimii Severi: abſumptum incendiis Capitolinis, reſtitutum eſt, ut teſtantur ſuperſtites reliquiæ & inſcriptio:

SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS
INCENDIO CONSVMPTVM RESTITVIT

Ejus rudera vide apud Cl. Piraneſi, *Antichita Romane*, Tom. I. pag. 33 & Tab. XXXII.

[8] Domumque fratris ] Foro imminentem, vicinamque ædi Concordiæ, ut mox videbimus cap. 70.

[9] Sacram viam ] Quæ ab æde Concordiæ & Capitolio ad palatium ducebat.

A. U. C. 822. J. C. 69.

LXIX. Prævenerat rumor, « ejurari ab eo imperium »: ſcripſeratque Flavius Sabinus cohortium tribunis, « ut militem » cohiberent ». Igitur tamquam omnis reſpublica in Veſpaſiani ſinum ceſſiſſet, primores ſenatûs, & plerique equeſtris ordinis, omniſque miles Urbanus, & vigiles, domum Flavii Sabini complevere: illuc de ſtudiis vulgi, & minis Germanicarum cohortium adfertur. Longiùs jam progreſſus erat, quàm ut regredi poſſet: & ſuo quiſque metu, ne disjectos, eóque minùs validos, Vitelliani conſectarentur, cunctantem in arma impellebant. Sed quod in ejuſmodi rebus accidit, conſilium ab omnibus datum eſt, periculum pauci ſumpſere. Circa lacum Fundani [1], deſcendentibus, qui Sabinum comitabantur, armatis, occurrunt promptiſſimi. Modicum ibi prœlium, improviſo tumultu, ſed proſperum Vitellianis fuit. Sabinus, re trepidâ, quod tutiſſimum e præſentibus, arcem Capitolii [2] inſedit milite, & quibuſdam ſenatorum equitumque; quorum nomina tradere haud promptum eſt, quoniam victore Veſpaſiano, multi id meritum erga partes ſimulavere. Subierunt obſidium etiam feminæ inter quas maximè inſignis, Verulana Gracilia, neque liberos, neque propinquos, ſed bellum ſecuta. Vitellianus miles, cuſtodiâ ſocordi clauſos circumdedit, eóque, concubiâ nocte, ſuos liberos [3] Sabinus, & Domitianum fratris filium, in Capitolium accivit, miſſo per neglecta ad Flavianos duces nuntio, qui « circumſideri ipſos, &, ni ſubveniretur, arctas res » nuntiaret. Noctem adeò quietam egit, ut degredi ſine noxâ potuerit: quippe miles Vitellii adversùs pericula ferox, laboribus & vigiliis parum intentus erat: & hibernus imber repentè fuſus, oculos aureſque impediebat.

LXX. Luce primâ, Sabinus, antequam invicem hoſtilia

[1] Circa lacum Fundani ] Lacum quidem Fundanum, nunc *Lago di Fundi, dans la terre de Labour*, memorat Plinius, III, 5. ſect. 9. At lacus Fundani, de quo nunc agitur, eſt omnino diverſus: is enim fuit in ipsâ Urbe, &, ut videtur, in monte Quirinali, hodie *le Quirinal*, vel *Monte Cavallo*, aut huic monti certè vicinus. Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. III, 69.

[2] Arcem Capitolii ] Quæ & arx Romana dicitur. Annal. XI, 23.

[3] Suos liberos ] Vide Stemma Veſpaſianorum in Notis & Emendationibus ad Hiſt. I, 46.

cœptarent,

cœptarent, Cornelium Martialem, e primipilaribus [1], ad Vitellium miſit, « cum mandatis & queſtu, quod pacta turbarentur. A. U. C. 822. J. C. 69.
» Simulationem prorſus & imaginem deponendi imperii fuiſſe, » ad decipiendos tot inluſtres viros. Cur enim e roſtris fratris domum, imminentem foro, & inritandis hominum oculis, » quàm Aventinum [2] & penates uxoris [3] petiſſet? Ita privato, » & omnem principatûs ſpeciem vitanti, conveniſſe: contrà, » Vitellium in palatium, in ipſam imperii arcem regreſſum. Inde armatum agmen emiſſum; ſtratam innocentium cædibus » celeberrimam Urbis partem: ne Capitolio quidem abſtineri. » Togatum nempe ſe, & unum e ſenatoribus, dum inter Veſpaſianum ac Vitellium prœliis legionum, captivitatibus urbium, deditionibus cohortium judicatur. Jam, Hiſpaniis, » Germaniiſque, & Britanniâ, deſciſcentibus, fratrem Veſpaſiani manſiſſe in fide, donec ultro ad conditiones vocaretur. » Pacem & concordiam victis utilia; victoribus tantùm pulchra » eſſe. Si conventionis pæniteat, non ſe, quem perfidiâ deceperit, ferro peteret; non filium Veſpaſiani, vix puberem [4]. » Quantum, occiſis uno ſene, & uno juvene, profici? iret obviàm legionibus, de ſummâ rerum illic certaret: cetera ſecundùm eventum prœlii ceſſura ». Trepidus ad hæc Vitellius, pauca purgandi ſui causâ reſpondit, culpam « in militem » conferens, « cujus nimio ardori imparem eſſe modeſtiam ſuam ». Et monuit Martialem, « ut per ſecretam ædium partem occultè » abiret, ne a militibus internuntius inviſæ pacis interficeretur ». Ipſe neque jubendi, neque vetandi potens, non jam Imperator, ſed tantùm belli cauſa erat.

LXXI. Vix dum regreſſo in Capitolium Martiale, furens miles aderat, nullo duce; ſibi quiſque auctor: cito agmine,

[1] E PRIMIPILARIBUS ] E primis centurionibus. Vide dicta ſuprà Annal. II, 11.

[2] QUAM AVENTINUM ] Potiùs, quam montem Aventinum, qui hodieque dicitur *Monte Aventino*, vel *Monte di Santa Sabina*.

[3] UXORIS ] Galeriæ. Vide Stemma Vitelliorum in Notis & Emendationibus ad Hiſt. I, 9.

[4] VIX PUBEREM ] Domitianum, natum anno Urbis conditæ DCCCIV, die IX Kalendas Novembres, ſeu 24 Octobris, Veſpaſiano *patre conſule deſignato, inituroque menſe inſequenti honorem.* Sueton. in Domit. I.

A. U. C. 822. J. C. 69.

forum & imminentia foro templa [1] prætervecti, erigunt aciem [2] per adverſum collem, uſque ad primas Capitolinæ arcis fores. Erant antiquitus porticus [3] in latere clivi, dextræ ſubeuntibus: in quarum tectum egreſſi, ſaxis teguliſque Vitellianos obruebant. Neque illis manus, niſi gladiis armatæ; & arceſſere tormenta, aut miſſilia tela, longum videbatur. Faces in prominentem porticum [4] jecere; & ſequebantur ignem: ambuſtaſque Capitolii fores [5] penetraſſent, ni Sabinus revulſas undique ſtatuas, decora majorum, in ipſo aditu, vice muri, objeciſſet. Tum diverſos Capitolii aditus invadunt, juxta lucum aſyli [6], & quà Tarpeia rupes [7] centum gradibus aditur. Improviſa utraque vis; propior atque acrior per aſylum [8] ingruebat: nec ſiſti poterant, ſcandentes per conjuncta ædificia: quæ, ut in multâ pace, in altum edita, ſolum Capitolii æquabant. Hìc ambigitur, « ignem tectis oppugnatores injecerint, an obſeſſi », quæ crebrior [9] fama eſt, « quò nitentes ac progreſſos depellerent ». Inde lapſus ignis in porticus, appoſitas ædibus [10]: mox ſuſti-

[1] Foro templa ] Templa Fortunæ primigeniæ, Jovis Tonantis, Saturni, Concordiæ, foro Romano imminebant. Vide Cl. Piraneſi, *Antichita Romane*, Tom. I. versùs finem. *Tavola del Monte Capitolino.*

[2] Erigunt aciem ] Flaviani, forum prætervecti, per adverſum collem Capitolinum aciem ſuam erigunt uſque ad primas Capitolinæ arcis fores, ut Vitellianos ab acceſſu prohibeant. Inde Cl. Piraneſi, loc. cit. optimè probat montem Capitolinum muris turribuſque non fuiſſe vallatum, qualem eum exhibet Juſtus Rycquius, *de Capitolio Romano.*

[3] Porticus ] Perperam Lipſius exiſtimavit eas porticus fuiſſe templi Jovis Capitolini. Sunt prorſus diverſæ. Illæ erant in latere clivi: hæ ipſi templo appoſitæ.

[4] Prominentem porticum ] Unde Flaviani Vitellianos obruebant. Porticus illas exhibet Cl. Piraneſi, loc. cit.

[5] Capitolii fores ] Fores Capitolinæ arcis, in quâ erat templum Jovis Capitolini, prope rupem Tarpeiam.

[6] Lucum Asyli ] Quem olim poſuerat Romulus. Lucus ille fuit inter duas rupes montis Capitolini; in quarum una erat templum Jovis Capitolini: in alterâ, templa Jovis Feretrii & Martis Capitolini, in quorum ruderibus nunc ſtat eccleſia Sanctæ Mariæ *Ara-Cæli.* In locum luci & Aſyli nunc adſurgit *Piazza dei Campidoglio.*

[7] Tarpeia rupes ] In Occidentali montis Capitolini parte, quâ ad Tiberim vergit, erat Tarpeia rupes, unde rei dejiciebantur. De eâ dictum ſuprà Annal. VI, 19.

[8] Per asylum ] Quà erat aſcenſus ad templum Jovis Capitolini.

[9] Quæ crebrior ] Capitolium tamen a Vitellianis incenſum tradunt Plinius XXXIV, 7. Joſeph. Bell. Jud. IV, 11. Dio LXV. pag. 742. At Plinius & Joſephus ſcripſere, imperante Veſpaſiano. Tacitus verò, ſub Principe Trajano, cùm veritati, non adulationi, locus eſſet.

[10] Appositas ædibus ] Appoſitas templo Jovis Capitolini, cujus frons triplici, latera duplici columnarum ordine

nentes faſtigium aquilæ [1], vetere ligno, traxerunt flammam, A. U. C.
alueruntque. Sic Capitolium, clauſis foribus, indefenſum & 822.
indireptum [2], conflagravit. J. C.

LXXII. Id facinus poſt conditam Urbem luctuoſiſſimum 69.
fœdiſſimumque populo Romano accidit: nullo externo hoſte, propitiis, ſi per mores noſtros liceret, deis, ſedem Jovis optimi, maximi, auſpicatò a majoribus, pignus imperii [3], conditam, quam non Porſena deditâ Urbe [4], neque Galli captâ [5], temerare potuiſſent, furore Principum exſcindi! Arſerat & antè Capitolium civili bello [6], ſed fraude privatâ: nunc palam obſeſſum, palam incenſum: quibus armorum cauſis? quo tantæ cladis pretio ſtetit? pro patriâ bellavimus? Voverat Tarqui-

erant inſtructa, teſte Dionyſio Halicarn. libr. IV, cap. 61. Fortè *ædibus* dixit Tacitus, quòd ſub eodem tecto & pinnaculo, communibuſque lateribus tres continerentur ædes, Jovis nempe, Junonis & Minervæ, teſte eodem Dionyſio Halicarnaſſ. loc. cit.

[1] Aquilæ ] Ἀετοὺς quoque aquilas illas dixere Græci. Faſtigium, *le fronton*, faſtigiique decora ſtatuas ſignaque ſuſtinebant aquilæ. Cur ligneæ fuerint docet Vitruvius III, 2. *In aræoſtylis autem, nec lapideis, nec marmoreis epiſtyliis uti datur, ſed imponendæ de materiâ trabes perpetuæ; & ipſarum ædium ſpecies ſunt laryeæ, barycephalæ, humiles, latæ; ornanturque ſignis fictilibus, aut æreis inauratis earum faſtigia, Tuſcanico more, uti eſt ad Circum maximum, Cereris, & Herculis Pompeiani, item Capitolii.* Porticus templi Jovis Capitolini, ejuſque faſtigium ſignis ornatum exſtat in Petiliæ familiæ aliiſque nummis.

[2] Indireptum ] Hæc omnia turbat Joſephus, falſóque narrat, Vitellianos milites, occiſo Sabino, donaria omnia diripuiſſe, templumque ſuccendiſſe. Σαβῖνος ἀναχθεὶς ἐπὶ Οὐιτέλλιον ἀναιρεῖται, διαρπάσαντές τε οἱ στρατιῶται τὰ ἀναθήματα, τὸν ναὸν ἐμπιπρῶσι. Joſeph. Bell. Jud. IV, 11. num. 4.

[3] Pignus imperii ] Rem illuſtrat Florus I, 7. Tarquinius Superbus *de manubiis captarum urbium templum erexit, quod cum inaugurareutur, cedentibus ceteris deis (mira res dictu) reſtitere Juventas & Terminus. Placuit vatibus contumacia numinum: ſiquidem firma omnia & æterna pollicebantur. Sed illud horrendum, quòd molientibus ædem, in fundamentis humanum repertum eſt caput. Nec dubitavere cuncti, monſtrum pulcherrimum, imperii ſedem, caputque terrarum promittere.*

[4] Dedita Urbe ] Oratoriè magis, quàm hiſtoricè dictum. Porſena, Etruſcorum rex, Janiculum quidem occupavit, ipſis Urbis faucibus incubuit, obſides accepit: at non dedita Urbs, ut patet ex Floro I, 10. aliiſque Latinis Græciſque Romanæ hiſtoriæ ſcriptoribus. Ipſeque Tacitus Annal. XI, 24, ait: *Tuſcis obſides dedimus.* Viribus tamen ſuis ſuperbus Porſena leges Romanis conſtituit, unde Plinius XXXIV, 14. *In fœdere, quod, expulſis regibus, populo Romano dedit Porſena, nominatim comprehenſum invenimus, ne ferro niſi in agri cultu uterentur.*

[5] Capta ] De Urbe a Gallis captâ dictum ſuprà Annal. XI, 23 & 24.

[6] Civili bello ] Civili bello Syllano, quo anno Urbis conditæ DCLXXI, Scipione & Norbano conſulibus, inter cetera civilis belli portenta, Capitolium, privatorum hominum fraude, incertâ cauſâ, conflagravit. Τό τε Καπιτώλιον ὑπὸ τῶν βασιλέων τετρακοσίοις που πρόσθεν ἔτεσι γεγενημένον ἐνεπρήσθη, καὶ τὸν αἴτιον οὐδεὶς ἐπενόει. Appian. Bell. Civil. libr. I. pag. 400.

A. U. C. 822. J. C. 69.

nius Priſcus rex, bello Sabino [1]; jeceratque fundamenta [2], ſpe magis futuræ magnitudinis, quàm quò modicæ adhuc populi Romani res ſufficerent. Mox Servius Tullius, ſociorum ſtudio; deinde Tarquinius Superbus, captâ Sueſsâ Pometiâ [3], hoſtium ſpoliis exſtruxere [4]. Sed gloria operis, libertati reſervata: pulſis regibus, Horatius Pulvillus [5], iterum conſul, dedicavit, eâ magnificentiâ [6], quam immenſæ poſtea populi Romani opes ornarent potiùs, quàm augerent. Iiſdem rurſus veſtigiis ſitum eſt, poſtquam interjecto CCCCXXV. annorum ſpatio, L. Scipione, C. Norbano conſulibus [7], flagraverat. Curam victor Sulla ſuſcepit, neque tamen dedicavit: hoc ſolum felicitati ejus negatum [8]. Lutatii Catuli [9] nomen, inter tanta Cæſarum opera [10],

[1] BELLO SABINO ] Bello, quod contra Sabinos geſſit. Sabini, nunc *la Sabine, partie de l'Ombrie & de l'Abruzze Ultérieure.*

[2] JECERATQUE FUNDAMENTA ] Inde inchoatum a Tarquinio Priſco Capitolium dixit Antias apud Plinium, III, 5. Sect. 9. *Auctor eſt Antias, oppidum Latinorum Apiolas captum a L. Tarquinio rege, ex cujus prædâ Capitolium inchoaverit.* Apiolæ fuere in agro Pometino. Manent adhuc nominis veſtigia in valle, quæ dicitur *Valle Apiole*, aut *Vallejapole*.

[3] SUESSA POMETIA ] Sueſſa Pometia, in agro Pometino periit. Cl. Corradinus, *Vetus Latium*, Tom. II. pag. 64. & ſeq. opinatur eam fuiſſe in loco, qui nunc dicitur *Meſa*; diſtantem a Româ per Appiam viam quadraginta novem circiter mille paſſibus.

[4] EXSTRUXERE ] Fabris ex Etruriâ accitis, ut obſervat Cl. Piraneſi, *Magnificenza ed Architettura de Romani.* pag. XXVIII.

[5] HORATIUS PULVILLUS ] P. Valerius Poblicola III, M Horatius Pulvillus II, conſules fuere anno Urbis conditæ CCXLVII, poſt exactos reges tertio.

[6] EA MAGNIFICENTIA ] Quæ ut intelligatur, de Capitolio ejuſque magnificentiâ dicetur in Notis & Emendationibus ad Hiſt. III, 72.

[7] C. NORBANO CONSULIBUS ] L. Cornelius Scipio Aſiaticus & C. Junius Norbanus conſulatum iniere anno Urbis conditæ DCLXXI, ante Chriſtum 83, quo anno conflagravit Capitolium. Unde patet librarios, qui deſcripſere, *interjecto CCCCXV. annorum ſpatio*, erraſſe; & pro XV omnino emendandum XXV: nam inter Horatium Pulvillum & C. Norbanum conſules interjecti ſunt anni CCCCXXV. Quod Lipſio aliiſque eruditis viris dudum obſervatum.

[8] FELICITATI EJUS NEGATUM ] Ut ipſe fatebatur teſte Plinio VII, 43. *Unus hominum ad hoc ævi, felicis ſibi cognomen aſſeruit L. Sylla . . . . hoc tamen felicitati ſuæ defuiſſe confeſſus eſt, quod Capitolium non dedicaviſſet.*

[9] LUTATII CATULI ] Q. Lutatius Catulus conſul fuit cum M. Æmilio Lepido, anno U. C. DCLXXVI. A. C. 78.

[10] CÆSARUM OPERA ] Qui ornamenta Capitolio addidere. Sic Auguſtus gloriatur in marmore Ancyrano apud eruditum Chiſhull, *Antiquitates Aſiaticæ*, pag. 174. CAPITOLIVM. ET. POMPEIVM. THEATRVM. VTRVMQVE. OPVS. IMPENSA. GRANDI. REFECI. SINE VLLA. INSCRIPTIONE. NOMINIS. MEI. Nomen ſuum inſcripſiſſe videtur Julius Cæſar. Indeque Martialis V, 10.

*Sic veterem ingrati Pompeii quærimus umbram,*
*Et laudant Catuli Julia templa ſenes.*

At minimè crediderim eum id feciſſe, eraſo Catuli nomine; ſicque a ſenatu fuiſſe decretum. Quod prodidit Dio, XXXVII. pag. 39. & XLIII. pag. 220.

uſque ad Vitellium manſit. Ea tunc ædes cremabatur.

A. U. C. 822. J. C. 69.

LXXIII. Sed plus pavoris obſeſſis, quàm obſeſſoribus intulit. Quippe Vitellianus miles, neque aſtu, neque conſtantiâ, inter dubia indigebat. Ex diverſo trepidi milites, dux ſegnis, & veluti captus animi, non linguâ, non auribus competere [1]: neque alienis conſiliis regi, neque ſua expedire: huc illuc clamoribus hoſtium circumagi: quæ juſſerat vetare, quæ vetuerat jubere. Mox, quod in perditis rebus accidit, omnes præcipere, nemo exſequi: poſtremò, abjectis armis, fugam & fallendi artes circumſpectabant. Inrumpunt Vitelliani, & cuncta ſanguine, ferro, flammiſque miſcent. Pauci militarium virorum, inter quos maximè inſignes, Cornelius Martialis, Æmilius Pacenſis, Caſperius Niger, Didius Scæva, pugnam auſi, obtruncantur. Flavium Sabinum, inermem, neque fugam cœptantem, circumſiſtunt, & Quinctium Atticum, conſulem [2], umbrâ honoris & ſuámet vanitate monſtratum, quòd edicta in populum pro Veſpaſiano magnifica, probroſa adversùs Vitellium jecerat. Ceteri per varios caſus elapſi; quidam ſervili habitu, alii fide clientium contecti, & inter ſarcinas abditi. Fuere, qui, excepto Vitellianorum ſigno [3], quo inter ſe noſcebantur, ultro rogitantes reſpondenteſve, audaciam pro latebrâ haberent.

LXXIV. Domitianus, primâ inruptione apud ædituum [4] occultatus, ſollertiâ liberti, lineo amictu turbæ ſacricolarum [5] immixtus ignoratuſque, apud Cornelium Primum, paternum clientem, juxta Velabrum [6], delituit. Ac potiente rerum patre,

[1] Competere] Ita Salluſtius, Fragm. I, 18. *Quaſi formidine attonitus, neque animo, neque auribus, aut linguâ competere.*

[2] Consulem] Conſulem ſuffectum. Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. I, 77. Non ad hunc Atticum, ut opinabatur Ryckius, ſed fortè ad ejus filium pertinent epigrammata Martialis, VII, 31. & IX, 101.

[3] Vitellianorum signo] Signum, Gallicè *le mot du guet*; ut ſæpe monuimus.

[4] Apud æditum] Ædituum templi Jovis Capitolini.

[5] Sacricolarum] Iſiacorum, ut docet Suetonius in Domit. I. Domitianus *bello Vitelliano confugit in Capitolium, cum patruo Sabino, ac parte præſentium copiarum: ſed irrumpentibus adverſariis, & ardente templo, apud ædituum clam pernoctavit: ac manè Iſiaci celatus habitu, interque ſacrificulos vanæ ſuperſtitionis, cùm ſe trans Tiberim ad condiſcipuli ſui matrem comite uno contuliſſet, ita latuit, ut ſcrutantibus qui veſtigia ſubſecuti erant, deprehendi non potuerit.*

[6] Juxta Velabrum] De Velabro dictum eſt ſupra Hiſt. I, 27. not. 2.

A. U. C. 822. J. C. 69. disjecto æditui contubernio, modicum ſacellum IOVI CONSERVATORI [1], aramque poſuit, caſus ſuos in marmore expreſſam [2]. Mox imperium adeptus, IOVI CVSTODI [3] templum ingens, ſeque in ſinu dei ſacravit. Sabinus & Atticus, onerati catenis, & ad Vitellium ducti, nequaquam infeſto ſermone vultuque excipiuntur, frementibus, qui jus cædis, & præmia navatæ operæ, petebant. Clamore a proximis orto, ſordida pars plebis ſupplicium Sabini expoſcit, minas adulationeſque miſcet. Stantem pro gradibus palatii Vitellium, & preces parantem, pervicere ut abſiſteret. Tum confoſſum conlaceratumque, & abſciſo capite truncum corpus Sabini in Gemonias [4] trahunt.

LXXV. Hic exitus viri haud ſanè ſpernendi. Quinque & triginta ſtipendia in republicâ fecerat, domi militiæque clarus. Innocentiam juſtitiamque ejus non argueres: ſermonis nimius erat: id unum [5] ſeptem annis, quibus Mœſiam; duodecim, quibus præfecturam Urbis obtinuit, calumniatus eſt rumor: in fine vitæ, alii ſegnem, multi moderatum, & civium ſanguinis parcum credidere. Quod inter omnes conſtiterit, ante principatum Veſpaſiani, decus domûs penes Sabinum erat. Cædem ejus lætam fuiſſe Muciano accepimus. Ferebant plerique « etiam » paci conſultum, diremptâ æmulatione inter duos, quorum » alter ſe fratrem Imperatoris, alter conſortem imperii cogita-

[1] Sacellum iovi conservatori ] Inde in averſâ plurimorum Domitiani nummorum parte Jupiter ſtat, dextrâ fulmen, ſiniſtrâ haſtam tenens, cum epigraphe IOVI. CONSERVATORI. S C. id eſt *Senatûs conſulto.* Sacellum araque fuere in Capitolio inter Capitolini & Cuſtodis Jovis templa. Duas aras, ſymmetriæ ſanè causâ, in Ichnographiâ montis Capitolini poſuit Cl. Piraneſi, *Antichita Romane.* Tom. I. versùs finem.

[2] Expressam ] Sic Valerius Flaccus I, 398.

*Caſuſque tuos expreſſa, Phalere,*
*Arma geris.*

Uterque Græcos imitatus. Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. III, 74.

[3] Iovi custodi ] Non ita frequentes, occurrunt tamen, Domitiani nummi, in quibus epigraphe IOVI. CVSTODI. SC. Jupiter ſedens dextrâ Victoriolam, ſiniſtrâ haſtam tenet. Templum illud ingens fuit in Capitolio, ultra templum Jovis Capitolini, & gradibus Tarpeiæ rupis proximum.

[4] In Gemonias ] Quas alii in XIII Urbis regione, eâque parte Aventini montis, quæ vergit ad Tiberim, alii in ipſo clivo Capitolino prope carcerem Mamertinum. Vide Donatum de Urbe Româ III, 13. & Cl. Piraneſi, *Antichita Romane*, Tom. I. verſ. fin. in Ichnographiâ Capitolii.

[5] Id unum ] Vir ille, vitæ integer, progeniem habuit Chriſtianâ virtute & ſanctitate conſpicuam; ut diximus in Notis & Emendationibus ad Hiſt. I, 46.

A. U. C. 822. J. C. 69.

» ret ». Sed Vitellius conſulis [1] ſupplicium poſcenti populo reſtitit, placatus, ac velut vicem reddens, quod interrogantibus « quis Capitolium incendiſſet », ſe reum Atticus obtulerat. Eâque confeſſione, ſive aptum tempori mendacium fuit, invidiam crimenque agnoviſſe, & a partibus Vitellii [2] amolitus videbatur.

LXXVI. Iisdem diebus L. Vitellius, poſitis apud Feroniam [3] caſtris, excidio Tarracinæ imminebat; clauſis illic gladiatoribus remigibuſque, qui non egredi mœnia, neque periculum in aperto audebant. Præerat, ut ſuprà memoravimus [4], Julianus gladiatoribus, Apollinaris remigibus, laſciviâ ſocordiâque gladiatorum magis, quàm ducum ſimiles. Non vigilias agere, non intuta mœnium firmare, noctu dieque fluxi, & amœna litorum perſonantes [5], in miniſterium luxûs [6] diſperſis militibus, de bello tantùm inter convivia loquebantur. Paucos ante dies diſceſſerat Apinius Tiro; doniſque ac pecuniis acerbè per municipia conquirendis, plus invidiæ quàm virium partibus addebat.

LXXVII. Interim ad L. Vitellium ſervus Verginii Capitonis perfugit, pollicituſque, « ſi præſidium acciperet, va» cuam arcem furtim traditurum », multâ nocte cohortes expeditas, ſummis montium jugis, ſuper caput hoſtium ſiſtit: inde miles ad cædem magis, quàm ad pugnam decurrit: ſternunt inermes, aut arma capientes, & quoſdam ſomno excitos, cùm tenebris, pavore, ſonitu tubarum, clamore hoſtili turbarentur. Pauci gladiatorum reſiſtentes, neque inulti cecidere: ceteri ad naves ruebant, ubi cuncta pari formidine implicabantur,

[1] Consulis ] Quinctii Attici.

[2] A partibus Vitellii ] Tum enim in Flavianos, non in Vitellianos recidebat invidia.

[3] Apud Feroniam ] Feronia, oppidum Latii, luco & cultu deæ Feroniæ percelebre, periit. Haud procul diſtabat loco, qui nunc dicitur *Torre delle Mole*, prope Terracinam. De admirandâ Feroniæ religione vide Strabonem V. pag. 157. & Dionyſium Halicarnaſſ. II, pag. 49. Feroniam, deam eſſe libertatis teſtatur Varro, a Servio laudatus ad Æneid. VIII, 564. Alii quinque fuere in Italiâ Feroniæ luci, quos videre eſt apud Cl. Guaſcum, in Virgilianâ editione P. Ambrogi, Tom. II. pag. 34.

[4] Memoravimus ] Suprà cap. 57.

[5] Personantes ] Cantibus & id genus ludicris perſonantes.

[6] Ministerium luxus ] Et gulæ.

A. U. C. 822. J. C. 69.

permixtis paganis [1], quos nullo diſcrimine Vitelliani trucidabant. Sex liburnicæ[2] inter primum tumultum evaſere, in quîs præfectus claſſis Apollinaris: reliquæ in litore captæ, aut nimio ruentium onere preſſas mare hauſit. Julianus ad L. Vitellium perductus, & verberibus fœdatus, in ore ejus [3] jugulatur. Fuere, qui uxorem L. Vitellii Triariam [4] inceſſerent, tamquam « gladio militari cincta, inter luctum cladeſque expugnatæ Tar» racinæ, ſuperbè ſævéque egiſſet ». Ipſe lauream [5] geſtæ proſperè rei ad fratrem miſit: percunctatus, « ſtatim regredi ſe, an » perdomandæ Campaniæ inſiſtere juberet ». Quod ſalutare non modò partibus Veſpaſiani, ſed reipublicæ fuit: nam ſi recens victoriâ miles, &, ſuper inſitam pervicaciam, ſecundis ferox, Romam contendiſſet, haud parvâ mole certatum, nec ſine exitio Urbis foret: quippe L. Vitellio, quamvis infami, inerat induſtria: nec virtutibus, ut boni, ſed quomodo peſſimus quiſque, vitiis valebat.

LXXVIII. Dum hæc in partibus Vitellii geruntur, digreſſus Narniâ Veſpaſiani exercitus, feſtos Saturni dies [6], Ocriculi [7], per otium, agitabat. Cauſa tam pravæ moræ, ut Mucianum opperirentur. Nec defuere, qui Antonium ſuſpicionibus arguerent, tamquam « dolo cunctantem, poſt ſecretas Vitellii » epiſtolas, quibus conſulatum, & nubilem filiam, & dotales » opes, pretium proditionis, offerebat ». Alii, « ficta hæc, & » in gratiam Muciani compoſita ». Quidam, « omnium id du» cum conſilium fuiſſe, oſtentare potiùs Urbi bellum, quàm in» ferre: quando validiſſimæ cohortes a Vitellio deſciviſſent, & » abſciſis omnibus præſidiis, ceſſurus imperio videbatur. Sed » cuncta feſtinatione, deinde ignaviâ Sabini corrupta: qui, » ſumptis temere armis, munitiſſimam Capitolii arcem, & ne

[1] Paganis ] Pagani dicebantur, qui non erant milites. Vide ſuprà Hiſt. I, 53.

[2] Liburnicæ ] De liburnicis dictum Annal. XVI, 14.

[3] In ore ejus ] Sic vulgò Hebræi לפני. Pariter Seneca, de Benefic. VII, 19. *In ore parentum filios jugulat.*

[4] Triariam ] Triaria, ultra feminam ferox; ut dictum eſt ſupra Hiſt. II, 63.

[5] Lauream ] Laureatas literas, rei proſpere geſtæ nuntias: de hoc uſu vide Supplementum Annal. VIII, 26.

[6] Saturni dies ] Saturnalia XVI Kal. Januarii, ſeu 17 Decembris, diebuſque ſequentibus celebrabantur.

[7] Ocriculi ] Nunc *Otricoli, dans le Duché de Spolete.*

» magnis

A. U. C. 822. J. C. 69.

» magnis quidem exercitibus expugnabilem, adversùs tris cohortes tueri nequiviſſet ». Haud facilè quis uni adſignaverit culpam, quæ omnium fuit: nam & Mucianus ambiguis epiſtolis victores morabatur; & Antonius præpoſtero obſequio, vel dum regerit invidiam, crimen meruit; ceterique duces, dum peractum bellum putant, finem ejus inſignivere. Ne Petilius quidem Cerialis, cum mille equitibus præmiſſus, ut tranſverſis itineribus per agrum Sabinum [1], Salariâ viâ [2], Urbem introiret, ſatis maturaverat: donec obſeſſi Capitolii fama cunctos ſimul exciret.

LXXIX. Antonius per Flaminiam [3] ad Saxa rubra [4], multo jam noctis, ſerum auxilium venit. Illic « interfectum » Sabinum, conflagraſſe Capitolium, tremere Urbem », mæſta omnia accepit: « plebem quoque & ſervitia pro Vitellio armari », nuntiabatur. Et Petilio Ceriali equeſtre prœlium adverſum fuerat: namque incautum, & tamquam ad victos ruentem, Vitelliani, interjectus equiti pedes, excepere. Pugnatum haud procul Urbe, inter ædificia hortoſque, & anfractus viarum; quæ gnara Vitellianis, incomperta hoſtibus, metum fecerant: neque omnis eques concors, adjunctis quibuſdam, qui nuper apud Narniam [5] dediti, fortunam partium ſpeculabantur: capitur præfectus alæ Tullius Flavianus: ceteri fœdâ fugâ conſternantur, non ultra Fidenas [6] ſecutis victoribus.

LXXX. Eo ſucceſſu ſtudia populi aucta: vulgus Urbanum arma cepit. Paucis ſcuta militaria: plures, raptis, quod cuique obvium, telis [7], « ſignum pugnæ » expoſcunt. Agit grates

[1] Per agrum Sabinum ] De Sabinis jam dictum ſupra cap. 72.

[2] Salaria via ] Quæ incipiebat a portâ Collinâ, dictâ quoque Salariâ, hodieque *Porta Salara*. Via portaque ita dicta, *quoniam illâ ſalem in Sabinos portari convenerat*, Plin. XXXI, 7. Sect. 41.

[3] Per Flaminiam ] Viam; de quâ dictum ſupra Annal. III, 9. & XIII, 47.

[4] Saxa rubra ] Quæ tribus circiter millibus paſſuum Româ diſtabant. Cùm ex eo monte eruerentur ſaxa, ut via Flaminia repararetur, ibi inventum eſt ſepulcrum Naſonum, cum veteribus picturis. Vide Ficoroni, *Roma Antica*, I, 28.

[5] Apud Narniam dediti ] Ut vidimus ſuprà cap. 63.

[6] Fidenas ] Nunc *Caſtel Giubileo*, ad ſextum ab Urbe lapidem.

[7] Telis ] Sic Virgilius, Æneid. VII, 507.

*Quod cuique repertum*
*Rimanti, telum ira facit.*

A. U. C. 822. J. C. 69.

Vitellius, & « ad tuendam Urbem prorumpere » jubet. Mox vocato ſenatu, deliguntur legati ad exercitus, ut prætexto reipublicæ concordiam pacemque ſuaderent. Varia legatorum ſors fuit. Qui Petilio Ceriali occurrerant, extremum diſcrimen adiere, aſpernante milite conditiones pacis: vulneratur prætor Arulenus Ruſticus [1]: auxit invidiam, ſuper violatum legati prætoriſque nomen, propria dignatio viri: palantur comites: occiditur proximus lictor [2], dimovere turbam auſus; &, ni dato a duce præſidio defenſi forent, ſacrum etiam inter exteras gentes legatorum jus, ante ipſa patriæ mœnia, civilis rabies uſque in exitium temeraſſet. Æquioribus animis accepti ſunt, qui ad Antonium venerant, non quia modeſtior miles, ſed duci plus auctoritatis.

LXXXI. Miscuerat ſe legatis Muſonius Rufus [3], equeſtris ordinis, ſtudium philoſophiæ, & placita Stoicorum æmulatus, cœptabatque permixtus manipulis, « bona pacis ac » belli diſcrimina » diſſerens, armatos monere. Id pleriſque ludibrio, pluribus tædio: nec deerant, qui propellerent proculcarentque, ni, admonitu modeſtiſſimi cujuſque, & aliis minitantibus, omiſiſſet intempeſtivam ſapientiam. Obviæ fuere & virgines Veſtales [4], cum epiſtolis Vitellii, ad Antonium ſcriptis: « eximi ſupremo certamini unum diem » poſtulabat: « ſi

[1] Arulenus Rusticus ] Jam laudatus ſuprà Annal. XVI, 26, laudandus infrà Vit. Agric. II. quem Marcus Regulus, ejus virtuti infenſus, flagitioſè appellabat *Stoicorum ſimiam . . . . Vitellianâ cicatrice ſtigmoſum*, nempe ob vulnus quod in hoc diſcrimine accepit. Plin. Epiſt. I, 5.

[2] Proximus lictor ] Præcipuus lictorum, & incedenti magiſtratui proximus. Sic apud Livium XXIV, 44. *Præter undecim faſces, equo prævectus ſenex, ut conſul, animadvertere proximum lictorem juſſit.* Seſtius quoque *proximus lictor* memoratur a Cicerone, in Verrem, V. 54.

[3] Musonius Rufus ] De quo philoſopho dictum ſuprà Annal. XIV, 59. & XV, 71.

[4] Vestales ] Ita quoque Suetonius in Vitell. XVI. *Suaſitque ſenatoribus, ut legatos cum virginibus Veſtalibus mitterent, pacem, aut certè tempus ad conſultandum petituros. Poſtridie reſponſa opperienti, nuntiatum eſt per exploratorem, hoſtem appropinquare. Continuò igitur abſtruſus geſtatoriâ ſellâ, duobus ſolis comitibus, piſtore & coquo, Aventinum & paternam domum clam petiit, ut inde in Campaniam fugeret. Mox levi rumore, & incerto, tamquam pax impetrata eſſet referri ſe in palatium paſſus eſt: ubi cùm deſerta omnia reperiſſet, dilabentibus etiam qui ſimul erant, zonâ ſe aureorum plenâ circumdedit: confugitque in cellulam janitoris, religato pro foribus cane, lectoque & culcitâ objectis.* Quæ legiſſe juvabit, ut, quæ narrat Tacitus, faciliùs intelligantur.

» moram interjeciſſent, faciliùs omnia conventura ». Virgines cum honore dimiſſæ: Vitellio reſcriptum, « Sabini cæde, & » incendio Capitolii, dirempta belli commercia [1] ». A. U. C. 822. J. C. 69.

LXXXII. Tentavit tamen Antonius vocatas ad concionem legiones mitigare, « ut, caſtris juxta pontem Milvium [2] poſitis, poſterâ die Urbem ingrederentur. Ratio cunctandi, ne aſperatus prœlio miles, non populo, non ſenatui, ne templis quidem, ac delubris deorum conſuleret. Sed omnem prolationem, ut inimicam victoriæ, ſuſpectabant. Simul fulgentia per colles vexilla, quamquam imbellis populus ſequeretur, ſpeciem hoſtilis exercitûs fecerant. Tripartito agmine, pars ut adſtiterat, Flaminiâ viâ [3]; pars juxta ripam Tiberis inceſſit; tertium agmen, per Salariam, Collinæ portæ [4] propinquabat. Plebs invectis equitibus fuſa. Miles Vitellianus trinis & ipſe præſidiis [5] occurrit. Prœlia ante Urbem multa, & varia; ſed Flavianis, conſilio ducum præſtantibus, ſæpius proſpera. Ii tantùm conflictati ſunt, qui in partem ſiniſtram Urbis ad Salluſtianos hortos [6], per anguſta & lubrica viarum flexerant. Superſtantes maceriis hortorum Vitelliani, ad ſerum uſque diem, ſaxis piliſque ſubeuntes arcebant: donec ab equitibus, qui portâ Collinâ inruperant, circumvenirentur. Concurrêre & in campo Martio infeſtæ acies. Pro Flavianis fortuna, & parta totiens victoria: Vitelliani deſperatione ſolâ ruebant; & quamquam pulſi, rurſus in Urbe congregabantur.

1 Belli commercia ] Hæc belli commercia, Gallicè dicimus *les treves*, *les négociations*. Nec aliter Virgil. Æneid. X, 532.

*Belli commercia Turnus*
*Suſtulit iſta prior, jam tum Pallante perempto.*

2 Pontem Milvium ] Veteri ponti Milvio proximus eſt *Ponte Molle*, qui ab Urbe diſtat duobus circiter millibus paſſuum. Vide ſuprà Annal. XII, 47.

3 Flaminia via ] Locus inſignis, quo optimè uſus eſt Cl. Piraneſi, *Antichità Romane*, Tom. I. pag. 7. ut probaret viam Flaminiam initium non duxiſſe a portâ *del Popolo*, ſed a portâ Pinciana, quæ a Tiberi magis diſtabat, ut patet ex tripartito agmine, quod memorat Tacitus. Vide quoque ſuprà Annal. XIII, 47.

4 Collinæ portæ ] Per Salariam viam propinquabat Collinæ portæ, nunc *porta Salara*.

5 Præsidiis ] Præſidia illa Gallicè dicimus, *des corps*, *des diviſions*, *des poſtes*. Tribus autem in locis prope Urbem pugnatum fuiſſe, omneſque Vitellianos periiſſe tradit Joſephus, in his narrandis minimè accuratus. Οἱ δὲ Οὐιτελλίου, καὶ τριχῇ κατὰ τὴν πόλιν συμβαλόντες, ἀπωλοντο πάντες. Joſeph. Bell. Jud. IV, 11.

6 Sallustianos hortos ] Nunc *Villa Belloni* & *Villa Veroſpi*. Vide adhuc ſuprà Annal. XIII, 47. not. 3.

A. U. C. 822. J. C. 69.

LXXXIII. Aderat pugnantibus ſpectator populus, utque in ludicro certamine, hos, rurſus illos clamore & plauſu fovebat: quotiens pars altera inclinaſſet, abditos in tabernis, aut, ſi quam in domum perfugerant, « erui jugularique » expoſtulantes, parte majore prædæ potiebantur. Nam milite ad ſanguinem & cædes obverſo, ſpolia in vulgus cedebant. Sæva ac deformis Urbe totâ facies: alibi prœlia & vulnera; alibi balineæ popinæque: ſimul cruor & ſtrues corporum; juxtà ſcorta, & ſcortis ſimiles: quantum in luxurioſo otio libidinum; quidquid in acerbiſſimâ captivitate ſcelerum: prorſus, ut eamdem civitatem & furere crederes, & laſcivire. Conflixerant antè armati exercitus in Urbe, bis L. Sullâ, ſemel Cinnâ, victoribus [1]; nec tunc minus crudelitatis: nunc inhumana ſecuritas, & ne minimo quidem temporis, voluptates intermiſſæ: velut feſtis diebus [2] id quoque gaudium accederet, exſultabant, fruebantur; nullâ partium curâ, malis publicis læti [3].

LXXXIV. Plurimum molis in oppugnatione caſtrorum [4] fuit, quæ acerrimus quiſque, ut noviſſimam ſpem, retinebant. Eò intentiùs victores, præcipuo veterum cohortium ſtudio, cuncta validiſſimarum urbium excidiis reperta ſimul admovent, teſtudinem, tormenta, aggeres, faceſque: « quidquid tot prœliis laboris ac periculi hauſiſſent, opere illo conſummari » clamitantes. « Urbem ſenatui ac populo Romano, templa diis reddita: proprium eſſe militis decus in caſtris, illam patriam, illos penates: ni ſtatim recipiantur, noctem in armis agendam ». Contrà Vitelliani, quamquam numero fa-

[1] Victoribus ] De his civilibus bellis Florus III, 21. *Hoc deerat unum populi Romani malis, jam ut ipſe intra ſe parricidale bellum domi ſtringeret; & in Urbe mediâ, ac foro, quaſi arenâ, cives cum civibus ſuis, gladiatorio more concurrerent.*

[2] Velut festis diebus ] Velut feſtis diebus Saturnalium id quoque pugnarum atque cædium gaudium accederet, exſultabant, novumque illud voluptatum genus fruebantur.

[3] Malis publicis læti ] Faciem hanc Urbis laſcivientis ſimul & furentis, egregiâ arte, veritate plurimâ expreſſit Tacitus. Repertus tamen nuper ingenioſus ſcriptor, qui deſcriptionem illam incredibilem eſſe, Tacitumque ingenio nimis indulſiſſe contenderit: ſanè paulo auſterior, quique haud ſatis attenderit, converſis ad luxuriam imperiis, patriæ amore obliterato, flagrantibuſque bellis civilibus, publica mala atque ipſas clades rideri.

[4] Castrorum ] Prætoriorum. Vide Hiſt. I, 39. not. 8.

toque diſpares, inquietare victoriam, morari pacem, domos araſque cruore fœdare: ſuprema victis ſolatia amplectebantur. Multi ſemianimes, ſuper turres & propugnacula mœnium, exſpiravere. Convulſis portis, reliquus globus obtulit ſe victoribus: & cecidere omnes contrariis vulneribus, verſi in hoſtem [1]. Ea cura etiam morientibus decori exitûs fuit. A. U. C. 822. J. C. 69.

LXXXV. Vitellius, captâ Urbe, per averſam palatii partem [2], Aventinum, in domum uxoris [3], ſellulâ defertur; ut, ſi diem latebrâ vitaviſſet, Tarracinam ad cohortes fratremque perfugeret. Dein, mobilitate ingenii, & quæ natura pavoris eſt, cùm omnia metuenti, præſentia maximè [4] diſplicerent, in palatium regreditur, vaſtum deſertumque: dilapſis etiam infimis ſervitiorum, aut occurſum ejus declinantibus. Terret ſolitudo, & tacentes loci [5]: tentat clauſa: inhorreſcit vacuis: feſſuſque miſero errore, & pudendâ latebrâ [6] ſemet occultans, ab Julio Placido, tribuno cohortis, protrahitur. Vinctæ pone tergum manus: laniatâ veſte, fœdum ſpectaculum, ducebatur, multis increpantibus, nullo inlacrimante: deformitas exitûs miſericordiam abſtulerat. Obvius e Germanicis militibus [7], Vitellium infeſto ictu, per iram, vel quò maturius ludibrio eximeret, an tribunum appetierit, in incerto fuit, aurem tribuni amputavit, ac ſtatim confoſſus eſt. Vitellium, infeſtis mucronibus coactum, modò erigere os, & offerre contumeliis, nunc cadentes ſtatuas ſuas, plerumque roſtra [8], aut Galbæ occiſi lo-

[1] Contrariis vulneribus, verſi in hostem ] Audacter factum, dictum eleganter. Vitellianus globus in victores irruit; contrariis vulneribus excipiuntur, & cadunt in hoſtem verſi. Hæc decori exitûs gloria a viris fortiter morientibus quæſita.

[2] Averſam palatii partem ] Bene quidem, *averſam*. Antica enim palatii pars erat viæ ſacræ obverſa.

[3] Domum uxoris ] Ut ſuprà cap. 70. De ſellulâ, aut ſellâ geſtatoriâ vide cap. 81. not. 4.

[4] Præſentia maximè ] Sic ferme Quintus Curtius, IV, 1. *Cùm primas ſpes fortuna deſtituit, futura præſentibus videntur eſſe potiora.*

[5] Tacentes loci ] Nec aliter Virgilius, Æneid. II, 755.

*Horror ubique animos, ſimul ipſa ſilentia terrent.*

[6] Pudendâ latebrâ ] In cellulà Janitoris. Vide ſuprà cap. 81. not. 4. & Suetonium in Vitellio XVII.

[7] E Germanicis militibus ] Rem aliter narrat Dio LXV. pag. 743. Talem deformitatem animadvertit Germanus, nec tulit; ſed miſericordiâ motus: *Ego tibi, inquit, quam poſſum, opem feram. Itaque illum percuſſit, deinde ſibi manus attulit.* [illegible]

[8] Roſtra ] Ubi imperium ejuraverat. Suprà cap. 68. not. 5.

A. U. C. 822. J. C. 69.

cum [1] contueri; poſtremò ad Gemonias [2], ubi corpus Flavii Sabini jacuerat, propulere. Una vox non degeneris animi excepta, cùm tribuno inſultanti, « ſe tamen Imperatorem ejus »fuiſſe » reſpondit. Ac deinde ingeſtis vulneribus, concidit. Et vulgus eâdem pravitate inſectabatur interfectum, quâ foverat viventem.

LXXXVI. PATER illi L. Vitellius [3]: ſeptimum & quinquageſimum [4] ætatis annum explebat: conſulatum, ſacerdotia, nomen locumque inter primores, nullâ ſuâ induſtriâ, ſed cuncta patris claritudine [5] adeptus. Principatum ei detulere, qui ipſum non noverant. Studia exercitûs raro cuiquam, bonis artibus quæſita, perinde adfuere, quàm huic per ignaviam. Inerat tamen ſimplicitas ac liberalitas; quæ, ni adſit modus, in exitium vertuntur. Amicitias, dum magnitudine munerum, non conſtantiâ morum continere putat, meruit magis [6], quàm habuit. Reipublicæ haud dubiè intererat, Vitellium vinci: ſed imputare perſidiam [7] non poſſunt, qui Vitellium Veſpaſiano

[1] GALBÆ OCCISI LOCUM ] Lacum Curtium, ut ſuprà Hiſt. I, 41.

[2] AD GEMONIAS ] Sueton. in Vitell. XVII. *Tandem apud Gemonias minutiſſimis ictibus excarnificatus atque confectus eſt, & inde unco tractus in Tiberim.* De Gemoniis jam dictum ſuprà cap. 74.

[3] L. VITELLIUS ] Vide Stemma Vitelliorum in Notis & Emendationibus ad Hiſt. I, 9.

[4] SEPTIMUM ET QUINQUAGESIMUM ] Sic Eutrop. & Victor in Epitome. Ita quoque Suetonius in Vitell. XVIII. *Periit cum fratre & filio, anno vitæ ſeptimo & quinquageſimo.* At ſecum pugnat Suetonius; ſiquidem in Vitell. III, ait: *Aulus Vitellius, Lucii filius, Imperator natus eſt octavo Kalendas Octobris, vel, ut quidam, ſeptimo Idus Septembris, Druſo Cæſare, Norbano Flacco.* Cùm hi conſules fuerint, ut conſtat ex Faſtis, anno Urbis conditæ DCCLXVIII, & interfectus ſit Vitellius anno U. C. DCCCXXII, periit anno vitæ quinto & quinquageſimo. Huic ſententiæ ſuffragatur Dio LXV. pag. 743. cùm ait Vitellium *vixiſſe annos LIV, dies LXXXIX*, *ζήσαντα μὲν ἐπὶ τέσσαρα ἔτη καὶ πεντήκοντα, καὶ ἡμέρας ἐννέα καὶ ὀγδοήκοντα.* Annos fœdè corrupit vel Victor in Cæſar. vel potiùs ejus librarius, cùm ſcripſit; *annos natus ſeptuaginta & quinque ampliùs.* Interfectus eſt autem Vitellius die 21 Decembris.

[5] CLARITUDINE ] Fœdis quoque ſuis in Caium Caligulam, Claudium, & Neronem obſequiis; ut videre eſt apud Suetonium in Vitell. IV.

[6] MERUIT MAGIS ] Illuſtr. Huetius paulo firmior: *Rectiùs dixiſſet, habuit magis, quàm meruit. Nec enim meritus eſt amari, qui muneribus amicitias comparat.*

[7] IMPUTARE PERFIDIAM ] Intererat Vitellium vinci, quia egregius Princeps fuit Veſpaſianus. Imputare tamen perfidiam non poterant, quòd a Galbâ, bono Principe, deſciviſſent. Obſcura Galbæ, Othonis & Vitellii tempora nunc, ut opinor, ſatis ſunt illuſtrata. Nihil ergo addiderim. Monuerim tantùm in Diariis Trevoltienſibus anni 1735, Auguſto menſe, part. II. pag. 1585 & ſeqq. optimam eſſe P. Tour-

prodidere, cùm a Galbâ deſciviſſent. Præcipiti in occaſum die, ob pavorem magiſtratuum ſenatorumque, qui dilapſi ex Urbe, aut per domos clientium ſemet occultabant, vocari ſenatus non potuit. Domitianum, poſtquam nihil hoſtile metuebatur, ad duces partium progreſſum, & *Cæſarem* conſalutatum, miles frequens, utque erat in armis, in paternos penates deduxit.

A. U. C. 822. J. C. 69.

nemine diſſertationem, quâ ſingularem & abſurdam de Galbæ, Othonis & Vitellii triumviratu opinionem, in iiſdem Diariis, Auguſto menſe, part. I. pag. 1350 & ſeqq. propoſitam, confutat. Vix tamen hæc refutatione indigent. Nunc verò, ne alia fraus ſubrepat, addiderim, licèt id eruditis omnibus ſit compertum, nonnullos aureos argenteoſque Othonis nummos haberi, aliquot etiam, rariores tamen, æreos reperiri, in Ægypto & Antiochiæ cuſos. At nulli ſinceri ejus nummi, ex ære, Romæ cuſi, hactenus inventi ſunt: circumferuntur adulterini, quos inter celebratiſſimus eſt, quem Magnus Etruriæ Dux olim emit 7000. *ſcudi*, ut vulgò loquuntur. In una falſi hujus nummi parte IMP. OTHO. CAES. AVG. P. M. COS. II. Caput Othonis laureatum. In alterâ parte: MATVRA CELERITAS. Imperator in ſuggeſtu, adſtante hominum multitudine, pecuniam e ſinu effundit. S. C.

*BREVIARIUM*

# *BREVIARIUM*

## LIBRI QUARTI.

I. *Victores Flaviani in Urbe ſæviunt.* II. *L. Vitellius, licèt deditus, interficitur.* III. *Compoſitâ Campaniâ, obſequium ſenatûs in Veſpaſianum.* IV. *Muciani, Antonii, ceterorumque belli ducum honores. Reſtituendi Capitolii conſilia. Libertati conſulit Helvidius Priſcus.* V. *Hujuſce viri vita & mores.* VI. *Inter eum & Eprium Marcellum acre jurgium.* IX. *De impenſis publicis diſſenſio.* X. *Muſonius Rufus in P. Celerem invehitur.* XI. *Mucianus, Urbem ingreſſus, cuncta in ſe trahit. Calpurnii Galeriani cædes. Servile Aſiatici, liberti, ſupplicium.* XII. *Initia belli Germanici, duce Claudio Civili.* XIV. *Primi in arma ruunt Batavi & Canninefates.* XV. *Accitis Friſiis, occupata duarum cohortium hiberna.* XVI. *Parta Civilis dolo de Romanis victoria.* XVII. *Ejus famâ excitæ Germaniæ auxilia ultro offerunt. Civilis Galliarum ſocietatem adfectat.* XVIII. *Hordeonii Flacci ſegnitia. Victi Romani in Vetera caſtra fugiunt.* XIX. *Batavorum & Canninefatium cohortes, quæ in Urbem pergebant, corruptæ, Civili junguntur; & Bonnenſi prœlio Romanorum aciem per-*

*ſringunt.* XXI. *Suos tamen in verba Veſpaſiani adegit Civilis, ut hoſtilia velaret.* XXII. *Statimque Vetera obſidet.* XXIV. *Hordeonius Flaccus, ſeditione conflictatus, ſummam rerum Voculæ permittit. Adfluunt Gallorum auxilia.* XXVI. *Herennius Gallus, in partem curarum Voculæ additus, re infeliciter geſtâ, verberatur. Nova ſeditio.* XXVIII. *Germani prædas e Gallis agunt.* XXIX. *Varia Germanos inter & Romanos certamina.* XXXI. *Auxilia Gallorum, nuntiato Cremonenſi prœlio, a Vitellio deſciſcunt. Dictum quoque ab Hordeonio Flacco Veſpaſiani ſacramentum.* XXXII. *Tum Montanus ad Civilem mittitur, ut eum a bello retrahat. Ipſe Montanum, paratum in res novas, ad bellum impellit.* XXXIII. *Mox adversùs Voculam partem copiarum mittit. Prœlia Germanis primò, dein Romanis proſpera.* XXXV. *Vocula malè utitur victoriâ.* XXXVI. *Civilis Geldubam capit. Inter Romanos diſcordia. Hordeonium Flaccum interficiunt. Eadem tempeſtas Voculam ferme perculit.* XXXVII. *Mogontiacum obſeſſum. Treveri nunc fidi, mox rebelles.* XXXVIII. *Interim in Urbe falſi ab Africâ pavores.* XXXIX. *Domitianus prætor. Potentia Antonii Primi a Muciano infracta.* XL. *Reſtituuntur Galbæ honores. P. Celer, aliique famoſi delationibus, damnati.* XLII. *Aquilium Regulum, a Meſſalâ fratre defenſum, premit Curtius*

*Montanus.* XLIII. *Eprius quoque Marcellus ab Helvidio corripitur.* XLIV. *At ne longiùs abiret hæc cognitio, abolita priorum temporum memoria. In paucos & viles ſævitum.* XLV. *Senenſes ob pulſatum ſenatorem puniti. Antonius Flamma lege repetundarum damnatus.* XLVI. *Prætorianorum ſeditio a Muciano compoſita.* XLVII. *Abrogati conſulatus, quos Vitellius dederat. Funus cenſorium Flavio Sabino ductum.* XLVIII. *L. Piſonis, Africæ proconſulis, cædes.* L. *Œenſium Leptitanorumque diſcordiæ: fuſi Garamantes.* LI. *Oblata a Parthis auxilia non recipit Veſpaſianus.* LII. *Illum Domitiano inſenſum Titus mitigat.* LIII. *Cura reſtituendi Capitolii in L. Veſtinum collata.* LIV. *Ob Vitellii necem, duplicatum in Germaniâ bellum: nec hoſtiles animos jam diſſimulat Civilis. Treveri ac Lingones a Romanis deficiunt, Claſſico, Tutore & Julio Sabino ducibus. Nutant reliquæ Galliæ. Incerta ipſarum legionum fides.* LIX. *Vocula occiditur; & pro Galliarum imperio juratum.* LX. *Legiones, in Veteribus caſtris obſeſſæ, eadem in verba adactæ.* LXI. *Tum Civilis, voti compos, crinem ponit. Inde quoque major Veledæ auctoritas.* LXII. *Captarum legionum mæſtum ſilenſque agmen. Alæ Picentinæ virtus.* LXIII. *Colonia Agrippinenſis, Tranſrhenanis gentibus inviſa, in ſummum diſcrimen adducitur.* LXVI. *Civilis Claudium Labeonem, reſiſtere auſum, vincit: Bethaſios Tungroſque in fidem recipit.* LXVII. *Lingones*

*tamen a Sequanis fuſi; victuſque Julius Sabinus latet.* LXVIII. *Tantis armorum motibus anxius Mucianus, cum Domitiano ad bellum accingitur. Legiones quatuor præmiſſæ: aliæ accitæ.* LXIX. *Galli deliberant; & plerique, æmulatione provinciarum deterriti, Romanam fidem retinent.* LXX. *Nec Civili, Claſſico, ceteriſque ducibus ſatis conſilii ac concordiæ.* LXXI. *Interea Petilius Cerialis Mogontiacum venit: Valentinum, hoſtium ducem, magnâ clade adficit.* LXXII. *Victæ antè legiones in caſtra Romana receptæ.* LXXIII. *Cerialis Treveros ac Lingonas adloquitur & componit.* LXXV. *Atrox prœlium, quo Germani, primùm victores, dein Cerialis conſtantiâ vincuntur.* LXXIX. *Agrippinenſes a Germanis deſciſcunt.* LXXX. *Mucianus filium Vitellii interfici jubet. Antonius Primus ad Veſpaſianum venit, nec pro ſpe ſuâ excipitur.* LXXXI. *Miracula Alexandriæ a Veſpaſiano edita.* LXXXII. *Adit templum Serapidis.* LXXXIII. *Hujus dei origo.* LXXXV. *Valentinus, victus, nec degener, punitur.* LXXXVI. *Domitianus, cùm fruſtra Cerialem tentaſſet, ut ſibi exercitum imperiumque traderet, otium ſtudiaque literarum ſimulat.*

Hæc geſta, partim flagrantibus adhuc Vitellii & Veſpaſiani civilibus bellis, partim

| A. U. C. | J. C. | | |
|---|---|---|---|
| DCCCXXIII. | 70. | *Coſſ.* | FLAVIO VESPASIANO Aug. II.<br>TITO VESPASIANO Cæſare. |

# C. CORNELII
# *TACITI*
# HISTORIÆ.

## *LIBER QUARTUS.*

A. U. C. 822. J. C. 69.

Interfecto Vitellio, bellum magis deſierat, quàm pax cœperat. Armati per Urbem victores, implacabili odio, victos conſectabantur: plenæ cædibus viæ, cruenta fora templaque, paſſim trucidatis, ut quemque fors obtulerat. Ac mox, augeſcente licentiâ, ſcrutari, ac protrahere abditos: ſi quem procerum habitu [1], & juventâ conſpexerant, obtruncare, nullo militum, aut populi diſcrimine. Quæ ſævitia, recentibus odiis, ſanguine explebatur; dein verterat in avaritiam: nihil uſquam ſecretum aut clauſum ſinebant, « Vitellianos occultari » ſimulantes. Initium id perfringendarum domuum; vel ſi reſiſteretur, cauſa cædis: nec deerat egentiſſimus quiſque ex plebe: & peſſimi ſervitiorum prodere ultro dites dominos: alii ab amicis monſtrabantur. Ubique lamenta, conclamationes, & fortuna captæ urbis: adeo ut Othoniani Vitellianique militis invidioſa

[1] Procerum habitu ] Proceritate corporis, & ævi flore inſignis Germanicus miles, Vitellio addictus. Plura vide infra in libro de Moribus Germ. IV.

A. U. C. 822. J. C. 69.

antea petulantia deſideraretur. Duces partium, accendendo civili bello acres, temperandæ victoriæ impares: quippe in turbas & diſcordias peſſimo cuique plurima vis: pax & quies bonis artibus indigent.

II. Nomen ſedemque Cæſaris, Domitianus acceperat; nondum ad curas intentus, ſed ſtupris & adulteriis filium Principis agebat. Præfectura prætorii, penes Arrium Varum: ſumma potentiæ, in Primo Antonio: is pecuniam familiamque e Principis domo, quaſi Cremonenſem prædam, rapere: ceteri modeſtiâ, vel ignobilitate, ut in bello obſcuri, ita præmiorum expertes. Civitas pavida, & ſervitio parata, « occupari redeuntem » Tarracinâ L. Vitellium cum cohortibus, exſtinguique reliqua » belli », poſtulabat. Præmiſſi Ariciam [1] equites: agmen legionum intra Bovillas [2] ſtetit. Nec cunctatus eſt Vitellius, ſeque & cohortes arbitrio victoris permittere. Et miles infelicia arma, haud minùs irâ, quàm metu abjecit. Longus deditorum ordo, ſeptus armatis, per Urbem inceſſit. Nemo ſupplici vultu, ſed triſtes & truces, & adversùm plauſus ac laſciviam inſultantis vulgi immobiles: paucos erumpere auſos, circumjecti preſſere [3]: ceteri in cuſtodiam conditi. Nihil quiſquam locutus indignum, &, quamquam inter adverſa, ſalva virtutis fama. Dein L. Vitellius interficitur, par vitiis fratris [4], in principatu ejus vigilantior; nec perinde proſperis ſocius, quàm adverſis abſtractus.

III. Iisdem diebus Lucilius Baſſus [5], cum expedito equite, ad componendam Campaniam mittitur: diſcordibus municipiorum animis, magis inter ſemet, quàm contumaciâ adversùs Principem. Viſo milite, quies. Et minoribus coloniis impunitas: Capuæ [6], legio tertia hiemandi cauſâ locatur, & domus inluſtres adflictæ; cùm contrà Tarracinenſes nullâ ope juvarentur [7].

[1] Ariciam ] Nunc *la Riccia*; de quâ jam ſupra Hiſt. III, 36.

[2] Bovillas ] Manent rudera, ubi nunc *l'Oſteria delle Fratocchie*. Vide ſupra Annal. XV, 23.

[3] Pressere ] Fortè *oppreſſere*: quo verbo ſæpe uſus eſt Tacitus; ſicque placebat Faerno. Ita vertit Davanzati, *[illegible] circondati e oppreſſi*.

[4] Vitiis fratris ] Mallem, *frati*. Sic quoque volebat Faernus.

[5] Lucilius Bassus ] De quo ſuprà Hiſt. II, 100. & III, 12.

[6] Capuæ ] Capua, Vitellio fida; ut vidimus ſuprà Hiſt. III, 57.

[7] Nulla ope juvarentur ] Licèt ipſi Flavianas partes juviſſent. Suprà Hiſt. III, 76.

Tantò proclivius eſt injuriæ, quàm beneficio [1] vicem exſolvere: quia gratia oneri, ultio in quæſtu habetur. Solatio fuit ſervus Verginii Capitonis, quem proditorem Tarracinenſium diximus [2], patibulo adfixus, in iiſdem anulis [3], quos acceptos a Vitellio geſtabat. At Romæ ſenatus cuncta Principibus ſolita [4] Veſpaſiano decernit, lætus & ſpei certus: quippe ſumpta per Gallias Hiſpaniaſque civilia arma, motis ad bellum Germanis, mox Illyrico, poſtquam Ægyptum, Judæam, Syriamque, & omnes provincias exercituſque luſtraverant, velut expiato terrarum orbe, cepiſſe finem videbantur. Addidere alacritatem Veſpaſiani literæ, tamquam manente bello ſcriptæ: ea, primâ ſpecie, forma [5]: ceterùm ut Princeps loquebatur, civilia de ſe, & reipublicæ egregia: nec ſenatûs obſequium deerat. Ipſi « conſulatus cum Tito filio, prætura Domitiano & conſulare imperium [6] » decernuntur.

A. U. C. 822. J. C. 69.

IV. Miserat & Mucianus epiſtolas ad ſenatum, quæ materiam ſermonibus præbuere: « Si privatus eſſet, cur publicè loqueretur [7]? potuiſſe eadem, paucos poſt dies [8], loco ſententiæ dici »: ipſa quoque inſectatio in Vitellium, ſera [9], & ſine libertate. Id verò erga rempublicam ſuperbum, erga Principem contumelioſum, quod « in manu ſuâ fuiſſe imperium, donatumque Veſpaſiano » jactabat. Ceterùm invidia in occul-

[1] Quam beneficio ] Æquè verè Seneca de Beneficiis I, 1. *Cùm ita naturâ comparatum ſit, ut altiùs injuriæ, quàm merita deſcendant, & illa citò defluant, has tenax memoria cuſtodiat.*

[2] Diximus ] Hiſt. III, 77.

[3] In iisdem anulis ] Anulos, equeſtris dignitatis inſignia, proditionis præmium, a Vitellio acceperat. De anulis vide Hiſt. I, 13.

[4] Principipus solita ] Nomina Imperatoris, Cæſaris, Auguſti, tribunicia poteſtas, &c.

[5] Forma ] Ea literarum forma, primâ facie.

[6] Consulare imperium ] Sueton. in Domitian. I. *Cæſar conſalutatus, honorem præturæ Urbanæ cum conſulari poteſtate ſuſcepit titulo tenus: quam juriſdictionem ad collegam proximum tranſtulit.*

[7] Publice loquferetur ] Publicè loqui cenſebatur, qui ad ſenatum conſuleſve ſcribebat. Inde Cicero, Ep. XV, 1. *Quòd arbitrabar a M. Bibulo proconſule certiora de his rebus ad vos ſcribi poſſe, ſtatuebam mihi non neceſſe eſſe publicè ſcribere ea, quæ de alterius provinciâ nuntiarentur.* Idem Ep. XV, 9. *Quæ mihi de Parthis nuntiata ſunt, quia non putabam a me etiam nunc ſcribenda eſſe publicè, propterea ne pro familiaritate quidem noſtrâ volui ad te ſcribere: ne cùm ad conſulem ſcripſiſſem, publicè viderer ſcripſiſſe.*

[8] Paucos post dies ] Potuiſſe eadem, paucos poſt dies, cùm Romam veniſſet, in ſenatu loco ſententiæ dici.

[9] Sera ] Bene Illuſtr. Huetius: *ſi, imperitante Vitellio, id feciſſet Mucianus, poterat adſcribi libertati. Nunc cùm, eo mortuo, id faciat, libertati tribui non poteſt,*

A. U. C. 822. J. C. 69.

to; adulatio in aperto erant: multo cum honore verborum, « Muciano triumphalia » de bello civili data. Sed « in Sarmatas [1] expeditio » fingebatur. Adduntur « Primo Antonio conſularia, Cornelio Fuſco & Arrio Varo prætoria inſignia [2] ». Mox deos reſpexere: « reſtitui » placuit « Capitolium ». Eaque omnia Valerius Aſiaticus, conſul deſignatus, cenſuit. Ceteri, vultu manuque [3]; pauci, quibus conſpicua dignitas, aut ingenium adulatione exercitum, compoſitis orationibus adſentiebantur. Ubi ad Helvidium Priſcum, prætorem deſignatum, ventum, prompſit ſententiam, ut honorificam in bonum Principem, ita falſa aberant, & ſtudiis ſenatus attollebatur. Iſque præcipuus illi dies, magnæ offenſæ initium, & magnæ gloriæ fuit.

V. Res poſcere videtur, quia iterum in mentionem [4] incidimus viri ſæpius memorandi, ut vitam ſtudiaque ejus, & quali fortunâ ſit uſus, paucis repetam. Helvidius Priſcus, regione Italiæ [5], Tarracinæ municipio, Cluvio patre [6], qui ordinem primipili [7] duxiſſet, ingenium inluſtre altioribus ſtudiis juvenis admodum dedit: non, ut plerique, ut nomine magnifico ſegne otium velaret, ſed quo firmior adverſus fortuita, rempublicam capeſſeret: doctores ſapientiæ [8] ſecutus eſt, qui ſola bona, quæ honeſta, mala tantum, quæ turpia: potentiam, nobilitatem,

[1] In Sarmatas ] Sanè Sarmatas Rhoxolanos, quos fortè rurſus tumultuantes compeſcuerat Mucianus, cùm per Thraciam Mœſiamque iter faceret. De his jam dictum ſupra Hiſt. I, 79. & III, 24. Fingebatur autem hæc expeditio, quòd de victis civibus triumphalia dari non poterant. De triumphalibus ornamentis plura dicentur in Vitâ Agric. XL.

[2] Prætoria insignia ] De conſularibus prætoriiſque inſignibus vide ſuprà Annal. XII, 21.

[3] Manuque ] Quo de uſu Seneca Ep. VIII. *Si hæc mecum, ſi hæc cum poſteris loquor, non videor tibi plus prodeſſe, quàm cùm ad vadimonium advocatus deſcenderem, aut tabulis teſtamenti anulum imprimerem, aut in ſenatu candidato vocem & manum commodarem.*

[4] Iterum in mentionem ] De Helvidio jam facta mentio ſupra Annal. XVI, 35.

[5] Regione Italiæ ] Hæc inſititia, & omittenda. Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. IV, 5.

[6] Cluvio patre ] Cluvii filius, appellari non potuit Helvidius Priſcus, quin adoptatus fuerit ab Helvidio Priſco, unde in nomen & familiam tranſierit. Exiſtimat Lipſius eum adoptatum fuiſſe ab Helvidio Priſco, legato legionis, de quo ſuprà Annal. XII, 49, ejus avunculo. Utrum avunculus fuerit, nec ne, incertum. Præterea alii eſſe potuere Helvidii Priſci. Memoratur Annal. XIII, 28, Helvidius Priſcus, tribunus plebis. Quis ergo adoptaverit, incompertum.

[7] Ordinem primipili ] Qui primus centurio fuerat; vide Annal. XIII, 36.

[8] Doctores sapientiæ ] Stoicos, quorum placita hìc egregiè Tacitus, Epictetus Enchiridii initio expoſuere.

ceteraque

ceteraque extra animum, neque bonis, neque malis adnumerant. Quæſtorius [1] adhuc, a Pæto Thraſea gener delectus [2], e moribus ſoceri nihil æquè ac libertatem hauſit: civis, ſenator, maritus, gener, amicus, cunctis vitæ officiis æquabilis, opum comtemptor, recti pervicax, conſtans adversùs metus.

A. U. C. 822.
J. C. 69.

VI. Erant, quibus appetentior famæ videretur; quando etiam ſapientibus cupido gloriæ noviſſima exuitur [3]. Ruinâ ſoceri, in exſilium pulſus, ut, Galbæ principatu, rediit [4], Marcellum Eprium delatorem Thraſeæ [5] accuſare adgreditur. Ea ultio, incertum major an juſtior, ſenatum in ſtudia diduxerat. Nam ſi caderet Marcellus, agmen reorum ſternebatur. Primò minax certamen, & egregiis utriuſque orationibus teſtatum. Mox, dubiâ voluntate Galbæ, multis ſenatorum deprecantibus, omiſit Priſcus; variis, ut ſunt hominum ingenia, ſermonibus, moderationem laudantium, aut conſtantiam requirentium. Ceterùm eo ſenatûs die, quo « de imperio Veſpaſiani » cenſebant [6], placuerat « mitti ad Principem legatos ». Hinc inter Helvidium & Eprium acre jurgium. Priſcus « eligi nominatim a magiſtratibus juratis [7] »; Marcellus « urnam » poſtulabat [8], quæ conſulis deſignati ſententia fuerat.

VII. Sed Marcelli ſtudium proprius rubor excitabat, ne, aliis electis, poſthabitus crederetur. Paullatimque, per altercationem ad continuas & infeſtas orationes provecti ſunt, quærente Helvidio, « quid ita Marcellus judicium magiſtratuum

[1] Quæstorius ] Summâ cum induſtriâ ſub Nerone Achaiam quæſtor adminiſtraverat, teſte Scholiaſte Juvenalis ad Satyr. V, 36.

[2] Gener delectus ] Ut jam vidimus ſuprà Annal. XVI, 28 & 35.

[3] Novissima exuitur ] Egregiè dictum; & ex intimâ mentis humanæ naturâ repetitum.

[4] Rediit ] Apolloniâ rediit, cùm Galba exſules patriæ reddidit; ut dictum eſt ſuprà Hiſt. II, 92. Vide & Supplementum Annal. XVI, 36. Quo autem libertatis ſtudio vixerit, docet Scholiaſtes Juvenalis ad Satyr. V, 36. *Poſt interfectum Neronem reſtitutus a Galba, non aliter quàm libero civitatis ſtatu egit.*

[5] Delatorem Thraseæ ] Vide ſuprà Annal. XVI, 22, 28 & ſeq.

[6] De imperio Vespasiani censebant ] Cùm ſenatus cuncta Principibus ſolita Veſpaſiano decrevit, ut dictum eſt ſuprà cap. 3. Tunc factum eſt ſenatuſconſultum, quæ lex regia vulgo dicitur: exſtat adhuc ære inciſum in ædibus Capitolinis. Egregium iſtud antiquitatis monumentum vide in Notis & Emendationibus ad Hiſt. IV, 6.

[7] Juratis ] Sic ſuprà Annal. IV, 21. *Judicio jurati ſenatûs*: quod vide.

[8] Urnam postulabat ] Urnam & ſortes poſtulabat. Vide infrà cap. 8.

A. U. C. 822. J. C. 69.

»pavesceret? eſſe illi pecuniam, & eloquentiam, quis multos »anteiret, ni memoriâ flagitiorum urgeretur. Sorte & urnâ, »mores non diſcerni: ſuffragia & exiſtimationem ſenatûs re-»perta, ut in cujuſque vitam famamque penetrarent: pertinere »ad utilitatem reipublicæ, pertinere ad Veſpaſiani honorem, »occurrere illi, quos innocentiſſimos ſenatus habeat, qui ho-»neſtis ſermonibus aures Imperatoris imbuant. Fuiſſe Veſpa-»ſiano amicitiam cum Thraſeâ, Sorano, Sentio [1]: quorum ac-»cuſatores, etiamſi puniri non oporteat, oſtentari non debere: »hoc ſenatûs judicio, velut admoneri Principem, quos probet, »quos reformidet: nullum majus boni imperii inſtrumentum, »quàm bonos amicos eſſe. Satis Marcello, quòd Neronem in »exitium tot innocentium impulerit. Frueretur præmiis & im-»punitate; Veſpaſianum melioribus relinqueret».

VIII. Marcellus, «non ſuam ſententiam impugnari, »ſed conſulem deſignatum cenſuiſſe» dicebat, «ſecundùm ve-»tera exempla [2], quæ ſortem legationibus poſuiſſent, ne am-»bitioni aut inimicitiis locus foret. Nihil eveniſſe, cur antiqui-»tus inſtituta exoleſcerent, aut Principis honor in cujuſquam »contumeliam verteretur: ſufficere omnes obſequio: id ma-»gis vitandum, ne pervicaciâ quorumdam inritaretur ani-»mus, novo principatu ſuſpenſus, & vultus quoque ac ſermo-»nes omnium circumſpectans. Se meminiſſe temporum, quibus »natus ſit, quam civitatis formam patres avique inſtituerint: »ulteriora mirari, præſentia ſequi: bonos Imperatores voto »expetere, qualeſcumque tolerare. Non magis ſuâ oratione [3] »Thraſeam, quàm judicio ſenatûs adflictum. Sævitiam Nero-»nis, per hujuſmodi imagines [4] inluſiſſe: nec minùs ſibi an-»xiam talem amicitiam, quàm aliis exſilium. Denique conſtan-

[1] Sentio ] Quis ſit ille Sentius ignoratur. Fortè emendandum, *Senecâ*. Vide Notas & Emendation. ad Hiſt. IV, 7.

[2] Vetera exempla ] Talia quidem exempla occurrunt apud Ciceronem Epiſt. ad Atticum I, 17. & Dionem LIX, pag. 657. Quàmque frequentes in ſenatu ſortes Auguſtus fecerit docet Suetonius in Aug. XXXV. At nonnunquam eligebantur legati, ut patet ex eodem Suetonio in Claud. VI. & Dione loc. cit.

[3] Sua oratione ] Quam vide Annal. XVI, 28.

[4] Per hujusmodi imagines ] Per has judicii imagines; ut ſuprà Annal. III, 17. *Biduum ſuper hac imagine cognitionis abſumptum.*

A. U. C. 822. J. C. 69.

»tiâ, fortitudine, Catonibus & Brutis æquaretur Helvidius: ſe »unum eſſe ex illo ſenatu, qui ſimul ſervierit. Suadere etiam »Priſco, ne ſupra Principem ſcanderet, ne Veſpaſianum ſenem »triumphalem [1], juvenum liberorum patrem, præceptis coer»ceret. Quomodo peſſimis Imperatoribus ſine fine dominatio»nem, ita quamvis egregiis modum libertatis placere ». Hæc magnis utrimque contentionibus jactata, diverſis ſtudiis accipiebantur. Vicit pars, quæ ſortiri legatos malebat, etiam mediis patrum [2] adnitentibus retinere morem. Et ſplendidiſſimus quiſque eodem inclinabat, metu invidiæ ſi ipſi eligerentur.

IX. Secutum aliud certamen. Prætores ærarii (nam tum a prætoribus tractabatur ærarium [3]) « publicam paupertatem » queſti, « modum impenſis [4] » poſtulaverant. Eam curam conſul deſignatus, ob magnitudinem oneris, & remedii difficultatem, Principi reſervabat. Helvidius, « arbitrio ſenatûs agendum » cenſuit. Cùm perrogarent ſententias conſules, Vulcatius Tertullinus, tribunus plebis, interceſſit, « ne quid ſuper tantâ re, »Principe abſente, ſtatueretur ». Cenſuerat Helvidius, ut « Capitolium publicè reſtitueretur, adjuvaret Veſpaſianus ». Eam ſententiam modeſtiſſimus quiſque ſilentio, deinde oblivio tranſmiſit [5]: fuere, qui & meminiſſent [6].

X. Tum invectus eſt Muſonius Rufus [7] in « Publium Cele»rem [8], a quo Baream Soranum falſo teſtimonio circumven-

[1] Senem triumphalem ] Vide ſuprà Hiſt. II, 77.

[2] Mediis patrum ] Id eſt neutram partem ſecutis, neque Helvidio, neque Marcello addictis; ſicque accepere optimi interpretes Itali, Hiſpani, Angli & Galli. Nec intelligendum, ut quibuſdam placet, de ſenatoribus mediis, id eſt mediocris fortunæ.

[3] Tractabatur ærarium ] De ærario, iiſque, qui ærarium tractavere, dictum Annal. XIII, 29, & in Notis & Emendationibus ad hunc locum.

[4] Impensis ] Publicis impenſis, ut infrà cap. 40.

[5] Oblivio transmisit ] Oblivione tranſmiſit. Neutris delectatur Tacitus. Sic aliàs uſurpat *obſidium*, *occidium*. In plurali Horatius, II Serm. VI, 62.

*Ducere ſollicitæ jucunda oblivia vitæ.*

Infrà idem Tacitus, cap. 31. *Aut levi murmure, & plerumque ſilentio tranſmittebant.*

[6] Et meminissent ] Maximè ii, qui poſtea Helvidium, ob nimium libertatis ſtudium, reum majeſtatis fecere; ut dicetur infrà.

[7] Musonius Rufus ] De quo ſuprà Annal. XV, 71.

[8] Publium Celerem ] Publium Egnatium Celerem, de quo ſuprà Annal. XVI, 32. Ibique vide Juvenalis cenſuram. Adde veterem Juvenalis Scholiaſten, in hæc verba, Satyr. I, 33.

*Magni delator amici.*

A. U. C. 822. J. C. 69.

»tum» arguebat. Eâ cognitione renovari odia accuſationum videbantur: ſed vilis & nocens reus protegi non poterat. Quippe Sorani ſancta memoria: Celer profeſſus ſapientiam [1], dein teſtis in Baream, proditor, corruptorque amicitiæ, cujus ſe magiſtrum ferebat. Proximus dies, cauſæ deſtinatur. Nec tam Muſonius aut Publius, quàm Priſcus & Marcellus [2], ceterique, motis ad ultionem animis, exſpectabantur.

XI. Tali rerum ſtatu, cùm diſcordia inter patres, ira apud victos, nulla in victoribus auctoritas, non leges, non Princeps in civitate eſſent; Mucianus, Urbem ingreſſus, cuncta ſimul in ſe traxit: fracta Primi Antonii, Varique Arrii potentia, malè diſſimulatâ in eos Muciani iracundiâ, quamvis vultu tegeretur. Sed civitas, rimandis offenſis ſagax, verterat ſe, tranſtuleratque. Ille unus ambiri, coli [3]: nec deerat ipſe, ſtipatus armatis, domos, hortoſque permutans, apparatu, inceſſu, excubiis, vim Principis amplecti, nomen remittere. Plurimum terroris intulit cædes Calpurnii Galeriani. Is fuit filius C. Piſonis [4], nihil auſus: ſed nomen inſigne, & decora ipſi juventa, rumore vulgi celebrabantur: erantque in civitate adhuc turbidâ, & novis ſermonibus lætâ, qui principatùs inanem ei famam circumdarent. Juſſu Muciani, cuſtodiâ militari cinctus, ne in ipsâ Urbe conſpectior mors foret, ad quadrageſimum ab Urbe lapidem [5], viâ Appiâ, fuſo per venas ſanguine, exſtinguitur. Julius Priſcus, prætoriarum, ſub Vitellio, cohortium præfectus [6], ſe ipſe interfecit, pudore magis quàm neceſſitate. Alphenus

*Alii dicunt philoſophum Egnatium Celerem, Bareæ Sorani magiſtrum, qui ipſum apud Neronem detulit, & damnavit: & ipſe poſtea ſub Veſpaſiano hoc, ipſum Muſonio Rufo accuſante, damnatus eſt.*

[1] Sapientiam ] Stoicam. At nemo nequior, quàm cùm optimæ diſciplinæ corruptor.

[2] Priscus et Marcellus ] Helvidius Priſcus & Eprius Marcellus.

[3] Ambiri, coli ] Et, teſte Dione LXVI. pag. 745, ægre ferebat, ſi minùs coleretur: ut nimius in ornandis iis, quorum vel leviſſimum officium erat expertus, ita adverſus ceteros acerbiſſimum exercebat odium.

[4] C. Pisonis ] C. Calpurnii Piſonis; a Nerone interfecti; de quo ſupra Annal. XV, 48 & 59.

[5] Quadragesimum ab Urbe lapidem] Ubi villa & monumentum erat Calpurniorum. Multi adhuc ibi reperiuntur inſcripti lapides, qui ad Calpurniæ gentis libertos pertinent, teſte erudito Corradino, *Vetus Latium*, Tom. II, pag. 202. Villa erat viæ Appiæ contermina, haud procul a ponte Sanctæ Cæciliæ.

[6] Præfectus ] Vide ſupra Hiſt. II, 92.

A. U. C. 822. J. C. 69.

Varus [1] ignaviæ infamiæque ſuæ ſuperfuit. Aſiaticus enim [2] libertus malam potentiam ſervili ſupplicio [3] expiavit.

XII. Iisdem diebus, crebreſcentem cladis Germanicæ famam, nequaquam mæſta civitas excipiebat: « cæſos exercitus, » capta legionum hiberna, deſciviſſe Gallias », non ut mala loquebantur. Id bellum quibus cauſis ortum, quanto externarum ſociarumque gentium motu flagraverit, altiùs expediam. Batavi, donec trans Rhenum agebant, pars Cattorum [4]: ſeditione domeſticâ [5] pulſi, extrema Gallicæ oræ, vacua cultoribus, ſimulque inſulam, inter vada ſitam [6], occupavere, quam mare Oceanus [7] a fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit; nec opibus Romanis, ſocietate validiorum, attriti, viros tantùm armaque [8] imperio miniſtrant: diu Germanicis bellis exerciti: mox aucta per Britanniam [9] gloria, tranſmiſſis illuc cohortibus, quas vetere inſtituto, nobiliſſimi popularium regebant. Erat & domi delectus eques, præcipuo nandi ſtudio, arma

[1] Alphenus Varus ] Prætorii quoque præfectus. Hiſt. III, 36.

[2] Asiaticus enim ] Fortè *Aſiaticus autem*. De hoc fœdo mancipio vide Hiſt. II, 57 & 95.

[3] Servili supplicio ] Suprà Annal. III, 50. & XV, 60.

[4] Pars Cattorum ] De quibus plura infrà de Moribus German. XXIX. & ſeq.

[5] Seditione domestica ] Quonam tempore hæc ſeditio domeſtica, & migratio contigerint incompertum. Certè diu ante Julii Cæſaris tempora, ut obſervat Cl. Alting, *Notit. Germ. inf.* pag. 14 & 15.

[6] Inter vada sitam ] Unde eam, *paluſtrem humilemque inſulam*, appellat Tacitus Hiſt. V, 23. De quâ jam dictum Annal. II, 6. Mutatis temporibus, mutata inſulæ forma ac fortuna; auctaque ſemper gloria.

[7] Mare Oceanus ] Malè libri editi *mare Oceanum*. Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. IV, 12.

[8] Viros tantum armaque ] Bene Otho Vænius: *Inter ceteros populi Romani ſocios principem facilè locum olim tenebant Batavi; quippe qui nec opibus Romanis, nec validiorum ſocietate, ut ceteri, attererentur: ſed fœdere cum Romanis inito, in ſociorum numerum relati, a vectigalibus, ſervitio, omnique tributi nomine immunes, ſoli militum delectui, armorumque ſuppeditationi obnoxii erant.* Inde laudatus Otho Vænius, pictor, artis ſuæ famâ nobilis, & diſcipulo ſuo P. P. Rubens nobiliſſimus, materiam ſumpſit hoc *Batavorum cum Romanis bellum*, fuſè a Tacito in Hiſtoriarum libris IV & V deſcriptum, tabulis triginta ſex exprimendi, quas Antonius Tempeſta ære incidit. Illas ſi inſpexerint & cum Taciti narratione contulerint viri artium literarumque periti, artem quidem Othonis Vænii laudabunt, Tacitum verò ſummopere ſuſpicient, & quod multis aliis argumentis manifeſtum, atque ore omnium jam pervulgatum eſt, eum *maximum antiquitatis pictorem* prædicabunt. Væniani autem operis, pro ſuâ humanitate, & immenſis, quibus in hoc præclariſſimo artium genere exuberat opibus, copiam nobis fecit Cl. Mariette; hac in re, ut in aliis plurimis, de noſtris ſtudiis optimè meritus.

[9] Per Britanniam ] Vide Hiſt. II, 27. & Vit. Agric. XVIII & XXXVI.

equoſque retinens [1], integris turmis, Rhenum perrumpere [2].

A. U. C. 822. J. C. 69.

XIII. Julius Paullus, & Claudius Civilis [3], regiâ ſtirpe, multo ceteros anteibant. Paullum Fonteius Capito [4], falſo rebellionis crimine, interfecit. Injectæ Civili catenæ, miſſuſque ad Neronem, & a Galbâ abſolutus, ſub Vitellio rurſus diſcrimen adiit [5], flagitante ſupplicium ejus exercitu. Inde cauſæ irarum, ſpeſque ex malis noſtris. Sed Civilis, ultrà quàm barbaris ſolitum, ingenio ſollers, & « Sertorium ſe » aut « Hannibalem » ferens, ſimili oris dehoneſtamento [6], ne ut hoſti obviàm iretur, ſi a populo Romano palam deſciviſſet, Veſpaſiani amicitiam, ſtudiumque partium prætendit; miſſis ſanè ad eum Primi Antonii literis, quibus « avertere accita Vitellio auxilia, & tumultûs » Germanici ſpecie, retentare legiones » jubebatur. Eadem Hordeonius Flaccus [7] præſens monuerat, inclinato in Veſpaſianum animo, & reipublicæ curâ, cui excidium adventabat, ſi redintegratum bellum, & tot armatorum millia Italiam inrupiſſent.

XIV. Igitur Civilis, deſciſcendi certus, occultato interim altiore conſilio, cetera ex eventu judicaturus, novare res hoc modo cœpit. Juſſu Vitellii, Batavorum juventus ad delectum vocabatur; quem, ſuâpte naturâ gravem, onerabant miniſtri avaritiâ ac luxu, ſenes aut invalidos conquirendo, quos pretio dimitterent: rurſus impubes, ſed formâ conſpicui (& eſt pleriſque procera pueritia) ad ſtuprum trahebantur. Hinc invidia: & compoſitæ ſeditionis auctores perpulere, ut delectum abnuerent. Civilis primores gentis, & promptiſſimos vulgi,

[1] ARMA EQUOSQUE RETINENS ] Nempe patrio nandi uſu, ſeque & arma & equos retinebant, ut videre eſt in Vit. Agric. XVIII. integriſque turmis Rhenum perrumpebant. Sic, Hadriano Principe, equites Batavi Iſtrum, *le Danube*, natatu tranſmiſere, apud Dionem LXIX, pag. 792.

[2] PERRUMPERE ] Suetus perrumpere.

[3] CLAUDIUS CIVILIS ] Julius Paullus & Claudius Civilis, fratres; ut videbimus infrà cap. 32. Civilis autem appellatus eſt Julius Civilis ſuprà Hiſt. I, 59. Fortè quòd Julius Claudius Civilis diceretur: hìc verò omittitur Julius, quia jam nominatus Julius Paullus.

[4] FONTEIUS CAPITO ] Germaniæ inferioris legatus; de quo ſuprà Hiſt. I, 7.

[5] ADIIT ] Hiſt. II, 59.

[6] DEHONESTAMENTO ] Captus uno oculo. De Hannibale vide Livium XXII, 2. de Sertorio Plutarchum in Sertor. pag. 569.

[7] HORDEONIUS FLACCUS ] Germaniæ ſuperioris rector. Hiſt. I, 9.

ſpecie epularum [1], ſacrum in nemus [2] vocatos, ubi nocte ac lætitiâ incaluiſſe videt, a laude gloriâque gentis orſus, injurias & raptus, & cetera ſervitii mala enumerat. « Neque enim ſocietatem [3], ut olim, ſed tamquam mancipia haberi. Quando legatum [4], gravi quidem comitatu, & ſuperbo cum imperio, venire? tradi ſe præfectis centurionibuſque: quos ubi ſpoliis & ſanguine expleverint, mutari; exquirique novos ſinus [5], & varia prædandi vocabula. Inſtare delectum, quo liberi a parentibus, fratres a fratribus, velut ſupremum dividantur. Numquam magis adflictam rem Romanam; nec aliud in hibernis, quàm prædam & ſenes: attollerent tantùm oculos, & inania legionum [6] nomina ne paveſcerent: eſſe ſibi robur peditum equitumque; conſanguineos Germanos; Gallias idem cupientes: ne Romanis quidem ingratum id bellum, cujus ambiguam fortunam Veſpaſiano imputaturos [7]: victoriæ rationem non reddi ».

A. U. C. 822. J. C. 69.

XV. Magno cum aſſenſu auditus, barbaro ritu, & patriis exſecrationibus [8], univerſos adigit. Miſſi ad Canninefates, qui conſilia ſociarent. Ea gens partem inſulæ [9] colit, origine, lin-

[1] Specie epularum ] Et inter epulas de bello conſultare ſoliti erant barbari. Vide infrà de Moribus German. XXII.

[2] Sacrum in nemus ] Inter Moſam & Rhenum, ad Duodecimum, nunc *Dooden-Werd*, fuiſſe nemus illud ſacrum deæ Levæ, ibique adhuc eſſe vicum *Lewen*, exiſtimat Cl. Alting, *Notitia Germaniæ inferioris antiquæ*, pag. 103. & Tab. IV. De his nemoribus dicetur adhuc infrà de Moribus German. IX.

[3] Neque enim societatem ] Neque enim ſocios, ut olim, ſed ſervos haberi. Mallet Illuſtr. Huetius, *neque enim in ſocietatem*: ac quidem merito. Evanuiſſe videtur præpoſitio ob ſuperiorem particulam *enim*.

[4] Quando legatum ] Notam interrogandi rectè appoſuit Lipſius; ſicque interpretatur: En, uſque eò viles Romanis ſumus, ut non legati, aut prætores ſaltem nos diripiant (id eſt, honeſtiorum manibus pereamus) ſed latrunculi aliquot minuti, præfecti & centuriones. Aliter Cl. Erneſtus. Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. IV, 14.

[5] Novos sinus ] Quibus Batavorum opes erant abditæ. Vide ſuprà Hiſt. II, 92.

[6] Inania legionum ] Infrequentium invalidarumque legionum inania erant nomina.

[7] Imputaturos ] Bene Illuſtr. Huetius: *Si, Batavis rebellantibus, res malè ſuccedat, ita excuſabunt apud Veſpaſianum, quòd Vitellianarum partium reliquias abolere tentaverint; ſin vincant, quis victores ad reddendam rationem cogere poſſit.*

[8] Patriis exsecrationibus ] Gentili ſuâ religione, ut dictum ſuprà de Britannis, Annal. XII, 34.

[9] Partem insulæ ] Occidentalem partem inſulæ, & Oceano proximam. Plinius IV, 15, *nobiliſſima Batavorum inſula & Canninefatum*. Ibi nunc *de Haag*, *Amſterdam*, &c. Canninefatum autem memoriam extare in vico [illegible], qui in

A. U. C. 822. J. C. 69.

guâ [1], virtute, par Batavis: numero ſuperantur. Mox occultis nuntiis, pellexit Britannica auxilia, Batavorum cohortes, miſſas in Germaniam, ut ſuprà retulimus [2], ac tum Mogontiaci [3] agentes. Erat in Canninefatibus, ſtolidæ audaciæ Brinno, claritate natalium inſigni: pater ejus multa hoſtilia auſus, Caianarum expeditionum [4] ludibrium impunè ſpreverat. Igitur ipſo rebellis familiæ omine placuit, impoſituſque ſcuto, more gentis [5], & ſuſtinentium humeris vibratus, dux deligitur. Statimque accitis Friſiis [6] (tranſrhenana gens eſt) duarum cohortium hiberna [7], proxima occupatu, Oceano inrumpit. Nec præviderant impetum hoſtium milites; nec, ſi prævidiſſent, ſatis virium ad arcendum erat. Capta igitur & direpta caſtra: dein vagos, & pacis modo effuſos lixas [8], negotiatoreſque Romanos, invadunt. Simul excidiis caſtellorum imminebant; quæ a præfectis cohortium incenſa ſunt, quia defendi nequibant. Signa vexillaque, & quod militum, in ſuperiorem inſulæ partem [9] congregantur, duce Aquilio, primipilari [10], nomen magis exercitûs, quàm robur. Quippe viribus cohortium abductis, Vitellius, e proximis Nerviorum [11] Germanorumque [12] pagis, ſegnem numerum armis oneraverat.

XVI. Civilis dolo graſſandum ratus, incuſavit ultro præfectos, « quòd caſtella deſeruiſſent. Se cum cohorte, cui præ» erat, Canninefatem tumultum compreſſurum: illi ſua quiſque

Sancti Willebrordi teſtamento memoratur, obſervat eruditus Bucherius, *Belgium Romanum*, pag. 183.

[1] Lingua ] Origine & linguâ Cattorum, ut ſuprà cap. 12.

[2] Supra retulimus ] Hiſt. II, 69. & fortè hìc emendandum, *remiſſas in Germaniam*.

[3] Mogontiaci ] Nunc *Mayence*.

[4] Caianarum expeditionum ] Quas Caius Caligula adversùs Germanos ſuſceperat. Vide Supplementum Annal. VIII, 38.

[5] More gentis ] Quo poſtea more reges Franci, aliique multi, ut omnibus compertum, delecti. Vide infrà de Moribus Germanorum VIII.

[6] Frisiis ] Friſii maritima incolebant inter Rheni & Amiſiæ, *l'Ems*, oſtia.

[7] Cohortium hiberna ] Creditur hiberna illa fuiſſe, loco, qui nunc dicitur *le château de Britten*, ad Rheni oſtium. At in Oceano deliteſcunt. Vide Cl. Sellium, *Hiſtoire Générale des Provinces Unies*, Tom. I. pag. 16. Tom. II. pag. 62.

[8] Lixas ] De lixis dictum ſuprà Hiſt. I, 49.

[9] In superiorem insulæ partem ] Ea eſt ſuperior inſulæ pars, quæ nunc dicitur *Betuwe*, aut *Betaw*.

[10] Primipilari ] Primo centurione.

[11] Nerviorum ] Nunc *le Hainau*.

[12] Germanorumque ] Tungrorum aliorumque Germanorum populorum, qui e Germania in has oras tranſierant.

» hiberna

A. U. C. 822. J. C. 69.

» hiberna repeterent ». Subeſſe fraudem conſilio, & diſperſas cohortes facilius opprimi, nec Brinnonem ducem ejus belli, ſed Civilem eſſe, patuit: erumpentibus paullatim indiciis, quæ Germani, læta bello gens, non diu occultaverant. Ubi inſidiæ parum ceſſere, ad vim transgreſſus, Canninefates, Friſios, Batavos propriis cuneis [1] componit: directa ex diverſo acies [2], haud procul a flumine Rheno, & obverſis in hoſtem navibus, quas, incenſis caſtellis, illuc appulerant: nec diu certato, Tungrorum [3] cohors ſigna ad Civilem tranſtulit: perculſique milites improviſâ proditione, a ſociis hoſtibuſque cædebantur. Eadem etiam navibus perfidia. Pars remigum e Batavis, tamquam imperitiâ, officia nautarum propugnatorumque impediebant: mox contrà tendere, & puppes hoſtili ripæ objicere: ad poſtremum gubernatores centurioneſque, niſi eadem volentes, trucidant, donec univerſa quatuor & viginti navium claſſis, transfugeret, aut caperetur.

XVII. Clara ea victoria in præſens, in poſterum uſui: armaque & naves, quibus indigebant, adepti, magnâ per Germanias Galliaſque famâ, « libertatis auctores » celebrabantur. Germaniæ [4] ſtatim miſére legatos, auxilia offerentes. Galliarum ſocietatem, Civilis arte doniſque adfectabat, captos cohortium præfectos ſuas in civitates [5] remittendo: cohortibus, abire, an manere mallent, datâ poteſtate: manentibus, honorata militia; digredientibus, ſpolia Romanorum offerebantur. Simul, ſecretis ſermonibus, admonebat « malorum, quæ tot annis perpeſſi, « miſeram ſervitutem falsò pacem vocarent. Batavos, quamquam tributorum expertes, arma contra communes dominos » cepiſſe: primâ acie, fuſum victumque Romanum: quid, ſi » Galliæ jugum exuant? quantum in Italiâ reliquum? provinciarum ſanguine provincias vinci: ne Vindicis aciem [6] cogita-

[1] Cuneis ] De his cuneis fronte anguſtioribus, deinde latioribus vide infrà in Moribus German. VI.

[2] Acies ] Acies, ut videtur, occurrêre prope locum, qui nunc dicitur *Kuilenburg, dans l'île de Betuwe.*

[3] Tungrorum ] Quorum nomen adhuc manet in oppido *Tongres.*

[4] Germaniæ ] Inferior & ſuperior Germania.

[5] Suas in civitates ] In Galliarum civitates.

[6] Vindicis aciem ] Vide Supplementum Annal. XVI, 78.

A. U. C. 822. J. C. 69.

» rent : Batavo equite, protritos Æduos Arvernoſque : fuiſſe » inter Verginii auxilia Belgas [1] : veréque reputantibus, Gal» liam ſuiſmet viribus concidiſſe. Nunc eaſdem omnium partes, » addito, ſi quid militaris diſciplinæ in caſtris Romanorum vi» guerit : eſſe ſecum veteranas cohortes, quibus nuper Othonis » legiones procubuerint [2]. Servirent Syria Aſiaque, & ſuetus » regibus Oriens : multos adhuc in Galliâ vivere, ante tributa [3] » genitos. Nuper certè, cæſo Quinctilio Varo [4], pulſam e » Germaniâ ſervitutem. Nec Vitellium Principem, ſed Cæſa» rem Auguſtum bello provocatum. Libertatem naturâ, etiam » mutis animalibus, datam. Virtutem proprium hominum bo» num. Deos fortioribus adeſſe. Proinde arriperent vacui, occu» patos, integri, feſſos : dum alii Veſpaſianum, alii Vitellium » foveant, patere locum adversùs utrumque ».

XVIII. Sic in Gallias Germaniaſque intentus, ſi deſtinata provenisſent, validiſſimarum ditiſſimarumque nationum regno imminebat. At Flaccus Hordeonius, primos Civilis conatus per diſſimulationem aluit. Ubi « expugnata caſtra, deletas co» hortes, pulſum Batavorum inſulâ Romanum nomen », trepidi nuntii adferebant; Mummium Lupercum, legatum (is duarum legionum hibernis præerat [5]) « egredi adversùs hoſtem » jubet. Lupercus legionarios e præſentibus, Ubios e proximis, Treverorum equites haud longè agentes, raptim tranſmiſit, additâ Batavorum alâ, quæ jam pridem corrupta, fidem ſimula-

[1] Belgas ] *A Scalde*, l'Eſcaut, *ad Sequanam*, la Seine, erat *Belgica*. Plin. IV, 17.

[2] Procubuerint ] Suprà Hiſt. II, 43 & 66.

[3] Ante tributa ] Hæc ne intelligas de tributis quæ Julius Cæſar ferme ante cxx annos impoſuerat. Nec tam vitales tunc Galli, ut rectè monet Lipſius. Verùm accipe de tributis, quæ Auguſtus Tiberiuſque, actis Galliarum cenſibus, præſcripſerant. Primum cenſum egit Auguſtus, ſeptimo ſuo conſulatu anno U. C. dccxxvii, teſte Dione LIII, pag. 512. Alii fuere cenſus, annis U. C. dcclxvii & dcclxix. Tacit. Annal. I, 31 & 33. II, 6. Verè ergo dici potuit, *multos adhuc in Galliâ vivere, ante tributa genitos*.

[4] Quinctilio Varo ] De Varianâ clade dictum Annal. I, 10 & aliàs ſæpe.

[5] Hibernis præerat ] Hiberna illa erant Vetera caſtra, nunc *Santen*, ut mox dicetur, duabus legionibus ſita. Vide infrà cap. 22. Mummius Lupercus erat legionis legatus, ſed hibernis, in quibus duæ legiones erant, præerat; fortè, quòd ſenior : utì explicat Ryckius. Nulla ergo difficultas, quam fingit eruditus Savilius. Duæ autem illæ legiones erant quinta & quintadecima, quæ memorantur infrà cap. 35.

A. U. C. 822. J. C. 69.

bat, ut, proditis in ipſâ acie Romanis, majore pretio fugeret. Civilis, captarum cohortium ſignis circumdatus, ut ſuo militi recens gloria ante oculos, & hoſtes memoriâ cladis terrerentur; matrem ſuam ſororeſque, ſimul omnium conjuges parvoſque liberos, conſiſtere a tergo jubet; hortamenta victoriæ, vel pulſis pudorem. Ut virorum cantu, feminarum ululatu, ſonuit acies: nequaquam par a legionibus, cohortibuſque redditur clamor. Nudaverat ſiniſtrum cornu Batavorum ala transfugiens, ſtatimque in nos verſa: ſed legionarius miles, quamquam rebus trepidis, arma ordineſque retinebat. Ubiorum Treverorumque auxilia, fœdâ fugâ diſperſa, totis campis palantur. Illuc incubuere Germani. Et fuit interim effugium legionibus in caſtra, quibus *Veterum* [1] nomen eſt. Præfectus alæ Batavorum, Claudius Labeo, oppidano certamine [2] æmulus Civili, ne interfectus invidiam apud populares, vel ſi retineretur, ſemina diſcordiæ præberet, in Friſios avehitur.

XIX. Iisdem diebus, Batavorum & Canninefatium cohortes, cùm juſſu Vitellii in Urbem pergerent [3], miſſus a Civile nuntius adſequitur. Intumuere ſtatim ſuperbiâ ferociâque, & « pretium itineris [4], donativum, duplex ſtipendium, augeri » equitum numerum », promiſſa ſanè a Vitellio, poſtulabant; non, ut adſequerentur, ſed cauſam ſeditioni. Et Flaccus multa concedendo, nihil aliud effecerat, quàm ut acriùs expoſcerent, quæ ſciebant negaturum. Spreto Flacco, inferiorem Germaniam petivere, ut Civili jungerentur. Hordeonius, adhibitis tribunis centurionibuſque, conſultavit, « num obſequium abnuentes vi coerceret ». Mox, inſitâ ignaviâ, & trepidis mi-

[1] Veterum ] Vetera, ſeu Vetera Caſtra, nunc *Santen, dans le Duché de Cleves*; ut jam dictum Annal. I, 45.

[2] Oppidano certamini ] Eodem oppido oriundi Civilis & Labeo; unde, utì adſolet, certamen.

[3] In Urbem pergerent ] Mogontiaco in Urbem pergebant, ut dictum eſt ſupra cap. 15. Hæc verò ſi attentè perpenderis, & cum dictis Hiſt. II, 69, contuleris, tempus ordinemque belli Batavici habere in promptu eſt. Maior verò difficultas in numero locisque legionum, quibus confectum hoc bellum. Quâ ne detinearis, vide Notas & Emendationes ad Hiſt. II, 6. ubi dictum ſatis de legionibus, earumque locis.

[4] Pretium itineris ] Viaticum; ut ſuprà Hiſt. I, 57. De donativo, dictum eſt Hiſt. II, 94. de duplici ſtipendio, Annal. I, 17.

A. U. C. 822. J. C. 69.

niſtris, quos ambiguus auxiliorum animus, & ſubito delectu ſuppletæ legiones angebant, ſtatuit continere intra caſtra militem. Dein pænitentiâ, & arguentibus ipſis, qui ſuaſerant, tamquam ſecuturus, ſcripſit Herennio Gallo, legionis primæ legato, qui Bonnam [1] obtinebat, ut « arceret tranſitu Batavos: ſe » cum exercitu tergis eorum hæſurum ». Et opprimi poterant, ſi hinc Hordeonius, inde Gallus, motis utrimque copiis, medios clauſiſſent. Flaccus omiſit inceptum, aliiſque literis Gallum monuit, ne terreret abeuntes. Unde ſuſpicio, ſponte legatorum excitari bellum: cunctaque quæ acciderant, aut metuebantur, non inertiâ militis, neque hoſtium vi, ſed fraude ducum evenire.

XX. Batavi, cùm caſtris Bonnenſibus propinquarent, præmiſere qui Herennio Gallo mandata cohortium exponeret. « Nullum ſibi bellum adversùs Romanos, pro quibus totiens » bellaſſent. Longâ atque inritâ militiâ feſſis, patriæ atque otii » cupidinem eſſe. Si nemo obſiſteret, innoxium iter fore: ſin ar» ma occurrant, ferro viam inventuros ». Cunctantem legatum milites perpulerant, « fortunam prœlii experiretur ». Tria millia [2] legionariorum, & tumultuariæ Belgarum cohortes, ſimul paganorum [3] lixarumque ignava, ſed procax ante periculum manus, omnibus portis erumpunt, ut Batavos numero impares circumfundant. Illi, veteres militiæ, in cuneos congregantur, denſi undique, & frontem tergaque ac latus tuti. Sic tenuem noſtrorum aciem perfringunt. Cedentibus Belgis, pellitur legio, & vallum portaſque trepidi petebant. Ibi plurimum cladis: cumulatæ corporibus foſſæ: nec cæde tantùm & vulneribus, ſed ruinâ, & ſuis plerique telis interiere. Victores, coloniâ Agrippinenſium [4] vitatâ, nihil cetero in itinere hoſtile auſi, Bonnenſe prœlium excuſabant: tamquam petitâ pace, poſtquam negabatur, ſibimet ipſi conſuluiſſent.

XXI. Civilis, adventu veteranarum cohortium, juſti

[1] Qui Bonnam ] Hodieque *Bonn.*

[2] Tria millia ] Has legiones adeo imminuerat Vitellius, ut dimidia, aut vix dimidia legionum pars eſſent.

[3] Paganorum ] Eorum, qui non militabant.

[4] Colonia Agrippinensium ] Nunc *Cologne.*

jam exercitûs ductor, ſed conſilii ambiguus, & vim Romanam reputans, cunctos qui aderant, in verba Veſpaſiani adigit: mittitque legatos ad duas legiones, quæ, priore acie pulſæ, in Vetera caſtra conceſſerant [1], « ut idem ſacramentum acciperent ». Redditur reſponſum, « neque proditoris, neque hoſtium ſe » conſiliis uti. Eſſe ſibi Vitellium Principem, pro quo fidem & » arma uſque ad ſupremum ſpiritum retenturos: proinde perfuga Batavus arbitrum rerum Romanarum ne ageret, ſed meritas ſceleris pœnas exſpectaret ». Quæ ubi relata Civili, incenſus irâ, univerſam Batavorum gentem in arma rapit. Junguntur Bructeri Tencterique [2], & excita nuntiis Germania [3], ad prædam famamque.

A. U. C. 822. J. C. 69.

XXII. Adversus has belli concurrentis minas, legati legionum, Mummius Lupercus, & Numiſius Rufus, vallum muroſque firmabant: ſubverſa longæ pacis opera, haud procul caſtris in modum municipii [4] exſtructa, ne hoſtibus uſui forent. Sed parum proviſum, ni copiæ [5] in caſtra conveherentur: rapi permiſere. Ita paucis diebus per licentiam abſumpta ſunt, quæ adversùs neceſſitates in longum ſuffeciſſent. Civilis medium agmen cum robore Batavorum obtinens, utramque Rheni ripam [6], quò truculentior viſu foret, Germanorum catervis complet,

[1] Concesserant ] Ut dictum ſuprà cap. 18.

[2] Bructeri Tencterique ] Vicini, ſociique bellorum, de quibus ſuprà Annal. XIII, 56.

[3] Germania ] Germania Tranſrhenana.

[4] In modum municipii ] Ante caſtra erant proceſtria, ut videre eſt apud Feſtum in voce *proceſtria*. Ibi non modò calones, lixæ, aliaque militiæ miniſteria, ſed & mercatores, & qui ſocietatis ac tranquillitatis cauſâ huc ſe conferebant. Inde, longâ pace, ædificia in modum municipii excreverant. Jam vidimus ſuprà cap. 15. *Direpta caſtra: dein vagos & pacis modo effuſos lixas, negotiatoreſque Romanos invadunt.*

[5] Ni copiæ ] Parum proviſum erat ſecuritati, ſubverſis proceſtriis, ni ſimul copiæ, id eſt cibaria ceterique commeatus, in caſtra conveherentur. Contrà eas rapi permiſere; & paucis diebus per licentiam abſumptæ ſunt.

[6] Utramque Rheni ripam ] Opinatur Lipſius vel omittendum *utramque*, vel emendandum *utrimque*, ita ut hoſtes non utramque Rheni ripam obtinuerint, ſed ſupra infraque caſtra militem locaverint ad obſeſſorum terrorem. At libri omnes ſcripti & editi præter Mſ. Bud. habent *utramque*: igitur vox retinenda. Nec emendandum *utrimque*, id eſt ſupra & infra caſtra; cùm non utrimque tantùm caſtra premere potuerit Civilis, ſed utramque etiam Rheni ripam obtinere, ſiniſtram cum ſuis Batavis, & quæ acceſſerant, auxiliis, dextram cum adventantibus Germanis. Sic enim viſu truculentior, & abundabant commeatus. Romanis verò ſpes omnis intercluſa.

A. U. C. 822. J. C. 69.

adſultante per campos equite. Simul naves in adverſum amnem agebantur. Hinc veteranarum cohortium ſigna, inde depromptæ ſilvis luciſque ferarum imagines [1], ut cuique genti inire prœlium mos eſt, mixtâ belli civilis externique facie [2] obſtupefecerant obſeſſos: & ſpem oppugnantium augebat amplitudo valli, quod duabus legionibus ſitum, vix quinque millia [3] armatorum Romanorum tuebantur. Sed lixarum multitudo, turbatâ pace illuc congregata, & bello miniſtra aderat.

XXIII. Pars caſtrorum [4], in collem leniter exſurgens; pars æquo adibatur: quippe, illis hibernis, obſideri premique Germanias, Auguſtus crediderat: neque umquam id malorum, ut oppugnatum ultro legiones noſtras venirent. Inde non loco, neque munimentis labor additus: vis & arma ſatis placebant. Batavi, Tranſrhenanique [5], quò diſcreta virtus manifeſtiùs ſpectaretur, ſibi quæque gens conſiſtunt, eminus laceſſentes. Poſt ubi pleraque telorum turribus pinniſque mœnium inrita hærebant, & deſuper ſaxis vulnerabantur; clamore atque impetu, invaſere vallum, appoſitis plerique ſcalis, alii per teſtudinem ſuorum [6]: ſcandebantque jam quidam, cùm gladiis & armorum incuſſu præcipitati, ſudibus & pilis obruuntur, præferoces initio, & rebus ſecundis nimii. Sed tum prædæ cupidine, adverſa quoque tolerabant. Machinas etiam, inſolitum ſibi, auſi: nec ulla ipſis ſollertia: perfugæ captivique docebant ſtruere materias in modum pontis [7], mox ſubjectis rotis propellere: ut alii ſuperſtantes, tamquam ex aggere, prœliarentur: pars intus, occulti muros ſubruerent. Sed excuſſa

[1] Ferarum imagines ] Hac de re plura infrà de Moribus German. VII.

[2] Externique facie ] Nempe veteranarum cohortium ſigna belli civilis, externi faciem referebant ferarum imagines.

[3] Vix quinque millia ] Adeò Vitellius has legiones imminuerat, ut jam monuimus ſuprà cap. 20.

[4] Pars castrorum ] Caſtra illa ſunt Vetera, ſeu Vetera caſtra, nunc *Santen*, ut jam dictum cap. 18. Ea Auguſtus duabus legionibus poſuerat. Unius caſtra in colle, alterius in plano. Vetera autem dicebantur, quòd alia poſtea in Germaniâ poſita ſunt.

[5] Transrhenanique ] Bructeri, Tencteri, ceterique Germani populi.

[6] Per testudinem suorum ] Ut ſuprà Hiſt. III, 27. & Annal. XIII, 39.

[7] In modum pontis ] Quomodo hæ turres ſtruerentur, indeque pons proferretur, ex Vegetio docebimus in Notis & Emendationibus ad Hiſt. IV, 23.

baliſtis [1] ſaxa, ſtravere informe opus: & crates vineaſque [2] parantibus, adactæ tormentis ardentes haſtæ: ultroque ipſi oppugnatores ignibus petebantur: donec, deſperatâ vi, verterent conſilium ad moras, haud ignari paucorum dierum ineſſe alimenta, & multum imbellis turbæ. Simul ex inopiâ proditio, & fluxa ſervitiorum fides, ac fortuita belli ſperabantur.

A. U. C. 822.
J. C. 69.

XXIV. Flaccus interim, cognito caſtrorum obſidio, & miſſis per Gallias, qui auxilia concirent, lectos e legionibus [3] Dillio Voculæ, duoetviceſimæ legionis legato, tradit, ut quàm maximis per ripam itineribus celeraret. Ipſe pavidus, invalidus corpore [4], inviſus militibus: neque enim ambiguè fremebant, « emiſſas a Mogontiaco Batavorum cohortes, diſſimulatos Civilis conatus, adſciri in ſocietatem Germanos: non Primi Antonii, neque Muciani ope Veſpaſianum magis adoleviſſe: aperta odia, armaque palam depelli [5]: fraudem & dolum, obſcura, eoque inevitabilia: Civilem ſtare contrà, ſtruere aciem; Hordeonium e cubiculo & lectulo jubere, quidquid hoſti conducat. Tot armatas fortiſſimorum virorum manus, unius ſenis valetudine regi. Quin potiùs, interfecto traditore [6], fortunam virtutemque ſuam malo omine exſolverent ». His inter ſe vocibus inſtinctos flammavere inſuper allatæ a Veſpaſiano literæ, quas Flaccus, quia occultari nequibant, pro concione recitavit; vinctoſque, qui adtulerant, ad Vitellium miſit.

XXV. Sic mitigatis animis, Bonnam, hiberna primæ legionis, ventum. Infenſior illic miles, culpam cladis [7] in Hordeonium vertebat: « ejus juſſu directam adversùs Batavos

[1] Balistis ] Vide ſuprà Hiſt. III, 23.

[2] Crates vineasque ] De quibus ſupra Hiſt. II, 21.

[3] E legionibus] Quartâ Macedonicâ, & duoetviceſimâ, quæ Mogontiaci agebant.

[4] Invalidus corpore ] Senectâ & debilitate pedum invalidus, ut dictum ſuprà Hiſt. I, 9.

[5] Armaque palam depelli ] Ita ferme Salluſtius, Orat. II. de Republicâ ordinandâ, cap. 52. *Hoſtem adverſum opprimere, ſtrenuo homini haud difficile eſt: occulta pericula neque facere, neque vitare, bonis in promptu eſt.*

[6] Traditori ] *Traditor*, vox a nullis ſcriptoribus Romanis uſurpata; multò pòſt a Chriſtianis reperta. Unde legendum exiſtimo, *interfecto tradito*: nempe *tradito* hoſtibus, quibuſcum ſocietatem iniſſe dicebatur.

[7] Cladis ] De qua ſuprà cap. 20.

A. U. C. 822. J. C. 69.

»aciem, tamquam a Mogontiaco legiones ſequerentur: ejuſ»dem proditione cæſos, nullis ſupervenientibus auxiliis. Ignota »hæc ceteris exercitibus, neque Imperatori ſuo nuntiari, cùm »accurſu tot provinciarum exſtingui repens [1] perſidia potue»rit». Hordeonius exemplaria omnium literarum, quibus per Gallias Britanniamque & Hiſpanias auxilia orabat, exercitui recitavit; inſtituitque peſſimum facinus, ut epiſtolæ Aquiliferis [2] legionum traderentur, a quis antè militi, quàm ducibus, legebantur. Tum e ſeditioſis unum vinciri jubet, magis uſurpandi juris [3], quàm quia unius culpa foret. Motuſque Bonnâ exercitus in Coloniam Agrippinenſem; adfluentibus auxiliis Gallorum, qui primò rem Romanam enixè juvabant. Mox, valeſcentibus Germanis, pleræque civitates adversùm nos armatæ, ſpe libertatis; &, ſi exuiſſent ſervitium, cupidine imperitandi. Gliſcebat iracundia legionum, nec terrorem unius militis vincula indiderant: quin idem ille arguebat ultro « conſcientiam ducis, tamquam nuntius inter Civilem »Flaccumque, falſo crimine, teſtis veri opprimeretur». Conſcendit tribunal Vocula, mirâ conſtantiâ, prehenſumque militem ac vociferantem, « duci ad ſupplicium » juſſit. Et dum mali pavent, optimus quiſque juſſis paruere. Exin conſenſu « ducem Voculam » poſcentibus, Flaccus ſummam rerum ei permiſit.

XXVI. Sed diſcordes animos multa efferabant: inopia ſtipendii frumentique, & ſimul delectum tributaque Galliæ aſpernantes: Rhenus, incognitâ illi cælo ſiccitate, vix navium patiens: arcti commeatus: diſpoſitæ per omnem ripam ſtationes, quæ Germanos vado arcerent: eâdemque de cauſâ minus frugum, & plures, qui conſumerent. Apud imperitos prodigii loco accipiebatur ipſa aquarum penuria, tamquam nos amnes quoque, & vetera imperii munimenta, dererent:

[1] Repens ] Pro *recens*; ut ſæpe monuimus.

[2] Aquiliferis ] Pene Lipſius: Aquiliferis tradebantur epiſtolæ, ut ad ſigna, id eſt in principiis, de quibus dictum Annal. I, 61. not. 4, legerentur. Sic Spartianus in Peſcennio Nigro, cap. 4, ex epiſtola M. Antonini Imperatoris. *Itaque miſi literas recitandas ad ſigna.*

[3] Usurpandi juris ] Id eſt uſurpandi juris ſui cauſa.

quod

A. U. C. 822. J. C. 69.

quod in pace, « fors [1] », ſeu « natura »; tunc « fatum & ira » dei », vocabatur. Ingreſſis Noveſium [2], ſextadecima legio [3] conjungitur. Additus Voculæ in partem curarum Herennius Gallus, legatus [4]: nec auſi ad hoſtem pergere, loco, cui Gelduba [5] nomen eſt, caſtra fecere. Ibi ſtruendâ acie, muniendo vallandoque, & ceteris belli meditamentis militem firmabant. Utque prædâ ad virtutem accenderetur, in proximos Gugernorum [6] pagos, qui ſocietatem Civilis acceperant, ductus a Voculâ exercitus. Pars cum Herennio Gallo permanſit.

XXVII. Forte navem, haud procul caſtris, frumento gravem, cùm per vada hæſiſſet, Germani in ſuam ripam trahebant. Non tulit Gallus, miſitque ſubſidio cohortem. Auctus & Germanorum numerus, paullatimque aggregantibus ſe auxiliis, acie certatum. Germani, multâ cum ſtrage noſtrorum, navem abripiunt. Victi (quod tum in morem verterat) non ſuam ignaviam, ſed perfidiam legati [7] culpabant. Protractum e tentorio, ſciſsâ veſte, verberato corpore, « quo pretio, » quibus conſciis, prodidiſſet exercitum », dicere jubent. Redit in Hordeonium invidia. Illum « auctorem ſceleris », hunc « miniſtrum » vocant: donec exitium minitantibus exterritus, « proditionem » & ipſe Hordeonio objecit: vinctuſque, adventu demum Voculæ exſolvitur. Is poſterâ die, auctores ſeditionis morte adfecit. Tanta illi exercitui diverſitas inerat licentiæ, patientiæque. Haud dubiè gregarius miles, Vitellio fidus: ſplendidiſſimus quiſque, in Veſpaſianum proni: inde ſcelerum ac ſuppliciorum vices, & mixtus obſequio furor: ut

[1] Quod in pace fors ] Nec aliter Tullius de Divinatione II, 27, cùm varia prodigia memoraſſet: *Atque hæc in bello plura & majora videntur timentibus: eadem non tam animadvertuntur in pace. Accedit illud etiam quòd in metu & periculo, cùm creduntur faciliùs, tum finguntur impuniùs.* Vide & Tacitum ſuprà Hiſt. I, 86.

[2] Novesium ] Nunc *Nuis*, aut ut alii ſcribunt, *Neuſ, près Duſſeldorf.*

[3] Sextadecima legio ] Cujus caſtra erant Noveſii.

[4] Legatus ] Herennius Gallus, legatus legionis primæ, ab Hordeonio Flacco additus eſt Voculæ in partem curarum.

[5] Gelduba ] Haud procul Noveſio erat Gelduba, hodie *Gelb*, vel *le bourg de Geloub.*

[6] Gugernorum ] Gugerni origine Germanicâ, inter Ubios Batavoſque interjecti, terrarum partem occupabant, quas nunc dicimus, *partie des Duchés de Clèves & de Gueldre, entre le Rhin & la Meuſe.*

[7] Legati ] Herennii Galli, de quo dictum ſuprà.

contineri non poſſent, qui puniri poterant.

A. U. C. 822. J. C. 69.

XXVIII. At Civilem immenſis auctibus [1] univerſa Germania extollebat, ſocietate nobiliſſimis obſidum firmatâ. Ille, ut cuique proximum, « vaſtari Ubios Treveroſque [2], & aliâ »manu Moſam amnem [3] tranſire » jubet, « ut Menapios & »Morinos & extrema Galliarum quateret ». Actæ utrobique prædæ; infeſtiùs in Ubiis, quòd gens Germanicæ originis, ejuratâ patriâ, Romanorum nomen, *Agrippinenſes* [4] vocarentur. Cæſæ cohortes eorum, in vico Marcoduro [5], incurioſiùs agentes, quia procul ripâ [6] aberant. Nec quievere Ubii, quominus prædas e Germaniâ peterent: primo impunè: dein circumventi ſunt, per omne id bellum meliore uſi fide, quàm fortunâ. Contuſis Ubiis, gravior, & ſucceſſu rerum ferocior Civilis, obſidium legionum [7] urgebat; intentis cuſtodiis, ne quis occultus nuntius venientis auxilii penetraret. Machinas molemque operum Batavis delegat: Tranſrhenanos « prœ»lium » poſcentes, « ad ſcindendum vallum ire, detruſoſque, »redintegrare certamen » jubet; ſuperante multitudine, & facili damno [8]: nec finem labori nox adtulit.

XXIX. Congestis circùm lignis, accenſiſque, ſimul epulantes, ut quiſque vino incaluerat, ad pugnam temeritate inani ferebantur. Quippe ipſorum tela per tenebras vana: Romani conſpicuam barbarorum aciem, & ſi quis audaciâ, aut inſignibus [9] effulgens, ad ictum deſtinabant. Intellectum id

[1] Immensis auctibus ] Sic Velleius Patercul. II, 40. *Hujus viri*, Pompeii, *faſtigium tantis auctibus fortuna extulit.* Immenſis autem auctibus extollebatur Civilis, cùm Tranſrhenani Germani undique ei jungerentur.

[2] Ubios Treverosque ] Nunc *les peuples de Cologne & de Treves.*

[3] Mosam amnem ] Nunc *la Meuſe.* At, ut rectè obſervat eruditus Bucherius, *Belgium Romanum*, pag. 183 & ſeq. non Moſam tantùm, ſed & Scaldim *l'Eſcaut*, tranſiit manus illa ſociorum Civilis, quæ Menapios, Morinos, nunc *les diocèſes de Tournai*, *de Boulogne*, *de Saint-Omer*, *d'Ipre*, & extrema Galliarum, quateret. Vide Supplementum Annal. VIII, 35.

[4] Agrippinenses ] Quod nomen eis ex Agrippinæ vocabulo inditum eſt; ut vidimus ſuprà Annal. XII, 27.

[5] In vico Marcoduro ] Marcodurum, nunc *Düren*, *dans le Duché de Juliers.*

[6] Ripa ] Ripâ Rheni.

[7] Obsidium legionum ] Quæ in caſtris Veteribus, nunc *Santen*, detinebantur; ut dictum eſt ſuprà cap. 23.

[8] Facili damno ] Quod damnum facilè tolerabatur propter militum multitudinem.

[9] Aut insignibus ] Quibus aut locupletiſſimi, aut ii quibus honorata erat militia, diſtinguebantur.

Civili ; « & , reſtincto igne , miſceri cuncta tenebris & armis » jubet. Tum vero ſtrepitus diſſoni , caſus incerti , neque feriendi , neque declinandi providentia. Unde clamor acciderat , circumagere corpora , tendere arcus [1] : nihil prodeſſe virtus , ſors cuncta turbare , & ignavorum ſæpe telis fortiſſimi cadere. Apud Germanos , inconſulta ira : Romanus miles , periculorum gnarus , ferratas ſudes , gravia ſaxa , non fortè jaciebat. Ubi ſonus molientium , aut appoſitæ ſcalæ hoſtem in manus dederant , propellere umbone , pilo ſequi : multos in mœnia egreſſos , pugionibus fodere. Sic exhauſtâ nocte , novam aciem dies aperuit.

A. U. C. 822. J. C. 69.

XXX. Eduxerant Batavi turrim [2] , duplici tabulato , quam prætoriæ portæ [3] ( is æquiſſimus locus ) propinquantem , promoti contrà validi aſſeres , & incuſſæ trabes perfregere , multâ ſuperſtantium pernicie. Pugnatumque in perculſos , ſubitâ & proſperâ eruptione. Simul a legionariis peritiâ & arte præſtantibus , plura ſtruebantur. Præcipuum pavorem intulit ſuſpenſum & nutans machinamentum [4] , quo repentè demiſſo præter ſuorum ora , ſinguli , pluresve hoſtium ſublimè rapti , verſo pondere intra caſtra effundebantur. Civilis , omiſsâ oppugnandi ſpe , rurſus per otium adſidebat , nuntiis & promiſſis fidem legionum convellens.

[1] Tendere arcus ] Ita libri omnes ſcripti & editi. Mallet tamen Lipſius *tendere armis* ; probatque Cl. Erneſtus. Nihil mutaverim. Nec niſi arcu teliſque Romanos e ſummis caſtrorum ſuorum mœnibus , tela , ferratas ſudes , & gravia ſaxa ejaculantes , laceſſere poterant Batavi.

[2] Turrim ] Earum turrium deſcriptionem vide in Notis & Emendationibus ad Hiſt. IV , 23.

[3] Prætoriæ portæ ] In caſtris prætoria porta decumanæ portæ erat oppoſita. De his portis vide ſuprà Annal. I , 66. not. 3.

[4] Suspensum et nutans machinamentum ] Hujus machinamenti inventor , vir immortalis nominis , Archimedes , cùm Syracuſæ a Marcello obſiderentur ; ut videre eſt apud Polybium VIII. pag. 517. Manus ferreæ e machinis demiſſæ abreptos cum ipſis armis viros jactabant & affligebant : σὺν αὐτοῖς γὰρ τοῖς ὅπλοις τοὺς ἄνδρας [illegible] [illegible]τῶν. Harumce machinarum artificium pluribus deſcribit Polybius loc. cit. Quæ tamen fidem vix adhuc obtinerent , ni ſuperiore ſæculo Cl. Trewleben , manus ferreas Archimedis æmulatus , eâdem , ac utiliore , arte , medio mari , e navibus per plures annos ſubmerſis , & ſub arenâ latitantibus , tormenta bellica , immenſam argenti rudis & ſignati vim , gemmas plurimas ſubduxiſſet , veteribuſque dominis reſtituiſſet anno 1660. Cujus quidem mirabilis inventi teſtem vidi prægrandem nummum argenteum. Vide & Van-Loon , *Hiſtoire Metallique des XVII Provinces des Pays-Bas*. Tom. II. pag. 457.

A. U. C. 822. J. C. 69.

XXXI. Hæc in Germaniâ ante Cremonenſe prœlium [1] geſta; cujus eventum literæ Primi Antonii docuere, addito Cæcinæ edicto [2]. Et præfectus cohortis e victis, Alpinus Montanus [3], fortunam partium præſens fatebatur. Diverſi hinc motus animorum. Auxilia e Galliâ, quis nec amor, nec odium in partes, militia ſine affectu, hortantibus præfectis, ſtatim a Vitellio deſciſcunt: vetus miles cunctabatur. Sed adigente Hordeonio Flacco, inſtantibus tribunis, dixit ſacramentum, non vultu, neque animo ſatis adfirmans: & cùm cetera jurisjurandi verba conciperent, « Veſpaſiani » nomen hæſitantes, aut levi murmure, & plerumque ſilentio tranſmittebant.

XXXII. Lectæ deinde pro concione epiſtolæ Antonii ad Civilem, ſuſpiciones militum inritavere, tamquam ad ſocium partium ſcriptæ, & de Germanico exercitu hoſtiliter. Mox, allatis Geldubam [4] in caſtra nuntiis, eadem dicta, factaque: & miſſus cum mandatis Montanus ad Civilem, « ut » abſiſteret bello: neve externa armis falſis [5] velaret. Si Veſ- » paſianum juvare adgreſſus foret, ſatisfactum cœptis ». Ad ea Civilis, primò callidè: pòſt, ubi videt Montanum, præferocem ingenio, paratumque in res novas, orſus a queſtu periculiſque, quæ per quinque & viginti annos in caſtris Romanis exhauſiſſet: « Egregium » inquit « pretium laboris recepi, » necem fratris, & vincula mea, & ſæviſſimas hujus exercitûs » voces, quibus ad ſupplicium petitus, jure gentium pœnas » repoſco: vos autem Treveri, ceteræque ſervientium animæ, » quod præmium effuſi totiens ſanguinis exſpectatis, niſi ingra- » tam militiam, immortalia tributa, virgas, ſecures, & domi- » norum ingenia? En ego præfectus unius cohortis, & Canni- » nefates Batavique, exigua Galliarum portio, vana illa caſ-

[1] Ante Cremonense prœlium ] Ante finem menſis Octobris. De Cremonenſi prœlio dictum ſuprà Hiſt. III, 22 & ſeqq.

[2] Cæcinæ edicto ] Edicto Cæcinæ, conſulis, ut utriuſque Germaniæ legiones in Veſpaſiani victoris partes concederent.

[3] Alpinus Montanus ] Natione Trevir, *[illegible]*, de quo ſuprà Hiſt. III, 35. oſtentui miſſus.

[4] Geldubam ] De Geldubâ caſtriſque, ſupra cap. 26.

[5] Armis falsis ] Ne externa bella hoſtileſque animos falſâ Flavianarum partium ſpecie velaret. Sic [illegible], *externa* moliri, dixit Tacitus Annal. VI, 32 & Hiſt. III, 5.

A. U. C. 822. J. C. 69.

» trorum ſpatia exſcidimus, vel ſepta ferro fameque premimus : » denique auſos aut libertas ſequetur, aut victi iidem erimus ». Sic accenſum, ſed « molliora referre » juſſum dimittit. Ille, ut irritus legationis, rediit, cetera diſſimulans, quæ mox erupere.

XXXIII. Civilis, parte copiarum retentâ [1], veteranas cohortes, & quod e Germanis maximè promptum, adverſus Voculam [2] exercitumque ejus mittit; Julio Maximo, & Claudio Victore, ſororis ſuæ filio, ducibus. Rapiunt in tranſitu hiberna alæ, Aſciburgii [3] ſita. Adeòque improviſi caſtra involavere, ut non adloqui, non pandere aciem Vocula potuerit. Id ſolum, ut in tumultu, monuit, « ſubſignano milite [4] media firmare »: auxilia paſſim circumfuſa ſunt. Eques prorupit, exceptuſque compoſitis hoſtium ordinibus, terga in ſuos vertit. Cædes inde, non prœlium. Et Nerviorum cohortes, metu ſeu perfidiâ, latera noſtrorum nudavere. Sic ad legiones perventum : quæ, amiſſis ſignis, intra vallum ſternebantur; cùm repentè, novo auxilio, fortuna pugnæ mutatur. Vaſconum [5] lectæ a Galbâ cohortes, ac tum accitæ, dum caſtris propinquant, audito prœliantium clamore, intentos hoſtes a tergo invadunt, latioremque, quàm pro numero, terrorem faciunt: aliis a Noveſio [6], aliis a Mogontiaco univerſas copias adveniſſe credentibus. Is error Romanis addit animos, & dum alienis viribus confidunt, ſuas recepere. Fortiſſimus quiſque e Batavis, quantum peditum erat, funduntur: eques evaſit, cum ſignis captiviſque, quos primâ acie corripuerant. Cæſorum eo die, in partibus noſtris, major numerus & imbellior; e Germanis, ipſa robora.

[1] Retenta ] Ut Vetera caſtra, *Santen*, obſidio ſemper premeret.

[2] Adversus Voculam ] Qui Gugernorum pagos infeſtabat, ut dictum eſt ſuprà cap. 26.

[3] Asciburgii ] In Gugernorum civitate, Vetera caſtra inter & Geldubam, erat Aſciburgium, nunc *Asburg*, *près de la ville de Meurs*. Plura infrà de Moribus German. III.

[4] Subsignano Milite ] Subſignanum militem hìc intelligo lectos e legionibus, qui memorati ſunt ſuprà cap. 24. Igitur in medio ſtetere legionarii, auxilia paſſim circumfuſa ſunt. De ſubſignano milite dictum adhuc Hiſt. I, 70.

[5] Vasconum ] Vaſcones, nunc *la Navarre*.

[6] A Novesio ] *Nuis*, *Mayence*,

A. U. C. 822. J. C. 69.

XXXIV. Dux uterque, pari culpâ meritus adverſa, proſperis defuere. Nam Civilis, ſi majoribus copiis inſtruxiſſet aciem; circumiri a tam paucis cohortibus nequiſſet, caſtraque perrupta exſcidiſſet. Vocula, nec adventum hoſtium exploravit, eóque ſimul egreſſus, victuſque: dein victoriæ parum confiſus, tritis fruſtra diebus, caſtra in hoſtem movit: quem ſi ſtatim impellere, curſumque rerum ſequi maturaſſet; ſolvere obſidium legionum [1] eodem impetu potuit. Tentaverat interim Civilis obſeſſorum animos, tamquam perditæ apud Romanos res, & ſuis victoria proveniſſet. Circumferebantur ſigna vexillaque: oſtentati etiam captivi: ex quibus unus, egregium facinus auſus, clarâ voce geſta patefecit, confoſſus illic a Germanis: unde major indici fides. Simul vaſtatione incendiiſque flagrantium villarum, venire victorem exercitum intelligebatur. « In conſpectu caſtrorum [2] conſtitui ſigna, foſ»ſamque & vallum circumdari » Vocula jubet. Depoſitis [3] »impedimentis ſarcinisque, expediti certarent ». Hinc in ducem clamor pugnam poſcentium: & minari adſueverant. Ne tempore quidem ad ordinandam aciem capto, incompoſiti feſſique prœlium ſumpſere: nam Civilis aderat non minùs vitiis hoſtium, quàm virtute ſuorum fretus. Varia apud Romanos fortuna, & ſeditioſiſſimus quiſque ignavus: quidam recentis victoriæ memores, retinere locum, ferire hoſtem, ſeque & proximos hortari: & redintegratâ acie, manus ad obſeſſos tendere, « ne tempori deeſſent ». Illi, cuncta e muris cernentes, omnibus portis prorumpunt. Ac fortè Civilis lapſu equi proſtratus, creditâ per utrumque exercitum famâ, « vulneratum aut interfectum », immane quantum ſuis pavoris, & hoſtibus alacritatis indidit.

XXXV. Sed Vocula, omiſſis fugientium tergis, vallum turreſque caſtrorum [4] augebat, tamquam rurſus obſidium immineret: corruptâ totiens victoriâ, non falsò ſuſpectus bel-

[1] Obsidium legionum] De quo ſuprà cap. 30.

[2] In conspectu castrorum] Caſtrorum Veterum, *Santen.*

[3] Depositis] Fore, ut depoſitis, &c. Hæc ſæpe omittunt Hiſtorici.

[4] Castrorum] Caſtrorum Veterum, *Santen.*

A. U. C. 822. J. C. 69.

lum malle. Nihil æquè exercitus noſtros, quàm egeſtas copiarum fatigabat. Impedimenta legionum cum imbelli turbâ Noveſium miſſa, ut inde, terreſtri itinere [1], frumentum adveherent. Nam flumine [2] hoſtes potiebantur. Primum agmen ſecurum inceſſit, nondum ſatis firmo Civile: qui, ubi « rurſus miſſos Noveſium frumentatores, dataſque in præſidium cohortes, velut multâ pace, ingredi » accepit: rarum apud ſigna militem, arma in vehiculis, cunctos licentiâ vagos, compoſitus invadit: præmiſſis, qui pontes & viarum anguſta inſiderent. Pugnatum longo agmine, & incerto Marte, donec prœlium nox dirimeret. Cohortes Geldubam perrexere, manentibus [3], ut fuerant, caſtris, quæ relictorum illic militum præſidio tenebantur. Non erat dubium, quantum in regreſſu diſcriminis adeundum foret, frumentatoribus onuſtis perculſiſque. Addit exercitui ſuo Vocula mille delectos, e quintâ & quintadecimâ legionibus apud Vetera obſeſſis, indomitum militem, & ducibus infenſum. Plures, quàm juſſum erat, profecti, palam in agmine fremebant, « non ſe ultrà famem, » inſidias legatorum toleraturos ». At, qui remanſerant, « deſertos ſe, abductâ parte legionum », querebantur. Duplex hinc ſeditio, aliis revocantibus Voculam, aliis redire in caſtra abnuentibus ».

XXXVI. Interim Civilis Vetera circumſedit. Vocula Geldubam, atque inde Noveſium conceſſit. Civilis capit Geldubam. Mox, haud procul Noveſio, equeſtri prœlio proſpere certavit. Sed miles, ſecundis adverſiſque, perinde in exitium ducum accendebatur. Et adventu quintanorum quintadecimanorumque auctæ legiones, « donativum » expoſcunt, comperto pecuniam a Vitellio miſſam. Nec diu cunctatus Hor-

[1] Ut inde, terrestri itinere ] Fruſtra aliquid vitii hìc comminiſcitur Lipſius. Fugientibus hoſtibus, *impedimenta legionum*, id eſt currus & jumenta legionum cum imbelli turbâ, cum calonibus nempe & lixis, Noveſium, *Nuis*, miſſa ſunt, ut inde frumentum adveherent. Primum agmen ſecurum inceſſit. Alteri agmini datæ in præſidium cohortes: at Civilis, quid ageretur certior, & validior, incautos eos invadit.

[2] Flumine ] Rheno.

[3] Manentibus ] Caſtra Geldubæ, *Geib*, ut fuerant, manebant: nec diruta, nec aucta.

A. U. C. 822. J. C. 69.

deonius, nomine Veſpaſiani dedit. Idque præcipuum fuit ſeditionis alimentum. Effuſi in luxum & epulas, & nocturnos cœtus, veterem in Hordeonium iram renovant: nec ullo legatorum, tribunorumve obſiſtere auſo (quippe omnem pudorem nox ademerat) protractum e cubili interficiunt. Eadem in Voculam parabantur, niſi ſervili habitu, per tenebras, ignoratus evaſiſſet. Ubi, ſedato impetu, metus rediit; centuriones cum epiſtolis ad civitates Galliarum miſere, auxilia ac ſtipendia oraturos.

XXXVII. Ipsi, ut eſt vulgus ſine rectore præceps, pavidum, ſocors, adventante Civile, raptis temere armis, ac ſtatim omiſſis, in fugam vertuntur. Res adverſæ diſcordiam peperere; iis, qui e ſuperiore exercitu [1] erant, cauſam ſuam diſſociantibus. Vitellii tamen imagines, in caſtris, & per proximas Belgarum civitates, repoſitæ, cùm jam Vitellius occidiſſet [2]. Dein mutati in pœnitentiam primani, quartanique, & duoetviceſimani, Voculam ſequuntur: apud quem reſumpto Veſpaſiani ſacramento, ad liberandum Mogontiaci obſidium ducebantur. Diſceſſerant obſeſſores, mixtus ex Cattis, Uſipiis, Mattiacis [3] exercitus, ſatietate prædæ, nec incruenti. In viâ diſperſos & neſcios miles noſter invaſerat. Quin & loricam [4] vallumque per fines ſuos Treveri ſtruxere, magniſque invicem cladibus cum Germanis certabant: donec egregia erga populum Romanum merita, mox rebelles fœdarent.

A. U. C. 823. J. C. 70.

XXXVIII. Interea Veſpaſianus iterum, ac Titus, conſulatum [5] abſentes inierunt, mæſtâ & multiplici metu ſuſpensâ civitate, quæ ſuper inſtantia mala, falſos pavores induerat, « deſciviſſe Africam [6], res novas moliente L Piſone [7] ».

[1] E superiore exercitu ] E ſuperioris Germaniæ exercitu.

[2] Occidisset ] Sub finem Decembris; ut vidimus ſuprà Hiſt. III, 85.

[3] Cattis, Usipiis, Mattiacis ] Qui e Germaniâ, concitatore Civili, in belli ſocietatem venerant. De his populis plura dicentur infrà de Moribus German. cap. 29 & ſeqq.

[4] Loricam ] Gallicè *une tranchée.* De loricâ dictum ſuprà Annal. IV, 49. not. 1.

[5] Consulatum ] Flavius Veſpaſianus Auguſtus II, & Titus Flavius Cæſar conſulatum iniere anno Urbis conditæ DCCCXXIII. Jeſu Chriſti 70. Veſpaſianus conſul primùm fuerat, ſed ſuffectus tantùm, anno U. C. DCCCIV, ut dictum eſt ſuprà Hiſt. III, 70. not 4.

[6] Africam ] Nunc *le Royaume de Tunis.*

[7] L. Pisone ] Quem conſulem & vectigalibus publicis præpoſitum vidi-

Is

A. U. C. 823. J. C. 70.

Is præerat provinciæ, nequaquam turbidus ingenio. Sed quia naves ſævitiâ hiemis prohibebantur, vulgus, alimenta in dies mercari ſolitum, cui una ex republicâ annonæ cura [1], clauſum litus, retineri commeatus dum timet, credebat: augentibus famam Vitellianis, qui ſtudium partium nondum poſuerant: ne victoribus quidem ingrato rumore, quorum cupiditates, externis quoque bellis inexplebiles, nulla umquam civilis victoria ſatiavit.

XXXIX. Calendis Januariis, in ſenatu, quem Julius Frontinus [2], prætor Urbanus, vocaverat [3], legatis exercitibuſque, ac regibus [4], « laudes grateſque » decretæ. Et Tertio Juliano [5] prætura, « tamquam tranſgredientem in partes Veſ»paſiani legionem deſeruiſſet », ablata, ut in Plotium Griphum [6] transferretur. Hormo [7] dignitas equeſtris data. Et mox, ejurante Frontino, Cæſar Domitianus præturam cepit. Ejus nomen epiſtolis edictiſque præponebatur: vis penes Mucianum [8] erat; niſi quòd pleraque Domitianus, inſtigantibus amicis, aut propriâ libidine, audebat. Sed præcipuus Muciano metus e Primo Antonio, Varoque Arrio: quos recentes, claroſque rerum famâ, ac militum ſtudiis, etiam populus fovebat, quia in neminem ultra aciem ſævierant. Et ferebatur Antonius Scribonianum Craſſum, egregiis majoribus, & fraternâ imagine [9] fulgentem, ad capeſſendam rempublicam hortatus: haud deſuturâ conſciorum manu, ni Scribonianus abnuiſſet, ne paratis quidem corrumpi facilis, adeò metuens incerta.

mus ſuprà Annal. XIII, 31. & XV, 18.

[1] Annonæ cura ] Verè quoque Juvenalis, Satyr. X, 80.

*Duas tantùm res anxius optat*
*Panem & Circenſes.*

[2] Julius Frontinus ] Varia ejus opera adhuc exſtant; meliora quàm elegantiora. Nempe *Strategemata: De Coloniis: De Aquæductibus*, &c.

[3] Vocaverat ] Abſentibus conſulibus: unde prætori Urbano jus vocandi ſenatum.

[4] Regibus ] Sohemo, Antiocho, Agrippæ; qui Veſpaſiani partes fovebant. Vide ſuprà Hiſt. II, 81.

[5] Tertio Juliano ] Legato ſeptimæ legionis; de quo ſuprà Hiſt. II, 85.

[6] Plotium Griphum ] Jam memoratum Hiſt. III, 52.

[7] Hormo ] Veſpaſiani liberto. Suprà Hiſt. III, 12.

[8] Vis penes Mucianum ] Vis & poteſtas præturæ penes Mucianum. Sic ſuprà Hiſt. II, 39, *honor imperii penes Titianum; vis ac poteſtas penes Proculum.*

[9] Fraterna imagine ] Piſonis, fratris ſui, quem Galba adoptaverat, imagine fulgentem. Vide Hiſt. I, 15.

A. U. C. 823. J. C. 70.

Igitur Mucianus, quia propalam opprimi Antonius nequibat: multis in ſenatu laudibus cumulatum, ſecretis promiſſis onerat, « citeriorem Hiſpaniam [1] » oſtentans, « diſceſſu Cluvii Rufi [2] » vacuam »: ſimul amicis ejus, tribunatus præfecturaſque largitur. Dein, poſtquam inanem animum ſpe & cupidine impleverat, vires abolet; dimiſſâ in hiberna [3] legione ſeptimâ, cujus flagrantiſſimus in Antonium amor. Et tertia legio, familiaris Arrio Varo [4] miles, in Syriam remiſſa. Pars exercitûs, in Germanias ducebatur. Sic egeſto, quidquid turbidum, redit Urbi ſua forma, legeſque, & munia magiſtratuum.

XL. Quo die ſenatum ingreſſus eſt Domitianus, « de » abſentiâ patris fratriſque, ac juventâ ſuâ », pauca & modica diſſeruit, decorus habitu; & ignotis adhuc moribus, crebra oris confuſio [5] pro modeſtiâ accipiebatur. Referente Cæſare, « de reſtituendis Galbæ honoribus [6] », cenſuit Curtius Montanus, « ut Piſonis quoque memoria celebraretur ». Patres utrumque juſſere: de Piſone inritum fuit [7]. Tum ſorte ducti, « per quos redderentur bello rapta [8], quique æra legum, ve» tuſtate dilapſa, noſcerent, figerentque [9], & Faſtos, adula» tione temporum fœdatos [10], exonerarent, modumque pu» blicis impenſis [11] facerent ». Redditur Tertio Juliano prætura, poſtquam cognitus eſt ad Veſpaſianum confugiſſe [12].

[1] Citeriorem Hispaniam ] De quâ jam dictum in Supplemento Annal. XVI, *67*.

[2] Cluvii Rufi ] Qui Hiſpaniæ præerat; ut dictum eſt Hiſt. I, 8 & *76*.

[3] In hiberna ] In Pannoniam. Hiſt. II, *86*.

[4] Arrio Varo ] Arrius Varus, duce Corbulone, ſtrenuè rem geſſerat in Armeniâ; unde familiaris ei miles tertia legio. Hiſt. II, *74*. & III, *6*: poſtea præfectus fuerat prætorio. Hiſt. IV, 2.

[5] Confusio ] De hac voce dictum ſuprà Hiſt. III, 38. not. 5.

[6] Honoribus ] De reponendis recolendiſque Galbæ imaginibus. Hiſt. III, 7.

[7] Inritum fuit ] Nec celebrata poſtea ejus memoria: nulla enim antè fuerat.

[8] Bello rapta ] Ita quoque Sueton. in Veſpaſ. X. *Sorte elegit, per quos rapta bello reſtituerentur.*

[9] Figerentque ] Mallet Illuſtr. Huetius, *refigerentque*. Leges, tabulis æreis inſcriptæ, in templis, lociſque publicis figebantur. Vide Annal. III, *63*.

[10] Fœdatos ] Quàm fœdati fuerint adulatione temporum Neronianorum diximus in Supplemento Annal. XVI, 55.

[11] Modumque publicis impensis ] Prætores ærarii id poſtulaverant, ut vidimus ſuprà cap. 9. Unde patet hæc omnia juſſu Principis facta.

[12] Confugisse ] Suprà Hiſt. II, 85.

A. U. C. 823. J. C. 70.

Gripho [1] honor manſit. Repeti inde cognitionem [2] inter Muſonium Rufum & P. Celerem placuit; damnatuſque Publius, & Sorani manibus ſatisfactum. Inſignis publicâ ſeveritate dies, ne privatim quidem laude caruit: juſtum judicium expleſſe Muſonius videbatur. Diverſa fama Demetrio [3], Cynicam ſectam profeſſo, quòd manifeſtum reum ambitioſiùs, quàm honeſtiùs, defendiſſet. Ipſi Publio neque animus in periculis, neque oratio ſuppeditavit. Signo ultionis in accuſatores dato, petit a Cæſare Junius Mauricus [4], « ut commentariorum Principalium poteſtatem ſenatui faceret, per quos »noſceret, quem quiſque accuſandum popoſciſſet ». « Con»ſulendum tali ſuper re Principem », reſpondit.

XLI. Senatus, inchoantibus primoribus, jusjurandum concepit, quo certatim [5] omnes magiſtratus, ceteri ut ſententiam rogabantur, « deos teſtes » advocabant, « nihil ope ſuâ »factum, quo cujuſquam ſalus læderetur, neque ſe præmium, »aut honorem, ex calamitate civium cepiſſe »: trepidis, & verba jurisjurandi per varias artes mutantibus, quîs flagitii conſcientia inerat. Probabant religionem patres, perjurium arguebant. Eaque velut cenſura, in Sariolenum Voculam, & Nonium Actianum, & Ceſtium Severum acerrimè incubuit, crebris apud Neronem delationibus famoſos. Sariolenum & recens crimen urgebat, quòd apud Vitellium molitus eadem foret: nec deſtitit ſenatus manus intentare Voculæ, donec curiâ excederet. Ad Pactium Africanum tranſgreſſi, eum quoque proturbant; tamquam Neroni Scribonios fratres [6], concordiâ opibuſque inſignes, ad exitium monſtraviſſet. Africanus neque fa-

[1] Gripho ] Plotius Griphus, nuper in ſenatorium ordinem additus, ac legioni præpoſitus. Hiſt. III, 52.

[2] Cognitionem ] De quâ ſuprà Hiſt. IV, 10.

[3] Demetrio ] Antea morienti Thraſeæ adſtiterat Annal. XVI, 34 & 35. nunc Sorani accuſatorem defendit. Adeóne parum ſibi conſtans philoſophia!

[4] Junius Mauricus ] Cujus brevis, ſed magna laus apud Plinium IV. Ep. 22. Hoc *viro nihil firmius, nihil verius.* Vide infrà Vit. Agric. XLV.

[5] Quo certatim ] Certatim juravere omnes magiſtratus, quòd ſe ſceleris puros ſentirent ac probare vellent: ceteri verò, quos inter plures rei, cunctantiùs, & cùm ſententiam rogabantur. Fruſtra tentat Lipſius, *quo ſeriatim*, pro *quo certatim.*

[6] Scribonios fratres ] De eorum exitio vide Supplementum Annal. XVI, 61.

A. U. C. 823. J. C. 70.

teri audebat, neque abnuere poterat: in Vibium Criſpum [1], cujus interrogationibus fatigabatur, ultro converſus, miſcendo quæ defendere nequibat, ſocietate culpæ invidiam declinavit.

XLII. Magnam eo die pietatis eloquentiæque famam Vipſtanius Meſſala adeptus eſt, nondum ſenatoriâ ætate [2], auſus pro fratre Aquilio Regulo [3] deprecari. Regulum ſubverſa Craſſorum & Orphiti domus [4] in ſummum odium extulerat. Sponte ex S. C. [5] accuſationem ſubiiſſe juvenis admodum, nec depellendi periculi, ſed in ſpem potentiæ videbatur. Et Sulpicia Prætextata, Craſſi uxor, quatuorque liberi, ſi cognoſceret ſenatus, ultores aderant. Igitur Meſſala non cauſam, neque reum tueri [6], ſed periculis fratris ſemet opponens, flexerat quoſdam. Occurrit truci oratione Curtius Montanus [7], eò uſque progreſſus, ut, « poſt cædem Galbæ, da»tam interfectori Piſonis pecuniam a Regulo, adpetitumque »morſu Piſonis caput » objectaret. « Hoc certè », inquit, « Nero non coegit, nec dignitatem, aut ſalutem illâ ſævi»tiâ redemiſti. Sanè toleremus iſtorum defenſiones, qui per»dere alios, quàm periclitari ipſi maluerunt. Te ſecurum re»liquerat exſul pater, & diviſa inter creditores bona, non»dum honorum capax ætas: nihil quod ex te concupiſceret »Nero, nihil quod timeret: libidine ſanguinis, & hiatu præ-

[1] Vibium Criſpum ] Hominem famæ magnæ potiùs, quam bonæ; de quo ſuprà Hiſt. II, 10.

[2] Nondum senatoria ætate ] Nondum natus annos quinque & viginti.

[3] Aquilio Regulo ] *Regulus omnium bipedum nequiſſimus, qui ex paupere & tenui ad* maximas *opes per flagitia proceſſit*; de quo plura vide apud Plinium I, Ep. 5. & II, Ep. 20.

[4] Craſſorum et Orphiti domus ] Craſſum Camerinumque, e Craſſorum domo, a Regulo ſub Nerone accuſatos memorat quoque Plinius I, Ep. 5. De Craſſo, Piſonis a Galbâ adoptati fratre, vide Tacitum Hiſt. I, 48. De Scriboniano Camerino vide eumdem Tacitum Hiſt. II, 72. Cornelium Orphitum, conſulem, putidumque adulatorem vidimus Annal. XII, 41. & XVI, 12.

[5] Sponte ex S. C. ] Optimè Illuſtr. Huetius: *accuſationem decrevit ſenatus. Ad eam ſe ſponte obtulit Vipſtanius Meſſala.* Unde breviter, ſed accuratè, Tacitus ſcripſit, *ſponte ex ſenatuſconſulto.* Nec redundat, ut quidam voluere, *ex ſenatuſconſulto*: nec emendandum, ut aliis placuit, *ſponte ex ſe.* Exemplum accuſationis a ſenatu decretæ videre eſt apud Plinium, Ep. II, 11.

[6] Non causam, neque reum tueri ] Bene, & ad mentem Quintiliani, Declam. cccxiii. *Majore cum verecundiâ patronus confitebitur, ſi quid confitendum eſt.*

[7] Curtius Montanus ] Jam memoratus ſuprà Annal. XVI, 28. Juvenalis autem, Satyr. IV, 107.

*Montani quoque venter adeſt abdomine tardus.*

A. U. C. 823. J. C. 70.

»miorum, ignotum adhuc ingenium, & nullis defenſionibus »expertum, cæde nobili imbuiſti: cùm ex funere reipublicæ, »raptis conſularibus ſpoliis [1], ſeptuagies ſeſtertio [2] ſaginatus, »& ſacerdotio fulgens, innoxios pueros, inluſtres ſenes, »conſpicuas feminas eâdem ruinâ poſterneres: cùm ſegnitiam »Neronis incuſares, quòd per ſingulas domos, ſeque & dela»tores fatigaret: poſſe univerſum ſenatum unâ voce ſubverti. »Retinete, patres conſcripti, & reſervate hominem tam ex»pediti conſilii, ut omnis ætas inſtructa ſit; &, quomodo ſe»nes noſtri Marcellum, Criſpum [3], juvenes Regulum imi»tentur. Invênit etiam æmulos infelix nequitia: quid ſi floreat »vigeatque? Et quem adhuc quæſtorium offendere non aude»mus, prætorium & conſularem viſuri ſumus [4]? An Nero»nem, extremum dominorum [5] putatis? Idem crediderant, »qui Tiberio, qui Caio ſuperſtites fuerunt: cùm interim in»teſtabilior [6], & ſævior exortus eſt. Non timemus Veſpaſia»num: ea Principis ætas, ea moderatio. Sed diutiùs durant »exempla, quàm mores [7]. Elanguimus, patres conſcripti; »nec jam ille ſenatus ſumus, qui, occiſo Nerone, delatores »& miniſtros, more majorum puniendos flagitabat. Optimus »eſt, poſt malum Principem, dies primus».

XLIII. Tanto cum aſſenſu ſenatûs auditus eſt Montanus, ut ſpem caperet Helvidius [8], poſſe etiam Marcellum proſterni. Igitur a laude Cluvii Rufi [9] orſus, qui perinde di-

[1] Raptis consularibus spoliis ] Quæſtorius tantùm erat Regulus, ut mox dicetur; ergo nondum acceperat conſulatum, præmium accuſationis, ut vult Lipſius. Conſularia hæc ſpolia intellige de raptis Orphiti, conſularis viri, ſpoliis.

[2] Septuagies sestertio ] Gallicæ monetæ libris, 1,361,908.

[3] Marcellum, Crispum ] Et, quomodo Eprium Marcellum, Vibium Criſpum ſenes noſtri imitati ſunt, ſic juvenes Regulum imitentur.

[4] Visuri sumus ] Tentat Lipſius, *auſuri ſumus*. At rectè eleganterque dictum, *viſuri ſumus*. Prætoriumne & conſularem viſuri ſumus, quem adhuc tantummodo quæſtorium offendere non audemus?

[5] Extremum dominorum ] Nec fuit extremus. Truculentior adhuc Domitianus, *ſub quo non minora flagitia* commiſit Regulus, *quàm ſub Nerone, ſed tectiora*. Plin. I, Ep. 5.

[6] Intestabilior ] Nero. Sic ſuprà Annal. VI, 51, *inteſtabilis ſævitiâ* dictus eſt Tiberius.

[7] Quam mores ] Diutiùs durant peſſima dominorum exempla, quàm optimi Principis mores. Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. IV. 42.

[8] Helvidius ] De Helvidio Priſco & Eprio Marcello jam dictum ſuprà cap. 6.

[9] Cluvii Rufi ] Jam laudati, Hiſt. I, 8.

A. U. C. 823. J. C. 70. ves, & eloquentiâ clarus, nulli umquam ſub Nerone periculum faceſſiſſet, crimine ſimul exemploque Eprium urgebat, ardentibus patrum animis. Quod ubi ſenſit Marcellus, velut excedens curiâ: « Imus », inquit, « Priſce, & relinquimus » tibi ſenatum tuum: regna, præſente Cæſare [1] ». Sequebatur Vibius Criſpus, ambo infenſi, vultu diverſo; Marcellus minacibus oculis, Criſpus renidens [2]; donec accurſu amicorum retraherentur [3]. Cùm gliſceret certamen, hinc multi bonique, inde pauci & validi pertinacibus odiis tenderent, conſumptus per diſcordiam dies.

XLIV. Proximo ſenatu, inchoante Cæſare « de abolen» do dolore irâque, & priorum temporum neceſſitatibus », cenſuit Mucianus prolixè pro accuſatoribus, ſimul eos, qui cœptam, dein omiſſam actionem repeterent, monuit ſermone molli, & tamquam rogaret. Patres cœptatam libertatem, poſtquam obviàm itum [4], omiſere. Mucianus, ne ſperni ſenatûs judicium, & cunctis ſub Nerone admiſſis data impunitas videretur, Octavium Sabinum Sagittam, & Antiſtium Soſianum, ſenatorii ordinis, egreſſos exſilium, in eaſdem inſulas redegit. Octavius Pontiam Poſtumiam, ſtupro cognitam, & nuptias ſuas abnuentem, impotens amoris interfecerat [5]: Soſianus pravitate morum multis exitioſus. Ambo gravi ſenatusconſulto damnati pulſique, quamvis conceſſo aliis reditu, in eâdem pœnâ retenti ſunt. Nec ideo lenita erga Mucianum invidia. Quippe Soſianus [6] ac Sagitta viles, etiam ſi reverterentur: accuſatorum ingenia, & opes, & exercita malis artibus potentia, timebantur.

XLV. Reconciliavit paulliſper ſtudia patrum, habita

[1] Præsente Cæsare ] Cæſare Domitiano. Antea, cap. 8, Marcellus Helvidium monuerat, *ne ſupra Principem ſcanderet.*

[2] Renidens ] Subridens. Sic ſuprà Annal. XV, 66, *renidens Scevinus.*

[3] Retraherentur ] In curiam retraherentur, ne abirent. Sic cùm abiret, curiamque relinqueret L. Piſo, commotus eſt Tiberius, & propinquos ejus impulit, *ut abeuntem auctoritate vel precibus tenerent*, ſuprà Annal. II, 34.

[4] Obviam itum ] Clementiam ſuadentibus Domitiano & Muciano.

[5] Interfecerat ] Rem fuſiùs narratam vide Annal. XIII, 44.

[6] Sosianus ] Antiſtius Soſianus, factitatis in Neronem carminibus probroſis, olim exſilio multatus. Suprà Annal. XIV, 48. & XVI, 14.

in ſenatu cognitio, ſecundùm veterem morem. Manlius Patruitus, ſenator, « pulſatum ſe [1] in colonia Senenſi [2], cœtu » multitudinis, & juſſu magiſtratuum » querebatur : « nec finem injuriæ hìc ſtetiſſe : planctum, & lamenta, & ſupremorum imaginem [3] præſenti ſibi circumdata, cum contumeliis » & probris, quæ in ſenatum univerſum jacerentur [4] ». Vocati, qui arguebantur. Et cognitâ causâ, in convictos vindicatum. Additumque ſenatuſconſultum, quo Senenſium plebes modeſtiæ admoneretur. Iiſdem diebus Antonius Flamma Cyrenenſibus [5] damnatur, lege repetundarum [6], & exſilio ob ſævitiam.

A. U. C. 823. J. C. 70.

XLVI. Inter quæ militaris ſeditio propè exarſit. Prætorianam militiam repetebant a Vitellio dimiſſi, pro Veſpaſiano congregati [7] : & lectus in eamdem ſpem e legionibus miles, promiſſa ſtipendia [8] flagitabat. Ne Vitelliani quidem, ſine multâ cæde, pelli poterant. Ingreſſus caſtra Mucianus, quò rectiùs ſtipendia ſingulorum ſpectaret, ſuis cum inſignibus armiſque victores conſtituit, modicis inter ſe ſpatiis diſcretos. Tum Vitelliani, quos apud Bovillas in deditionem acceptos memoravimus [9], ceterique per Urbem, & Urbi vicina conquiſiti, producuntur propè intecto corpore. « Eos » Mu-

[1] Pulsatum se ] Digeſt. libr. XLVII. Tit. 10. Leg. 5. ex Ulpiano. *Inter pulſationem & verberationem hoc intereſt, ut Ofilius ſcribit : Verberare eſt, cum dolore cædere : pulſare, ſine dolore.*

[2] In colonia Senensi ] Nunc *Sienne en Toſcane.*

[3] Supremorum imaginem ] Funerum imaginem præſenti ſibi, & tamquam defuncto, fuiſſe circumdata.

[4] Jacerentur ] Ut intelligas quâ arte, quâ diligentiâ, quâ brevitate hæc accuſatio ſit expoſita, vide Digeſt. libr. XLVIII. Tit. 10. *De injuriis & famoſis libellis.* Leg. 1 & ſeqq. Agitur de injuriâ, *quòd jure & juſtitiâ caret.* Atrox eſt injuria, *perſonâ* ſenatoris: atrocior, quæ *in conſpectu* cœtuque multitudinis, & mandatu juſſuque magiſtratuum. Injuria illata *re*, quòd pulſatus eſt Patruitus : & lege Corneliâ de injuriis datur actio, *quòd quis pulſatus ſit.* Illata quoque *verbis* injuria, quòd factum ſit *convicium* planctu, lamentis & ſupremorum imagine. Fuit & *contumelia*, fuere probra. Injuria facta pertinet *ad corpus*, *ad dignitatem*, nec in ſenatorem unum, ſed in ſenatum univerſum redundat.

[5] Cyrenensibus ] Accuſantibus Cyrenenſibus. Alios a Cyrenenſibus accuſatos vidimus ſuprà Annal. III, 70. & XIV, 18.

[6] Lege repetundarum ] Damnatus eſt Flamma lege Juliâ repetundarum ob pecunias contra legem acceptas ; & multatus eſt exſilio ob ſævitiam in eâ provinciâ exercitam.

[7] Congregati ] Vide ſuprà Hiſt. II, 67.

[8] Stipendia ] De ſtipendiis prætorianæ militiæ dictum ſuprà Annal. I, 17. not. 8.

[9] Memoravimus ] Suprà cap. 2.

A. U. C. 823. J. C. 70.

cianus « diduci, & Germanicum Britannicumque militem, » ac ſi qui aliorum exercituum, ſeparatim adſiſtere » jubet. Illos primus ſtatim aſpectus obſtupefecerat; cùm ex diverſo, velut aciem telis & armis trucem, ſemet clauſos, nudoſque, & inluvie deformes, aſpicerent. Ut vero huc illuc diſtrahi cœpere, metus per omnes, & præcipua Germanici militis [1] formido, tamquam eâ ſeparatione ad cædem deſtinarentur: prenſare commanipularium pectora, cervicibus innecti, ſuprema oſcula petere, « ne deſererentur ſoli, neu in pari causâ diſ» parem fortunam paterentur »: modo Mucianum, modo abſentem Principem, poſtremùm cælum ac deos obteſtari: donec Mucianus, « cunctos ejuſdem ſacramenti, ejuſdem Imperato» ris milites » appellans, falſo timori obviàm iret. Namque & victor exercitus clamore lacrimas eorum juvabat. Iſque finis illâ die. Paucis pòſt diebus, adloquentem Domitianum firmati jam excepere. Spernunt oblatos agros; « militiam & ſtipen» dia [2] » orant. Preces erant, ſed quibus contradici non poſſet: igitur in prætorium accepti. Dein, quibus ætas & juſta ſtipendia, dimiſſi cum honore, alii ob culpam; ſed carptim, ac ſinguli: quo tutiſſimo remedio, conſenſus multitudinis extenuatur.

XLVII. Ceterum verâne pauperie, an utì videretur, actum in ſenatu, « ut ſexcenties ſeſtertiùm [3] a privatis mutuum » acciperetur ». Præpoſituſque ei curæ Pompeius Silvanus [4]: nec multò pòſt neceſſitas abiit, ſive omiſſa ſimulatio. Abrogati inde, legem ferente [5] Domitiano, conſulatus, quos Vitellius dederat. Funuſque cenſorium [6] Flavio Sabino [7] ductum: magna documenta inſtabilis fortunæ, ſummaque & ima miſcentis.

XLVIII. Sub idem tempus L. Piſo, proconſul, interficitur:

[1] Germanici militis ] Ob ſuam in Vitellium fidem.

[2] Militiam et stipendia ] Militiam prætorianam ejuſque ſtipendia. Inde mox dicuntur *in prætorium accepti.*

[3] Sexcenties sestertium ] Gallicæ monetæ libræ ſunt 11,673,015.

[4] Pompeius Silvanus ] Jam memoratus ſuprà Hiſt. II, 86.

[5] Legem ferente ] Pro ſuo conſulari imperio, de quo ſuprà cap. 3.

[6] Funusque censorium ] De hoc funere jam dictum ſupra Annal. IV, 15.

[7] Flavio Sabino ] Veſpaſiani fratri.

eâ

eâ de cæde quàm veriſſimè expediam, ſi pauca ſuprà petiero, ab initio cauſiſque talium facinorum non abſurda. Legio in Africâ auxiliaque, tutandis imperii finibus, ſub divo Auguſto Tiberioque Principibus, proconſuli parebant. Mox Caius Cæſar [1], turbidus animi, ac M. Silanum [2], obtinentem Africam, metuens, ablatam proconſuli legionem, miſſo in eam rem legato tradidit: æquatus inter duos beneficiorum numerus [3], & mixtis utriuſque mandatis, diſcordia quæſita auctaque pravo certamine. Legatorum jus adolevit, diuturnitate officii, vel quia minoribus major æmulandi cura: proconſulum ſplendidiſſimus quiſque, ſecuritati magis, quàm potentiæ conſulebant.

A. U. C. 823. J. C. 70.

XLIX. SED tum legionem [4] in Africâ regebat Valerius Feſtus [5], ſumptuoſæ adoleſcentiæ, neque modica cupiens, & adfinitate Vitellii anxius. Is crebris ſermonibus tentaveritne Piſonem ad res novas, an tentanti reſtiterit, incertum; quoniam ſecreto eorum nemo adfuit, &, occiſo Piſone, plerique ad gratiam interfectoris inclinavere. Nec ambigitur provinciam, & militem, alienato erga Veſpaſianum animo fuiſſe; & quidam e Vitellianis, Urbe profugi, oſtentabant Piſoni « nutantes Gallias, paratam Germaniam, pericula ip»ſius, & in pace ſuſpectâ tutius bellum ». Inter quæ Clau-

[1] CAIUS CÆSAR] Caligula. Vide Supplementum Annal. VIII, 21.

[2] M. SILANUM] Quis ſit hic M. Silanus, incertum, ob incuriam Dionis LIX. pag. 656, de L. Piſone, quæ ad M. Silanum pertinent, narrantis. Præterea nec is M. Silanus idem eſſe videtur, qui ſocer fuit Caii, quemque interemptum a Caio diximus in Supplemento Annal. VII, 23. Vix enim conſtant tempora: quod non ſatis animadvertit eruditus Reimarus in Notis ad Dionem pag. 656. not. 220. Potiùs crediderim fuiſſe M. Silani filium.

[3] BENEFICIORUM NUMERUS] Beneficia intellige de militiæ gradibus, ad quos proconſul, legatuſve, promovebant. Diviſus eſt & æquatus beneficiorum illorum numerus inter proconſulem & legatum; & mixtis utriuſque mandatis, quæſita diſcordia, auctaque pravo certamine. Jus tamen legatorum adolevit, vel quia minoribus major eſt æmulandi cura, vel ipſa diuturnitate officii. Legati enim per plures annos dignitatem obtinebant: proconſules verò ſæpe annui; & ſplendidiſſimus quiſque ſecuritati magis, quàm potentiæ conſulebant. De beneficiis & beneficiariis plura dicentur in Notis & Emendationibus ad Hiſt. IV, 48.

[4] LEGIONEM] Tertiam fuiſſe legionem diximus in Notis & Emendationibus, ad Hiſt. II, 6.

[5] VALERIUS FESTUS] De quo Plinius III, Ep. 7. *Nuper Lucius Piſo, pater Piſonis illius, qui a Valerio Feſto per ſummum facinus in Africâ occiſus eſt, dicere ſolebat: Neminem ſe vidiſſe in ſenatu, quem conſul ipſe ſententiam rogaviſſet.*

A. U. C. 823. J. C. 70.

dius Sagitta, præfectus alæ Petrinæ [1], proſperâ navigatione prævenit Papirium, centurionem, a Muciano miſſum: adſeveravitque « mandata interficiendi Piſonis, centurioni data. » Cecidiſſe Galerianum [2], conſobrinum ejus generumque. Unam » in audaciâ ſpem ſalutis. Sed duo itinera audendi; ſeu mallet » ſtatim arma, ſeu, petitâ navibus Galliâ, ducem ſe Vitellia» nis exercitibus oſtenderet ». Nihil ad ea moto Piſone, centurio a Muciano miſſus, ut portum Carthaginem attigit, magnâ voce, læta Piſoni omina, tamquam Principi, continuare; obvios & ſubitæ rei miraculo attonitos, ut eadem adſtreperent, hortari: vulgus credulum, ruere in forum, « præſen» tiam Piſonis » expoſcere. Gaudio clamoribuſque cuncta miſcebant, indiligentiâ veri, & adulandi libidine. Piſo, indicio Sagittæ, vel inſitâ modeſtiâ, non in publicum egreſſus eſt, neque ſe ſtudiis vulgi permiſit. Centurionemque percunctatus, poſtquam « quæſitum ſibi crimen [3] cædemque » comperit: « animadverti in eum » juſſit, haud perinde ſpe vitæ, quàm irâ in percuſſorem, quòd idem ex interfectoribus Clodii Macri [4], cruentas legati ſanguine manus, ad cædem proconſulis retuliſſet. Anxio deinde edicto Carthaginienſibus increpitis, ne ſolita quidem munia uſurpabat, clauſus intra domum, ne qua motûs novi cauſa vel fortè oriretur.

L. Sed ubi Feſto conſternatio vulgi [5], centurionis ſupplicium, veraque & falſa, more famæ, in majus innotuere, equites in necem Piſonis mittit. Illi raptim vecti, obſcuro adhuc cœptæ lucis; domum proconſulis inrumpunt, deſtrictis gladiis, & magna pars Piſonis ignari, quòd Pœnos auxiliares, Mauroſque in eam cædem delegerat: haud procul cubi-

[1] Alæ Petrinæ ] De quâ dictum ſuprà in Notis & Emendationibus ad Annal. XI, 4.

[2] Galerianum ] *Calpurnium Galerianum*; cujus cædem vidimus ſuprà cap. 11.

[3] Quæſitum ſibi crimen ] Quæſitum ſibi rerum novarum crimen, juſtamque cædis cauſam. Exiſtimaverat centurio Piſonem, principatûs avidum, læta omina ultro excepturum, mortemque hac rebellione arceſſiturum.

[4] Clodii Macri ] De quo ſuprà Hiſt. I, 7.

[5] Conſternatio vulgi ] Hæc ne accipias de pavore, ſed de concurſu & acclamationibus vulgi, Piſonem Principem ſalutantis. Eodem ſenſu Valerius Maximus VIII, 9. num. 1. dixit: *Verbis ergo facundis ira, conſternatio, & arma ceſſerunt.*

A. U. C. 823. J. C. 70.

culo, obvium fortè ſervum, « quiſnam, & ubi eſſet Piſo »? interrogavere. Servus, egregio mendacio, « ſe Piſonem eſſe » reſpondit; ac ſtatim obtruncatur: nec multo poſt, Piſo interficitur. Namque aderat, qui noſceret, Bebius Maſſa, e procuratoribus Africæ, jam tunc optimo cuique exitioſus, & in cauſas malorum, quæ mox tulimus, ſæpius rediturus[1]. Feſtus Adrumeto[2], ubi ſpeculabundus ſubſtiterat, ad legionem contendit, præfectumque caſtrorum, Cetronium Piſanum, vinciri juſſit, proprias ob ſimultates; ſed « Piſonis ſatellitem » vocabat: militeſque & centuriones quoſdam puniit, alios præmiis adfecit: neutrum ex merito, ſed ut oppreſſiſſe bellum crederetur. Mox Oeenſium Leptitanorumque[3] diſcordias componit, quæ, raptu frugum & pecorum inter agreſtes, modicis principiis, jam per arma atque acies exercebantur. Nam populus Oeenſis, multitudine inferior, Garamantas exciverat, gentem indomitam[4], & inter accolas latrociniis fecundam. Unde arctæ Leptitanis res, latéque vaſtatis agris, intra mœnia trepidabant: donec interventu cohortium alarumque fuſi Garamantes, & recepta omnis præda, niſi quam vagi per inacceſſa mapalium[5] ulterioribus vendiderant.

LI. At Veſpaſiano, poſt Cremonenſem pugnam, & proſperos undique nuntios, « cecidiſſe Vitellium », multi cujuſque ordinis, pari audaciâ fortunâque hibernum mare adgreſſi, nuntiavere. Aderant legati regis Vologeſi, « quadraginta Par- »thorum equitum[6] millia » offerentes. Magnificum lætumque

[1] Sæpius rediturus ] Memoratur infrà in Vit. Agric. XLV.

[2] Adrumeto ] Urbe Africæ, de quâ jam dictum ſuprà Annal. XI, 21.

[3] Oeensium Leptitanorumque ] Bellum illud memorat Plinius V, 5. *Ad Garamantas iter inexplicabile adhuc fuit. Proximo bello, quod cum Oeenſibus Romani geſſere, initiis Veſpaſiani Imperatoris, compendium viæ quatridui deprehenſum eſt.* De Leptitanis & Garamantibus jam dictum ſuprà Annal. III, 74. *Oeenſis civitas* inter duas Syrtes memoratur a Plinio V, 4. Ibi fuit Oea, urbs Epiſcopalis, nunc *Tripoli.*

[4] Indomitam ] Olim tamen triumphatam a Cornelio Balbo, Plin. V, 5. *Clariſſimum oppidum Garama, nunc Gherma, caput Garamantum, omnia armis Romanis ſuperata, & a Cornelio Balbo triumphata: uni huic omnium externo curru & Quiritium jure donato: quippe Gadibus genito civitas Romana cum Balbo majore patruo data eſt.*

[5] Mapalium ] De his mapalibus vide Annal. III, 74.

[6] Parthorum equitum ] Ita quoque Suetonius in Veſpaſ. VI. *Vologeſus Parthus promiſit quadraginta millia ſagittariorum.*

A. U. C. 823. J. C. 70.

tantis ſociorum auxiliis ambiri, neque indigere. Gratiæ Vologeſo actæ, mandatumque, « ut legatos ad ſenatum mitte»ret, & pacem eſſe ſciret ». Veſpaſianus in Italiam, reſque Urbis intentus, adverſam de Domitiano famam accipit; « tam»quam terminos ætatis, & conceſſa filio [1] egrederetur ». Igitur validiſſimam exercitûs partem Tito tradit, ad reliqua Judaici belli [2] perpetranda.

LII. Titum, antequam digrederetur, multo apud patrem ſermone oraſſe dicebatur, « ne criminantium nuntiis temere »accenderetur; integrumque ſe ac placabilem filio præſtaret. »Non legiones, non claſſes, perinde firma imperii munimen»ta, quàm numerum liberorum. Nam amicos tempore, for»tunâ, cupidinibus aliquando, aut erroribus, imminui, trans»ferri, deſinere: ſuum cuique ſanguinem indiſcretum [3], ſed »maximè Principibus; quorum proſperis & alii fruantur, ad»verſa ad junctiſſimos pertineant: ne fratribus quidem man»ſuram concordiam, ni parens exemplum præbuiſſet ». Veſpaſianus, haud æquè Domitiano mitigatus, quàm Titi pietate gaudens, « bono eſſe animo » jubet, « belloque & armis »rempublicam attolere: ſibi pacem domumque curæ fore ». Tum celerrimas navium, frumento onuſtas, ſævo adhuc mari committit. Quippe tanto diſcrimine Urbs nutabat, ut decem haud amplius dierum frumentum in horreis fuerit, cùm a Veſpaſiano commeatus ſubvenere [4].

LIII. Curam reſtituendi Capitolii [5] in L. Veſtinum [6] confert, equeſtris ordinis virum, ſed auctoritate famàque inter proceres. Ab eo contracti haruſpices, monuere, « ut re-

[1] Concessa filio ] Stupris, adulteriis, libidine, filium Principis, Principemque agebat Domitianus. Vide ſuprà Hiſt. IV, 2 & 39.

[2] Reliqua Judaici Belli ] Quæ narrabuntur infrà Hiſt. V.

[3] Indiscretum ] Qui diſcerni, id eſt, alienari non poteſt; ut rectè explicat Illuſtr. Huetius.

[4] Commeatus subvenere ] Inde in tot nummis Veſpaſiani, hoc anno cuſis, ANNONA AVG. CERES AVG. *Annona Auguſta. Ceres Auguſta.*

[5] Restituendi Capitolii ] De hac Capitolii reſtitutione plura erunt dicenda, ut Tacitus, Suetonius, Plutarchus, ac Dio inter ſe concilientur. Itaque vide Notas & Emendationes ad Hiſt. IV, 53.

[6] L. Vestinum ] Cujus laudes vide in æreâ Claudii tabulâ, editâ in Notis & Emendation. ad Annal. XI, 24.

» liquiæ prioris delubri in paludes [1] aveherentur: templum iiſ- A. U. C.
» dem veſtigiis ſiſteretur: nolle deos mutari veterem formam ». 823.
Undecimo [2] Calendas Julias, ſerenâ luce, ſpatium omne J. C.
quod templo dicabatur, evinctum vittis coronîſque. Ingreſſi 70.
milites, quis fauſta nomina [3], felicibus ramis [4]: dein virgines Veſtales, cum pueris puelliſque patrimis matrimiſque [5], aquâ, vivis e fontibus amnibuſque hauſtâ, perluêre [6]. Tum Helvidius Priſcus, prætor, præeunte [7] Plautio Æliano [8], pontifice, luſtratâ ſuovetaurilibus [9] areâ, & ſuper ceſpitem redditis extis [10], « Jovem, Junonem, Minervam [11], præſideſque impe-

[1] In paludes ] In paludes Oſtienſes; ut ſuprà Annal. XV, 43.

[2] Undecimo ] Die 21 Junii.

[3] Fausta nomina ] Ut futuræ proſperitatis forent auguria. Inde Cicero de Divinatione I, 102. *Cùm imperator exercitum, cenſor populum luſtraret, bonis nominibus qui hoſtias ducerent eligebantur: quod idem in delectu conſules obſervant, ut primus miles fiat bono nomine.* Et Plinius XXVIII, 2. Sect. 5. *Cur publicis luſtris etiam nomina victimas ducentium proſpera eligimus?* Eumdem uſum teſtatur & explicat Feſtus, *Lacus Lucrinus in vectigalibus publicis primus locatur fruendus, ominis boni gratiâ: ut in delectu cenſuve primi nominantur Valerius, Salvius, Statorius.*

[4] Felicibus ramis ] Verbenacæ maximè, Gallicè *la Verveine*, felicis arboris. Sic quoque in ſacris memoratur ab Ammiano Marcellino XXIX, 3. *Verbenas felicis arboris geſtans.* Et, teſte Plinio XXV, 9. *Nulla tamen Romanæ nobilitatis plus habet, quam hierabotane... Noſtri verbenacam vocant. Hæc eſt, quam legatos ferre ad hoſtes indicavimus. Hac Jovis menſa verritur, domus purgantur luſtranturque.* Fortè quoque virgas laureas tenuere; quarum meminit Ovidius, Faſtorum V, 677.

*Uda fit hinc laurus, lauro ſparguntur ab udâ*
*Omnia, quæ dominos ſunt habitura novos.*

[5] Pueris puelliſque patrimis matrimisque ] Pueri flaminii, puellæ flaminiæ, quorum patres matreſque adhuc vivebant. Feſtus: *Flaminia dicebatur ſacerdotula, quæ flaminicæ Diali præminiſtrabat, eaque patrimes & matrimes erat, id eſt, patrem matremque adhuc vivos habebat... Flaminius Camillus puer dicebatur ingenuus patrimes & matrimes, qui flamini Diali præminiſtrabat.*

[6] Perluere ] Mallet eruditus Antonius Auguſtinus *perpluêre*. Quod longiùs arceſſitum, nec ex uſu Taciti opinor. Minimè diſplicet *perluêre*; ſeu roralem aquam miſerint; quo de uſu Tertullianus, de Baptiſmo, cap. 5. *Villas, domos, templa, totaſque urbes aſpergine circumlatæ aquæ expiant paſſim*; ſeu vivis fontibus amnibuſque largiùs perfuderint, ut apud Livium I, 45, *quin tu antè vivo perfunderis flumine.*

[7] Præeunte ] Quo de uſu Plinius XXVIII, 2. *Vidimus certis precationibus obſecraſſe ſummos magiſtratus: & ne quid verborum prætereatur, aut præpoſterum dicatur de ſcripto præire.* Sic de Claudio, Sueton. in Claud. XXII. *Obſervavit ſedulò... ut dirâ avi in Urbe, aut Capitolio, viſâ, obſecratio haberetur, eamque ipſo jure maximi Pontificis, commonito pro roſtris populo, præiret, ſubmotâque operariorum ſervorumque turbâ.*

[8] Plautio Æliano ] Exſtat adhuc Plautii Æliani inſigne monumentum, quod vide in Notis & Emendationibus ad Hiſt. IV, 53.

[9] Suovetaurilibus ] De quibus jam dictum Annal. VI, 37.

[10] Redditis extis ] *Reddita exta* dicuntur, quòd inſpecta probataque ab haruſpicibus extiſpicis, ſacrificulis redderentur, aræque ſuperponerentur.

[11] Junonem, Minervam ] Juno ac Minerva cellas habebant in templo Jovis Capitolini.

A. U. C. 823. J. C. 70.

»rii deos » precatus « uti cœpta proſperarent, ſedeſque ſuas, »pietate hominum inchoatas, divinâ ope attollerent », vittas, quibus ligatus lapis, innexique funes erant, contigit. Simul ceteri magiſtratus, & ſacerdotes, & ſenatus, & eques, & magna pars populi, ſtudio lætitiâque connixi, ſaxum ingens traxere: paſſimque injectæ fundamentis argenti aurique ſtipes [1], & metallorum primitiæ, nullis fornacibus victæ, ſed ut gignuntur. Prædixere haruſpices, ne temeraretur opus ſaxo aurove, in aliud deſtinato. Altitudo ædibus adjecta [2]. Id ſolum religio adnuere: & prioris templi magnificentiæ [3] defuiſſe creditum, quo tanta vis hominum retinenda erat.

LIV. Audita interim per Gallias Germaniaſque mors Vitellii duplicaverat bellum. Nam Civilis, omiſsâ diſſimulatione, in populum Romanum ruere. Vitellianæ legiones vel externum ſervitium, quàm Imperatorem Veſpaſianum malle. Galli ſuſtulerant animos, eamdem ubique exercituum noſtrorum fortunam rati: vulgato rumore, « a Sarmatis Daciſque »Mœſica ac Pannonica hiberna circumſideri »: paria de Britanniâ ſingebantur. Sed nihil æquè, quàm incendium Capitolii, ut finem imperio adeſſe crederent, impulerat. « Captam »olim a Gallis Urbem; ſed integrâ Jovis ſede, manſiſſe im»perium. Fatali nunc igne, ſignum cæleſtis iræ datum, & »poſſeſſionem rerum humanarum Tranſalpinis gentibus por»tendi », ſuperſtitione vanâ Druidæ canebant [4]. Inceſſeratque

[1] Argenti aurique stipes ] Seneca de Beneficiis VII, 4. *[illegible] ſunt: tamen & diis [illegible], & ſtipem jecimus.* Idem Quæſt. Natur. IV, 2. *In hac Nili [illegible], & aurea dona præfecti, cùm ſollemne venit ſacrum, jaciunt.* Alias ſtipes vidimus ſuprà Annal. XIV, 15.

[2] [illegible] adjecta ] Id unum mutatum, ut altiores forent novæ ædes.

[3] Magnificentiæ ] Ut intelligatur quanta fuerit hæc magnificentia, plura de templo Capitolino ſunt dicenda. Nec inutile erit illud cum celeberrimis templis conferre. Itaque vide Notas & Emendationes ad Hiſt. IV, 53.

[4] Druidæ canebant ] Tiberius Druidas Gallorum ſuſtulerat; Plin. XXX, 1. num. 4. Eorum religionem diræ immanitatis penitus aboleverat Claudius, Sueton. in Claud. XXV. Videntur ergo in Gallias revertiſſe, aut cùm Nero magicis vanitatibus eſſet deditus, aut cùm ſævirent bella civilia. Ex Britanniâ rediere, ubi quàm maximè viguit hæc ſuperſtitio, de quà jam dictum eſt Annal. XIV, 30. Si plura volueris, adi eruditum Borlaſſe, *Obſervations on the antiquities of the County of Cornwall.* Ibi originem, doctrinam, fata, monumentaque Druidarum fusè proſequitur.

fama primores Galliarum, ab Othone adverſus Vitellium miſſos, antequam digrederentur, pepigiſſe, « ne deeſſent libertati, ſi populum Romanum continua bellorum civilium ſeries & interna mala fregiſſent ».

A. U. C. 823. J. C. 70.

LV. Ante Flacci Hordeonii cædem [1] nihil prorupit, quo conjuratio intelligeretur. Interfecto Hordeonio, commeavere nuntii inter Civilem Claſſicumque, præfectum alæ Treverorum. Claſſicus nobilitate opibuſque ante alios: regium illi genus, & pace belloque clara origo. Ipſe, e majoribus ſuis [2], hoſtis populi Romani, quàm ſocius [3], jactabat. Miſcuere ſeſe Julius Tutor, & Julius Sabinus; hic Trevir, hic Lingon [4]. Tutor, ripæ Rheni a Vitellio præfectus: Sabinus, ſuper inſitam vanitatem, falſæ ſtirpis gloriâ incendebatur, « proaviam ſuam divo Julio, per Gallias bellanti, corpore atque adulterio placuiſſe ». Hi ſecretis ſermonibus animos ceterorum ſcrutari: ubi, quos idoneos rebantur, conſcientiâ obſtrinxere, in coloniâ Agrippinenſi [5], in domum privatam conveniunt: nam publicè civitas talibus inceptis abhorrebat. Attamen interfuere quidam Ubiorum, Tungrorumque [6]. Sed plurima vis penes Treveros, ac Lingonas. Nec tulere moras conſultandi: certatim proclamant, « furere diſcordiis populum Romanum, cæſas legiones, vaſtatam Italiam, capi cùm maximè Urbem, omnes exercitus ſuis quemque bellis detineri: ſi Alpes præſidiis firmentur, coalitâ libertate, diſpecturas Gallias, quem virium ſuarum terminum velint ».

LVI. Hæc dicta pariter, probataque [7]: de reliquiis Vi-

[1] Hordeonii cædem ] De quâ ſuprà cap. 36.

[2] E majoribus suis ] Mallet Illuſtr. Huetius, *a majoribus ſuis.*

[3] Quam socius, jactabat ] Hoſtem ſe populi Romani potiùs, quàm ſocium, jactabat. Ἑλληνικῶς autem dictum, *hoſtis*, *ſocius*: ut apud Virgil. Æneid. II, 377.

*Senſit medios delapſus in hoſtes.*

[4] Hic Lingon ] *Hic* geminatur. Pariter Virgilius Eclog. IV, 55.

*Non me carminibus vincet, nec Thracius Orpheus,*
*Non Linus; huic mater quamvis, atque huic pater adſit.*

Trevir, *de Treves:* Lingon, *de Langres.*

[5] Colonia Agrippinensi ] Nunc *Cologne.*

[6] Ubiorum, Tungrorumque ] Ubii, *la cité de Cologne.* Tungri, *la cité de Tongres.*

[7] Probataque ] Merito dixit Cæſar, Bell. Gall. III, 10. *Omnes fere Gallos novis rebus ſtudere, & ad bellum mobiliter, celeriterque excitari.*

A. U. C. 823. J. C. 70.

telliani exercitûs dubitavere. Plerique « interficiendos » cenſebant, « turbidos, infidos, ſanguine ducum pollutos ». Vicit ratio parcendi: « ne, ſublatâ ſpe veniæ, pertinaciam accenderent. Alliciendos potiùs in ſocietatem: legatis tantùm legionum interfectis, ceterum vulgus, conſcientiâ ſcelerum, & ſpe impunitatis, facilè acceſſurum ». Ea primi conſilii forma: miſſique per Gallias concitores belli. Simulatum ipſis obſequium, quò incautiorem Voculam [1] opprimerent. Nec defuere, qui Voculæ nuntiarent. Sed vires ad coercendum deerant, infrequentibus infidiſque legionibus. Inter ambiguos milites, & occultos hoſtes, optimum e præſentibus ratus, mutuâ diſſimulatione, & iiſdem, quibus petebatur, artibus graſſari, in coloniam Agrippinenſem deſcendit. Illuc Claudius Labeo, quem captum & extra conventum amandatum in Friſios diximus [2], corruptis cuſtodibus perfugit: pollicituſque, « ſi præſidium daretur, iturum in Batavos, & potiorem civitatis partem ad ſocietatem Romanam retracturum »: acceptâ peditum equitumque modicâ manu, nihil apud Batavos auſus, quoſdam Nerviorum Betaſiorumque [3] in arma traxit. Et furtim magis, quàm bello, Canninefates Marſacoſque [4] incurſabat. Vocula, Gallorum fraude inlectus, ad hoſtem contendit.

LVII. Nec procul Veteribus [5] aberat, cùm Claſſicus & Tutor, per ſpeciem explorandi prægreſſi, cum ducibus Germanorum pacta firmavere. Tumque primùm diſcreti a legionibus, proprio vallo caſtra ſua circumdant, obteſtante Voculâ, « Non adeò turbatam civilibus armis rem Romanam, ut Treveris etiam Lingonibuſque deſpectui ſit. Supereſſe fidas

[1] Voculam ] De quo ſuprà cap. 25 & ſeqq.

[2] Diximus ] Suprà cap. 18.

[3] Nerviorum Betasiorumque ] Nervii, *le Hainau*. Betaſii, *le Brabant*; ubi adhuc vicus *Bers*, teſte Bucherio *Belgium Romanum*, pag. 184. In veteri Inſcriptione apud Gruterum, pag. dxx. num. 9. CIVES BETASII.

[4] Marsacosque ] Marſaci Canninefatibus fuere contermini, & Oceano proximi. Eam ſeptemtrionalis Hollandiæ, *la Nord-Hollande*, partem tenuere, ubi nunc oppida *Harlem*, *Alkmar*, &c. Veteriſque nominis memoria exſtat adhuc in *Marſdiep*, teſte Cl. Alting, *Notit. Germ. Inf.* pag. 93. Meminit quoque *Marſaciorum* Plinius, IV, 15.

[5] Veteribus ] *Santen*, ut ſæpe dictum eſt.

provincias,

A. U. C. 823. J. C. 70.

»provincias, victores exercitus, fortunam imperii, & ultores »deos. Sic olim, Sacrovirum [1] & Æduos, nuper, Vindicem »Galliasque ſingulis prœliis concidiſſe. Eadem rurſus numina, »eadem ſata, ruptores fœderum exſpectarent. Melius divo Ju»lio, divoque Auguſto notos eorum animos [2]. Galbam, & »infracta tributa, hoſtiles ſpiritus induiſſe. Nunc hoſtes, quia »molle ſervitium: cùm ſpoliati exutique fuerint, amicos fo»re ». Hæc ferociter locutus, poſtquam perſtare in perfidiâ Claſſicum Tutoremque videt, verſo itinere, Noveſium [3] concedit. Galli, duûm millium ſpatio diſtantibus campis, conſedère. Illuc commeantium centurionum militumque emebantur animi, ut (flagitium incognitum) Romanus exercitus in externa verba jurarent, pignuſque tanti ſceleris, nece aut vinculis legatorum daretur. Vocula, quamquam plerique fugam ſuadebant, audendum ratus, vocatâ concione, in hunc modum diſſeruit.

LVIII. « Numquam apud vos verba feci, aut pro vo»bis ſollicitior, aut pro me ſecurior. Nam mihi exitium pa»rari, libens audio; mortemque in tot malis hoſtium [4] ut finem »miſeriarum [5] exſpecto. Veſtri me pudet miſeretque, adver»sùs quos non prœlium & acies parantur; id enim fas armo»rum, & jus hoſtium: bellum cum populo Romano veſtris »ſe manibus geſturum Claſſicus ſperat: imperiumque & ſa»cramentum Galliarum oſtentat. Adeò nos [6], ſi fortuna in præ»ſens virtuſque deſeruit, etiam vetera exempla deficiunt, quo»tiens Romanæ legiones perire præoptaverint, ne loco pelle»rentur? Socii ſæpe noſtri, exſcindi urbes ſuas, ſeque cum »conjugibus ac liberis cremari pertulerunt; neque aliud pre-

[1] Sacrovirum ] De Sacroviro & Æduis vide Annal. III, 46. De Vindice & Galliis vide Supplementum Annal. XVI, 66 & ſeqq.

[2] Notos eorum animos ] Meliùs divo Julio, divoque Auguſto notos eorum animos, qui non niſi ſeverâ dominatione flecterentur: Galbæ manſuetudinem, & imminuta ab eo tributa, hoſtiles ſpiritus eis addidiſſe. Tributi levamentum vidimus Hiſt. I, 8.

[3] Novisium ] Nunc *Nuis*; ut ſupra cap. 26.

[4] Malis hostium ] *Quæ malis hoſtes creant*; ut rectè explicat illuſtr. Huetius.

[5] Finem miseriarum ] Verè quoque Salluſtius, Catil. LI. *In luctu atque miſeriis mortem ærumnarum requiem, non cruciatum eſſe.*

[6] Nos ] Meliùs fortè, vos.

A. U. C. 823. J. C. 70.

»tium exitûs, quàm fides famaque. Tolerant cum maximè inopiam obſidiumque apud Vetera legiones, nec terrore aut promiſſis demoventur. Nobis, ſuper arma & viros, & egregia caſtrorum munimenta, frumentum & commeatus quamvis longo bello pares. Pecunia nuper etiam donativo [1] ſuffecit; quod ſive a Veſpaſiano, ſive a Vitellio datum interpretari mavultis, ab Imperatore certè Romano accepiſtis. Tot bellorum victores, apud Geldubam [2], apud Vetera, fuſo totiens hoſte, ſi pavetis aciem, indignum id quidem: ſed eſt vallum murique, & trahendi artes, donec e proximis provinciis auxilia exercituſque concurrant. Sanè ego diſpliceam: ſunt alii legati, tribuni, centurio denique, aut miles. Ne hoc prodigium toto terrarum orbe vulgetur, vobis ſatellitibus, Civilem & Claſſicum Italiam invaſuros. An ſi ad mœnia Urbis Germani Gallique duxerint, arma patriæ inferetis? Horret animus tanti flagitii imagine. Tutori Trevero agentur excubiæ? Signum belli Batavus dabit? Germanorum catervas ſupplebitis? quis deinde ſceleris exitus? cum Romanæ legiones contrà direxerint: transfugæ e transfugis, & proditores e proditoribus, inter recens & vetus ſacramentum inviſi deis errabitis? Te, Jupiter optime, maxime, quem per octingentos viginti annos tot triumphis coluimus; te, Quirine, Romanæ parens Urbis, precor veneror que, ut ſi vobis non fuit cordi, me duce hæc caſtra incorrupta & intemerata ſervari, at certè pollui fœdarique a Tutore & Claſſico ne ſinatis. Militibus Romanis aut innocentiam detis, aut maturam, & ſine noxâ pœnitentiam».

LIX. Varie excepta oratio inter ſpem, metumque, ac pudorem. Digreſſum Voculam, & de ſupremis agitantem, liberti ſervique prohibuere fœdiſſimam mortem [3] ſponte prævenire. Et Claſſicus, miſſo Æmilio Longino, deſertore primæ legionis, cædem ejus maturavit. Herennium & Numi-

[1] Donativo] De quo ſupra cap. 36.

[2] Geldubam] Vide ſupra cap. 26, 32 & ſeqq.

[3] Fœdiſſimam mortem] Fœdiſſimam vocat mortem, quæ deſertoris proditoriſque manu obvenit; ut rectè explicat Pichena.

A. U. C. 823. J. C. 70.

ſuum, legatos, vinciri, ſatis viſum. Dein, ſumptis Romani imperii inſignibus [1], in caſtra venit. Nec illi, quamquam ad omne facinus durato, verba ultrà ſuppeditavere, quàm ut ſacramentum recitaret. Juravere qui aderant, « pro imperio Galliarum ». Interfectorem Voculæ, altis ordinibus [2], ceteros, ut quiſque flagitium navaverat, præmiis attollit. Diviſæ inde inter Tutorem & Claſſicum curæ. Tutor, validâ manu circumdatos Agrippinenſes, quantumque militum apud ſuperiorem Rheni ripam, in eadem verba adigit, occiſis Mogontiaci tribunis, pulſo caſtrorum præfecto, qui detrectaverant. Claſſicus corruptiſſimum quemque e deditis « pergere ad obſeſſos [3] » jubet, « veniam oſtentantes, ſi præſentia ſequerentur; aliter, nihil ſpei: famem, ferrumque, & extrema paſſuros ». Adjecere qui miſſi erant, exemplum ſuum.

LX. Obsessos hinc fides, inde egeſtas, inter decus ac flagitium diſtrahebant. Cunctantibus ſolita inſolitaque alimenta deerant; abſumptis jumentis equiſque, & ceteris animalibus, quæ profana fœdaque in uſum neceſſitas vertit. Virgulta poſtremò, & ſtirpes, & internatas ſaxis [4] herbas vellentes, miſeriarum patientiæque documentum fuere; donec egregiam laudem fine turpi macularent, miſſis ad Civilem legatis « vitam » orantes. Neque antè preces admiſſæ, quàm in verba Galliarum jurarent. Tum pactus [5] « prædam caſtrorum », dat cuſtodes, qui pecuniam, calones, ſarcinas retentarent, ac qui ipſos leves [6] abeuntes proſequerentur. Ad quintum fere lapidem coorti Germani, incautum agmen adgrediuntur. Pugnaciſſimus quiſque in veſtigio; multi palantes occubuere: ceteri

[1] Romani imperii insignibus ] Hæc de aquilis, vexillis, ceteriſque Romani exercitûs ſignis, quæ ſecum ſumpſit Claſſicus, dicta vult Pichena. Contrà, & probabiliter, exiſtimat Cl. Erneſtus Claſſicum lictores, faſces, quæ ſunt Romani imperii inſignia, ſumpſiſſe. Ceterùm non inceſſit, tamquam Imperator. Juratum enim pro imperio Galliarum.

[2] Altis ordinibus ] Ad primos militiæ gradus evexit.

[3] Ad obsessos ] Ad legiones, quæ inopiam obſidiumque in Veteribus caſtris, *Santen*, tolerabant.

[4] Internatas saxis ] Sic quoque Columella, II, 12. *Internatæ herbæ fœno reſerventur.*

[5] Tum pactus ] Tum Civilis pactus prædam, &c.

[6] Ipsos leves ] Sine pecuniâ, ſine armis, ſine ſarcinis.

A. U. C. 823. J. C. 70.

retro in caſtra profugiunt, querente ſanè Civile, & increpante Germanos, « tamquam fidem per ſcelus abrumperent ». Simulata ea fuerint, an retinere ſævientes nequiverit, parum adfirmatur. Direptis caſtris, faces injiciunt: cunctoſque, qui prœlio ſuperfuerant, incendium hauſit.

LXI. Civilis, barbaro voto [1], poſt cœpta adversùs Romanos arma, propexum rutilatumque crinem, patratâ demum cæde legionum, depoſuit. Et ferebatur parvulo filio, quoſdam captivorum, ſagittis jaculiſque puerilibus figendos [2], obtuliſſe. Ceterùm neque ſe, neque quemquam Batavum, in verba Galliarum adegit, fiſus Germanorum opibus; &, ſi certandum adversùs Gallos de poſſeſſione rerum foret, inclitus famâ, & potior. Mummius Lupercus, legatus legionis, inter dona miſſus Veledæ [3]. Ea virgo nationis Bructeræ, latè imperitabat, vetere apud Germanos more, quo pleraſque feminarum fatidicas, & augeſcente ſuperſtitione, arbitrantur deas. Tuncque Veledæ auctoritas adolevit: nam « proſperas Germanis res, & » excidium legionum » prædixerat. Sed Lupercus, in itinere interfectus. Pauci centurionum tribunorumque in Galliâ geniti, reſervantur, pignus ſocietatis. Cohortium, alarum, legionum, hiberna ſubverſa crematąque: iis tantùm relictis, quæ Mogontiaci, ac Vindoniſſæ [4] ſita ſunt [5].

LXII. Legio ſextadecima [6], cum auxiliis ſimul deditis, a Novefio in coloniam Treverorum [7] tranſgredi jubetur, præfinitâ die, intra quam caſtris excederet. Medium omne tempus, per varias curas egêre: ignaviſſimus quiſque, cæſorum apud Vetera exemplo, paventes; melior pars, rubore & infamiâ,

[1] Barbaro voto ] Talia vota fuere ſemper, ſuntque adhuc in uſu apud barbaros. Ea quoque uſurpavere omnium fere gentium militares viri, quos inter eminet Julius Cæſar, de quo Suetonius in Jul. LXVII. Milites *diligebat uſque adeò, ut, auditâ clade Titurianâ, barbam capillumque ſummiſerit; nec antè dempſerit, quàm vindicaſſet.* De rutilo Germanorum crine dicetur infrà de Morib. German. IV.

[2] Figendos ] Ad opprobrium ſimul & tormentum.

[3] Veledæ ] De Veledâ aliiſque fatidicis feminis plura dicentur infrà de Morib. German. VIII.

[4] Ac Vindoniſſæ ] Mogontiacum, nunc *Mayence*; Vindoniſſa, nunc *Windiſch, dans le canton de Berne.*

[5] Sita sunt ] Et a Romanis retinebantur; ut videbimus infrà cap. 70.

[6] Legio sextadecima ] De quâ ſuprà cap. 26.

[7] Treverorum ] Nunc *Treves.*

A. U. C. 823. J. C. 70.

« quale illud iter, quis dux viæ? & omnia in arbitrio eorum, » quos vitæ neciſque dominos feciſſent ». Alii, nullâ dedecoris curâ, pecuniam, aut cariſſima ſibimetipſi circumdare: quidam expedire arma, teliſque tamquam in aciem accingi. Hæc meditantibus, advenit proficiſcendi hora, exſpectatione triſtior. Quippe intra vallum, deformitas haud perinde notabilis: detexit ignominiam campus, & dies. Revulſæ Imperatorum imagines, inhonora [1] ſigna, fulgentibus hinc inde Gallorum vexillis: ſilens agmen, & velut longæ exſequiæ. Dux Claudius Sanctus, effoſſo oculo, dirus ore, ingenio debilior. Duplicatur flagitium, poſtquam, deſertis Bonnenſibus caſtris [2], altera ſe legio miſcuerat. Et vulgatâ captarum legionum famâ, cuncti, qui paullo antè Romanorum nomen horrebant, procurrentes ex agris tectiſque, & undique effuſi, inſolito ſpectaculo nimiùm fruebantur. Non tulit ala Picentina [3] gaudium inſultantis vulgi; ſpretiſque Sancti promiſſis, aut minis, Mogontiacum abeunt: ac fortè obvio interfectore Voculæ Longino, conjectis in eum telis, initium exſolvendæ in poſterum culpæ fecere. Legiones, nihil mutato itinere, ante mœnia Treverorum conſidunt.

LXIII. Civilis & Claſſicus, rebus ſecundis ſublati, an Coloniam Agrippinenſem diripiendam exercitibus ſuis permitterent, dubitavere. Sævitiâ ingenii, & cupidine prædæ, ad excidium civitatis trahebantur: obſtabat ratio belli, & novum imperium inchoantibus utilis clementiæ fama. Civilem etiam beneficii memoria flexit, quòd filium ejus, primo rerum motu, in coloniâ Agrippinenſi deprehenſum, honoratè cuſtodierant. Sed Tranſrhenanis gentibus inviſa civitas, opulentiâ auctuque [4]. Neque alium finem belli rebantur, quàm ſi promiſcua ea ſedes omnibus Germanis foret, aut diſjecta, Ubios quoque diſperſiſſet.

[1] Inhonora ] Et incompta ſigna. Vide Annal. III, 2.

[2] Bonnensibus castris ] Nunc Bonn; ubi caſtra primæ legionis. Vide ſuprà cap. 19.

[3] Ala Picentina ] A Picentinis, hodie *partie de la terre de Labour*, ita appellata.

[4] Auctuque ] A condita coloniâ, de qua dictum ſatis Annal. XII, 27, opulentiâ auctuque, id eſt opum vi hominumque multitudine, inſignis erat Ubiorum civitas: inde Tranſrhenanis gentibus invidia.

A. U. C. 823. J. C. 70.

LXIV. Igitur Tencteri [1], Rheno diſcreta gens, miſſis legatis, mandata apud concilium Agrippinenſium edi jubent: quæ ferociſſimus e legatis, in hunc modum protulit: « Rediſſe vos in corpus nomenque [2] Germaniæ, communibus »deis, & præcipuo deorum [3] Marti, grates agimus: vobiſque »gratulamur, quod tandem liberi inter liberos eritis. Nam »ad hunc diem, flumina ac terras, & cælum quodammodo »ipſum, clauſerant Romani: ut colloquia congreſſuſque noſ»tros arcerent: vel, quod contumelioſius eſt viris ad arma »natis, inermes ac propè nudi, ſub cuſtode & pretio [4] coire»mus. Sed ut amicitia ſocietaſque noſtra in æternum rata ſit, »poſtulamus a vobis, muros coloniæ, munimenta ſervitii, »detrahatis. Etiam fera animalia, ſi clauſa teneas, virtutis »obliviſcuntur. Romanos omnes, in finibus veſtris, trucide»tis: haud facilè libertas, & domini miſcentur. Bona inter»fectorum, in medium cedant, ne quis occulere quidquam, »aut ſegregare cauſam ſuam poſſit. Liceat nobis vobiſque »utramque ripam colere, ut olim majoribus noſtris: quomodo »lucem diemque omnibus hominibus, ita omnes terras forti»bus viris natura aperuit. Inſtituta cultumque patrium reſu»mite, abruptis voluptatibus [5], quibus Romani plus adver»ſus ſubjectos, quàm armis valent: ſincerus & integer, & »ſervitutis oblitus populus, aut ex æquo agetis, aut aliis »imperitabitis ».

LXV. Agrippinenses, ſumpto conſultandi ſpatio, quando neque ſubire conditiones metus futuri, neque palam aſpernari conditio præſens ſinebat: in hunc modum reſpondent: « Quæ prima libertatis facultas data eſt [6], avidiùs, quàm

[1] Tencteri ] De quibus plura infrà in libro de Morib. Germ. cap. 32.

[2] In corpus nomenque ] Quæ veluti ejuraverant ob coloniam Romanam nomenque Agrippinæ.

[3] Præcipuo deorum ] Deorum maximè Mercurium colebant Germani, ut dicetur infrà de Mor. German. IX. At nunc, vigentibus bellis, præcipuus erat Mars.

[4] Sub custode et pretio ] Nempe ita cuſtoditi tranſitus, ut Tranſrhenani Germani Ciſrhenanos adire non poſſent, niſi inermes, & ſoluto pretio, ſeu vectigali. Vide infrà, cap. ſeq.

[5] Abruptis voluptatibus ] Quibus inter dominationis inſtrumenta utebantur Romani; ut videbimus in Vitâ Agric. XXI.

[6] Data est ] In hoc tumultu.

»cautiùs ſumpſimus, ut vobis ceteriſque Germanis, conſanguineis noſtris, jungeremur. Muros civitatis, congregantibus ſe cùm maximè Romanorum exercitibus, augere nobis, quàm diruere, tutius eſt. Si qui ex Italiâ, aut provinciis, alienigenæ in finibus noſtris fuerant, eos bellum abſumpſit, vel in ſuas quiſque ſedes refugère. Deductis olim [1], & nobiſcum per conubium ſociatis, quique mox provenere, hæc patria eſt. Nec vos adeo iniquos exiſtimamus, ut interfici a nobis parentes, fratres, liberos noſtros velitis. Vectigal [2] & onera commerciorum reſolvimus. Sint tranſitus incuſtoditi, ſed diurni, & inermes; donec nova & recentia jura, in vetuſtatem conſuetudine vertantur. Arbitrum habebimus Civilem & Veledam, apud quos pacta ſancientur». Sic lenitis Tencteris, legati ad Civilem & Veledam miſſi cum donis, cuncta ex voluntate Agrippinenſium perpetravere. Sed coram adire, adloquique Veledam, negatum. Arcebantur aſpectu, quò venerationis plus ineſſet. Ipſa editâ in turre: delectus e propinquis, conſulta reſponſaque, ut internuntius numinis, portabat.

A. U. C. 823. J. C. 70.

LXVI. Civilis, ſocietate Agrippinenſium auctus, proximas civitates adfectare, aut adverſantibus bellum inferre ſtatuit [3]. Occupatiſque Sunicis [4], & juventute eorum per cohortes compoſitâ; quominus ultrà pergeret, Claudius Labeo Betaſiorum Tungrorumque & Nerviorum [5] tumultuariâ manu reſtitit, fretus loco, quia pontem Moſæ [6] fluminis anteceperat. Pugnabaturque in anguſtiis ambiguè, donec Germani tranſnatantes, terga Labeonis invaſere. Simul Civilis, auſus, an ex compoſito, intulit ſe agmini Tungrorum, & clarà

[1] Deductis olim ] Cùm conderetur colonia.

[2] Vectigal ] Omittimus vectigal, ſeu portoria, quæ onera commerciorum ſunt. De vectigalibus portoriiſque Galliæ, *les douanes*, *les péages*, dictum ſatis Annal. XIII, 50.

[3] Bellum inferre statuit ] Et a colonia Agrippinenſi, *Cologne*, versùs Moſam, *la Meuſe*, iter direxit, obvioſque Sunicos, *le Limbourg*, primùm occupavit.

[4] Sunicis ] Nunc *le Limbourg*; ubi adhuc vicus *Sinnich*, veteris nominis memoria, teſte Bucherio, *Belgium Romanum*, pag. 178 & 184. Hos Sunicos appellat Plinius IV, 17.

[5] Et Nerviorum ] Tungri, *Tongres*; Betaſii, *le Brabant*; Nervii, *le Hainau*.

[6] Pontem Mosæ ] Nunc *Maeſtricht*.

A. U. C. 823. J. C. 70.

voce : « Non ideò », inquit, « bellum ſumpſimus, ut Batavi » & Treveri gentibus imperent. Procul hæc a nobis arrogantia : » accipite ſocietatem : tranſgredior ad vos, ſeu me ducem, » ſeu militem mavultis [1] ». Movebatur vulgus, condebantque gladios ; cùm Campanus, ac Juvenalis, ex primoribus Tungrorum, univerſam ei gentem dedidere. Labeo, antequam circumveniretur, profugit [2]. Civilis Betaſios quoque ac Nervios in ſidem acceptos, copiis ſuis adjunxit : ingens rerum, perculſis civitatum animis, vel ſponte inclinantibus.

LXVII. Interea Julius Sabinus [3], projectis fœderis Romani monumentis [4], *Cæſarem* ſe ſalutari jubet ; magnamque & inconditam popularium turbam in Sequanos [5] rapit, conterminam civitatem, & nobis fidam. Nec Sequani detrectavere certamen. Fortuna melioribus adfuit. Fuſi Lingones. Sabinus feſtinatum temere prœlium, pari formidine deſeruit. Utque famam exitii ſui faceret, villam, in quam perfugerat, cremavit ; illic voluntariâ morte interiiſſe creditus. Sed quibus artibus latebriſque, vitam per novem mox annos traduxerit, ſimul amicorum ejus conſtantiam, & inſigne Eponinæ uxoris exemplum, ſuo loco rèddemus [6]. Sequanorum proſperâ acie, belli impetus ſtetit. Reſipiſcere paullatim civitates [7], faſque & fœdera reſpicere, principibus Remis [8], qui per Gallias edixere, « ut miſſis legatis in commune conſultarent, liber» tas an pax placeret ».

[1] Seu militem mavultis ] Sic Catilina apud Salluſtium, in Catilin. XIII. *Vel imperatore, vel milite me utemini.*

[2] Profugit ] In avia Belgarum, ut dicetur infrà cap. 70. Avia illa eſſe nunc paludes Flandrorum, prope *Bruges*, meritò conjicit Bucherius, *Belgium Romanum*, pag. 178 & 185.

[3] Julius Sabinus ] Jam memoratus ſuprà cap. 55.

[4] Monumentis ] Tabulis æreis, quibus inſcriptum fœdus Romanum civitaſque Romana Lingonibus univerſis data, ut dictum eſt ſuprà Hiſt. I, 78.

[5] In Sequanos ] Nunc *la haute Alſace, la Franche-Comté*, &c. Vide Supplementum Annal. XVI, 78.

[6] Reddemus ] Periit hæc Hiſtoriarum pars. De illâ vide Appendicem Chronologicam, anno Urbis conditæ DCCCXXXI.

[7] Civitates ] Ac maximè civitas Lingonum, teſte Frontino, Strategem. IV, 3. num. 14. *Auſpiciis imperatoriis Cæſaris Domitiani, Germanico bello, quod Julius Civilis in Galliâ moverat, Lingonum opulentiſſima civitas, quæ ad Civilem deſciverat, cùm adventientem ab exercitu Cæſaris populationem timeret, quòd præter ſpem inviolata nihil ex rebus ſuis amiſerat, ad obſequium redacta, ſeptuaginta millia armatorum ei tradidit.*

[8] Remis ] Remi, nunc *le diocèſe de Reims.*

LXVIII.

A. U. C. 823. J. C. 70.

LXVIII. At Romæ cuncta in deterius audita Mucianum angebant, ne, quamquam egregii duces (jam enim Gallum Annium & Petilium Cerialem delegerat) ſummam belli parum tolerarent. Nec relinquenda Urbs ſine rectore. Et Domitiani indomitæ libidines timebantur; ſuſpectis, uti diximus, Primo Antonio, Varoque Arrio. Varus, prætorianis præpoſitus, vim atque arma retinebat. Eum Mucianus, pulſum loco, ne ſine ſolatio ageret, annonæ præfecit [1]. Utque Domitiani animum, Varo haud alienum, deliniret, Arretinum Clementem [2], domui Veſpaſiani per adfinitatem [3] innexum, & gratiſſimum Domitiano, prætorianis præpoſuit, « patrem ejus ſub Caio Cæſare [4] egregiè functum eâ curâ » dictitans. « Lætum militibus idem nomen: atque ipſum, quamquam ſenatorii ordinis [5], ad utraque munia ſufficere ». Adſumuntur e civitate clariſſimus quiſque; & alii per ambitionem. Simul Domitianus Mucianuſque accingebantur, diſpari animo: ille, ſpe ac juventâ properus; hic, moras nectens, quîs flagrantem retineret, ne ferociâ ætatis, & pravis impulſoribus, ſi exercitum invaſiſſet, paci belloque malè conſuleret. Legiones victrices, ſexta & octava [6], Vitellianarum unaetviceſima, e recèns conſcriptis ſecunda, Peninis Cottianiſque [7] Alpibus, pars monte Graio [8], traducuntur. Quartadecima legio e Britanniâ, ſexta ac decima ex Hiſpaniâ accitæ. Igitur venientis exercitûs famâ, & ſuopte ingenio ad mitiora inclinantes Galliarum civitates, in Remos convenere. Tre-

[1] Annonæ præfecit] De hac præfecturâ dictum ſuprà Annal. I, 7 & XIII, 22.

[2] Arretinum Clementem] De quo plura in Notis & Emendationibus ad Hiſt. IV, 68. Arretinus fortè dictus eſt ab Arretio, nunc *Arezzo*.

[3] Adfinitatem] Ab eâ adfinitate cognomentum accepiſſe videtur Titus Flavius Clemens. Vide Stemma Flaviorum in Notis & Emendationibus ad Hiſt. I, 46.

[4] Caio Cæsare] Caligulâ.

[5] Senatorii ordinis] Errat ergo Suetonius in Tit. VI. *Præfecturam quoque prætorii ſuſcepit* Titus, *numquam ad id tempus, niſi ab equite Romano adminiſtratam.* Eam jam adminiſtraverat Clemens ſenatorii ordinis.

[6] Sexta et octava] De his omnibus legionibus vide Notas & Emendationes ad Hiſt. II, 6. Secunda autem legio eſt ſecunda adjutrix.

[7] Peninis Cottianisque] Peninæ Alpes, nunc *le paſſage du grand Saint Bernard:* Cottianæ, nunc *le paſſage de Briançon à Suze*. De his plura vide ſuprà Hiſt. I, 61.

[8] Monte Graio] Mons Graius, ſeu Alpes Graiæ, nunc *le petit Saint Bernard*.

A. U. C. 823. J. C. 70.

verorum legatio illic opperiebatur, acerrimo inſtinctore belli Tullio Valentino. Is meditatâ oratione, cuncta, magnis imperiis objectari ſolita, contumeliaſque & invidiam in populum Romanum effudit; turbidus miſcendis ſeditionibus, & pleriſque gratus vecordi facundiâ [1].

LXIX. At Julius Auſpex, e primoribus Remorum, « vim »Romanam, paciſque bona » diſſertans, & « ſumi bellum »etiam ab ignavis [2], ſtrenuiſſimi cujuſque periculo geri, jam»que ſuper caput legiones », ſapientiſſimum quemque reverentiâ fideque, juniores periculo ac metu continuit. Et Valentini animum laudabant, conſilium Auſpicis ſequebantur. Conſtat obſtitiſſe Treveris Lingonibuſque apud Gallias, quod, Vindicis motu, cum Verginio ſteterant [3]. Deterruit pleroſque provinciarum æmulatio: « quod bello caput? unde jus auſpi»ciumque peteretur? quam, ſi cuncta proveniſſent, ſedem im»perio legerent »? Nondum victoria, jam diſcordia erat: aliis fœdera, quibuſdam opes vireſque, aut vetuſtatem originis, per jurgia jactantibus [4]. Tædio futurorum, præſentia placuere. Scribuntur ad Treveros epiſtolæ, nomine Galliarum, « ut »abſtinerent armis, impetrabili veniâ, & paratis deprecato»ribus, ſi pæniteret ». Reſtitit idem Valentinus obſtruxitque civitatis ſuæ [5] aures, haud perinde inſtruendo bello intentus, quàm frequens concionibus.

LXX. Igitur non Treveri, neque Lingones, ceteræve rebellium civitates, pro magnitudine ſuſcepti diſcriminis agere. Ne duces quidem, in unum conſulere. Sed Civilis, avia Belgarum [6] circumibat; dum Claudium Labeonem capere, aut exturbare nititur. Claſſicus, ſegne plerumque otium tra-

[1] Vecordi facundia ] Id eſt, ut explicat Illuſtr. Huetius, temerariâ, ſtolidâ, improvidâ.

[2] Ab ignavis ] Ita ferme Salluſtius, in Jugurth. cap. 54. *Omne bellum ſumi facilè, ceterùm ægerrumè deſinere: non in ejuſdem poteſtate initium ejus & finem eſſe: incipere cuivis etiam ignavo licere; deponi, cùm victores velint.*

[3] Steterant ] Ut dictum eſt in Supplemento Annal. XVI, 78.

[4] Jactantibus ] Ut penes ſe foret jus, auſpicium, ſedeſque Imperii. Sic Livius XXII, 1. *Quod enim illi juſtum imperium, quod auſpicium eſſe?* Idem Livius XXVIII, 27. *Imperium auſpiciumque abnuiſtis, ſacramenti religionem rupiſtis.*

[5] Civitatis suæ ] Treverorum.

[6] Avia Belgarum ] De quibus dictum ſupra cap. 66. pag. 272. not. 2.

A. U. C. 823. J. C. 70.

hens, velut parto imperio fruebatur. Ne Tutor quidem maturavit ſuperiorem Germaniæ ripam, & ardua Alpium præſidiis claudere. Atque interim unaetviceſima legio Vindoniſsâ [1], Sextilius Felix cum auxiliariis cohortibus per Rætiam [2], inrupere. Acceſſit ala Singularium [3], excita olim a Vitellio, deinde in partes Veſpaſiani tranſgreſſa. Præerat Julius Briganticus, ſorore Civilis genitus, ut ferme acerrima proximorum odia ſunt, inviſus avunculo infenſuſque. Tutor Treverorum copias, recenti Vangionum [4], Cæracatium, Tribocorum delectu auctas, veterano pedite atque equite firmavit, corruptis ſpe, aut metu ſubactis legionariis: qui primò cohortem, præmiſſam a Sextilio Felice, interficiunt; mox ubi duces exercituſque Romanus propinquabant, honeſto tranſfugio rediere: ſecutis Tribocis, Vangionibuſque & Cæracatibus. Tutor, Treveris comitantibus, vitato Mogontiaco [5], Bingium [6] conceſſit, fidens loco, quia pontem Navæ fluminis [7] abruperat: ſed incurſu cohortium, quas Sextilius ducebat, & reperto vado, proditus fuſuſque. Eâ clade perculſi Treveri; & plebes, omiſſis armis, per agros palatur: quidam principum, ut primi poſuiſſe bellum viderentur, in civitates, quæ ſocietatem Romanam non exuerant, perfugerunt. Legiones a Noveſio Bonnâque in Treveros, ut ſuprà memo-

[1] Vindonissa ] Nunc *Windiſch*, ut ſuprà cap. 61.

[2] Rætiam ] Nunc *les Griſons*, &c.

[3] Ala singularium ] Peculiaris militia fuit prætorianæ proxima, *tum munere cuſtodiæ, tum prætenturæ viciniâ*, ut ait eruditus Fabrettus, *Inſcript. Dom.* cap. 5. pag. 354, ubi de equitibus ſingularibus cumulatè agit. Vide quoque Philippum Bonanni, *Muſeum Kircherianum*, pag. 112. In veteribus Inſcriptionibus ſæpe occurrit EQ. SING. Id eſt *eques ſingularis*; vel EQ. SING. AVG. id eſt *eques ſingularis Auguſti*; vel EQ. SING. D. D. N. N. id eſt *eques ſingularis dominorum noſtrorum*, cùm plures eſſent Imperatores. Ut a dextris prætoriani, ſic a ſiniſtris Imperatoris in acie ſtabant ſingulares, teſte Hygino.

[4] Vangionum ] Vangiones, *le diocèſe de Worms*, Triboci, *le diocèſe de Straſbourg*. Cæracates, ut videtur, *le diocèſe de Mayence*. Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. IV, 70.

[5] Vitato Mogontiaco ] Mogontiacum, *Mayence*, vitavit Tutor, quòd Romanæ legiones illud adhuc obtinerent.

[6] Bingium ] Hodieque *Bingen*: at tunc, ut patet e Taciti narratione, Bingium erat in ripâ ſiniſtrâ Navæ fluminis; nunc verò eſt in dextrâ. Quod rectè animadvertêre eruditus Freherus & P. Waſtelain, *Deſcription de la Gaule Belgique*, pag. 114 & ſeqq.

[7] Navæ fluminis ] Nava, hodie *Nahe*. Flumen illud ad oppidum *Bingen* in Rhenum influit.

A. U. C. 823. J. C. 70.

ravimus [1], traductæ, ſe ipſas in verba Veſpaſiani adigunt. Hæc, Valentino abſente, geſta: qui, ubi adventabat, furens, cunctaque rurſus in turbas & exitium converſurus, legiones in Mediomatricos [2], ſociam civitatem, abſceſſere. Valentinus ac Tutor in arma Treveros retrahunt: occiſis Herennio ac Numiſio legatis [3], quò minore ſpe veniæ creſceret vinculum ſceleris.

LXXI. Hic belli ſtatus erat, cùm Petilius Cerialis Mogontiacum venit: ejus adventu erectæ ſpes. Ipſe pugnæ avidus, & contemnendis, quàm cavendis hoſtibus melior, ferociâ verborum militem incendebat; ubi primùm congredi licuiſſet, nullam prœlio moram facturus. Delectus per Galliam habitos, in civitates remittit, ac nuntiare jubet « ſufficere » imperio legiones: ſocii ad munia pacis redirent, ſecuri, » velut confecto bello, quod Romanæ manus excepiſſent ». Auxit ea res Gallorum obſequium: nam receptâ juventute, faciliùs tributa toleravere [4], proniores ad officia, quòd ſpernebantur. At Civilis & Claſſicus, ubi « pulſum Tutorem, » cæſos Treveros, cuncta hoſtibus proſpera accepere: trepidi » ac properantes, dum diſperſas ſuorum copias conducunt, » crebris interim nuntiis Valentinum monuere, ne ſummæ rei » periculum faceret ». Eò rapidiùs Cerialis, miſſis in Mediomatricos, qui breviore itinere legiones in hoſtem verterent, contracto quod erat militum Mogontiaci, quantumque ſecum tranſvexerat, tertiis caſtris Rigodulum [5] venit; quem locum magnâ Treverorum manu, Valentinus inſederat, montibus aut Moſellâ amne ſeptum: & addiderat foſſas, obiceſque ſaxorum. Nec deterruere ea munimenta Romanum ducem, quominus peditem perrumpere juberet, equitum aciem in collem erigeret, ſpreto hoſte, quem temere collectum, haud

[1] Memoravimus ] Suprà cap. 62.

[2] Midiomatricos ] Nunc *les diocèſes de Metz & de Verdun.*

[3] Legatis ] De quibus ſuprà cap. 59.

[4] Tributa toleravere ] De his ſuprà cap. 26.

[5] Rigodulum ] Hodieque *Rigol*, duabus leucis infrà Treveros, *Treves*, ad Moſellam, *la Moſelle*, ſitum, e regione oppidi *Pfaltz*. De Rigodulo hocque Taciti loco accuratè differit P. Waſtelain, *Deſcription de la Gaule Belgique*, pag. 245.

ita loco juvari, ut non plus ſuis in virtute foret. Paullum moræ in aſcenſu, dum miſſilia hoſtium prævehuntur. Ut ventum in manus, deturbati, ruinæ modo, præcipitantur. Et pars equitum, æquioribus jugis circumvecta, nobiliſſimos Belgarum, in quîs ducem Valentinum, cepit.

A. U. C. 823. J. C. 70.

LXXII. Cerialis poſtero die coloniam Treverorum ingreſſus eſt, avido milite eruendæ civitatis: « Hanc eſſe » Claſſici, hanc Tutoris patriam: horum ſcelere clauſas cæſaſque » legiones. Quid tantum Cremonam meruiſſe [1], quam e gre» mio Italiæ raptam, quia unius noctis moram victoribus ad» tulerit? Stare in confinio Germaniæ integram ſedem, ſpo» liis exercituum & ducum cædibus ovantem. Redigeretur » præda in fiſcum [2]: ipſis ſufficere ignes, & rebellis coloniæ » ruinas, quibus tot caſtrorum excidia penſarentur ». Cerialis, a metu infamiæ [3], ſi licentiâ ſævitiâque imbuere militem crederetur, preſſit iras: & paruere, poſito civium bello [4], ad externa modeſtiores. Convertit inde animos, accitarum e Mediomatricis legionum miſerabilis aſpectus. Stabant conſcientiâ flagitii mæſtæ, fixis in terram oculis. Nulla inter coeuntes exercitus conſalutatio: neque ſolantibus hortantibuſve reſponſa dabant, abditi per tentoria, & lucem ipſam vitantes: nec perinde periculum aut metus, quàm pudor ac dedecus obſtupefecerat; attonitis etiam victoribus, qui vocem preceſque adhibere non auſi, lacrimis ac ſilentio veniam poſcebant: donec Cerialis mulceret animos, « fato acta » dictitans, « quæ militum ducumque diſcordiâ, vel fraude hoſtium » eveniſſent. Primum illum ſtipendiorum & ſacramenti diem » haberent: priorum facinorum neque Imperatorem, neque » ſe meminiſſe ». Tunc recepti in eadem caſtra; & edictum per manipulos, ne quis in certamine jurgiove ſeditionem aut cladem commilitoni objectaret.

LXXIII. Mox Treveros ac Lingonas, ad concionem

[1] Cremonam meruisse ] Vide ſuprà Hiſt. III, 33.

[2] In Fiscum ] Fiſcus erat Principis; ut jam dictum eſt ſuprà Annal. VI, 2. not. 5.

[3] A metu infamiæ ] Ob infamiæ metum.

[4] Civium bello ] Civili bello,

A. U. C. 823. J. C. 70.

vocatos, ita adloquitur: « Neque ego umquam facundiam »exercui; & populi Romani virtutem armis adfirmavi [1]. Sed »quia apud vos verba plurimum valent, bonaque ac mala non »ſuâ naturâ, ſed vocibus ſeditioſorum æſtimantur; ſtatui pau»ca diſſerere, quæ, profligato bello, utilius ſit vobis audiſ»ſe, quàm nobis dixiſſe. Terram veſtram, ceterorumque Gal»lorum, ingreſſi ſunt duces imperatoreſque Romani, nullâ »cupidine, ſed majoribus veſtris invocantibus, quos diſcor»diæ uſque ad exitium fatigabant: & acciti auxilio Germani, »ſociis pariter atque hoſtibus ſervitutem impoſuerant. Quot »prœliis adverſus Cimbros Teutonoſque [2], quantis exerci»tuum noſtrorum laboribus, quove eventu Germanica bella »tractaverimus, ſatis clarum. Nec ideo Rhenum inſedimus, »ut Italiam tueremur: ſed ne quis alius Arioviſtus [3], regno Gal»liarum potiretur. An vos cariores Civili Bataviſque & Tranſ»rhenanis gentibus creditis, quàm majoribus eorum patres »avique veſtri fuerunt? Eadem ſemper cauſa Germanis tranſ»cendendi in Gallias, libido atque avaritia, & mutandæ ſe»dis amor: ut relictis paludibus & ſolitudinibus ſuis, fecun»cundiſſimum hoc ſolum, voſque ipſos poſſiderent. Ceterùm »libertas, & ſpecioſa nomina prætexuntur: nec quiſquam alie»num ſervitium, & dominationem ſibi concupivit, ut non ea»dem iſta vocabula uſurparet.

LXXIV. » Regna bellaque per Gallias ſemper fuere, »donec in noſtrum jus concederetis. Nos, quamquam totiens »laceſſiti, jure victoriæ id ſolum vobis addidimus [4], quo pa»cem tueremur. Nam neque quies gentium, ſine armis; ne»que arma, ſine ſtipendiis; neque ſtipendia, ſine tributis ha-

[1] Armis adfirmavi ] Eodem ſenſu Livius XXVIII, 27. *Non quòd verba umquam potiùs, quàm res exercuerim.*

[2] Cimbros Teutonosque ] De his bellis adversùs Cimbros & Teutonos vide Velleium Paterculum II, 8 & 12. Plutarchum in Mario, 419 & ſeqq. Paucis & ingenioſè Cl. Mallet, *Introduction à l'Hiſtoire de Dannemarck*, pag. 13 & ſeqq.

[3] Ariovistus ] Arioviſtus, Germanorum rex, Gallias occupavit. Vide Julium Cæſarem, Bell. Gall. I, 31 & ſeqq.

[4] Vobis addidimus ] Ea tantùm vobis impoſuimus tributa, quæ ad tuendam pacem erant neceſſaria. De Galliarum tributis dictum eſt ſuprà in Notis & Emendationibus ad Annal. XIII, 50.

A. U. C. 823. J. C. 70.

» beri queunt [1]. Cetera in communi ſita ſunt. Ipſi plerumque » legionibus noſtris præſidetis: ipſi has aliaſque provincias re» gitis. Nihil ſeparatum, clauſumve. Et laudatorum Princi» pum uſus ex æquo, quamvis procul agentibus: ſævi proxi» mis ingruunt [2]. Quomodo ſterilitatem, aut nimios imbres, » & cetera naturæ mala [3]; ita luxum, vel avaritiam dominan» tium tolerate. Vitia erunt, donec homines: ſed neque hæc » continua, & meliorum interventu penſantur: niſi fortè Tu» tore & Claſſico regnantibus, moderatius imperium ſperatis; » aut minoribus, quàm nunc, tributis parabuntur exercitus, » quibus Germani Britannique arceantur. Nam pulſis, (quod » dii prohibeant) Romanis, quid aliud, quàm bella omnium » inter ſe gentium [4] exſiſtent? Octingentorum annorum fortu» nâ diſciplinâque compages hæc coaluit; quæ convelli, ſine » exitio convellentium, non poteſt. Sed vobis maximum diſ» crimen, penes quos aurum & opes, præcipuæ bellorum cau» ſæ. Proinde pacem & Urbem, quam victi victoreſque eodem » jure obtinemus, amate, colite. Moneant vos utriuſque for» tunæ documenta, ne contumaciam cum pernicie, quàm ob» ſequium cum ſecuritate malitis ». Tali oratione graviora metuentes compoſuit, erexitque.

LXXV. Tenebantur victore exercitu Treveri, cùm Civilis & Claſſicus misêre epiſtolas ad Cerialem, quarum hæc ſententia fuit. « Veſpaſianum, quamquam nuntii occultarent,

[1] Haberi queunt ] Pariter vectigalium neceſſitatem, & imminentia omnium inter ſe gentium bella, pulſis Romanis, memorat Cicero, ad Quinctum Fratrem I Ep. unic. *Simul & illud Aſia cogitet, nullam a ſe neque belli externi, neque diſcordiarum domeſticarum calamitatem abſuturam fuiſſe, ſi hoc imperio non teneretur. Id autem imperium cùm retineri ſine vectigalibus nullo modo poſſit, æquo animo parte aliquâ ſuorum fructuum pacem ſibi ſempiternam redimat atque otium.*

[2] Proximis ingruunt ] Sic quoque Sylla Bocchum alloquitur apud Salluſtium in Jugurth. cap. 109. *Tibi verò nulla opportunior amicitia noſtrâ: primùm, quòd procul abſumus, in quo offenſæ minimum, gratia par, ac ſi propè adeſſemus.*

[3] Naturæ mala ] Nec aliter Seneca, de Conſtantiâ Sapientis, IX. *Omnia itaque ſic patitur* ſapiens, *ut hiemis rigorem, & intemperantiam cæli, ut fervores morboſque, & cetera fortè accidentia.*

[4] Bella omnium inter se gentium ] Similis omnino ſententia apud Salluſtium, in Oratione II, ad C. Cæſarem, de Rep. ordinandâ, cap. 10. *Quippe ſi morbo jam, aut fato huic imperio ſecus accidat; cui dubium eſt, quin per orbem terrarum vaſtitas, bella, cædes oriantur!* Quæ omnia collegiſſe juvat, ut prudens lector imitationis exempla habeat, cjuſque utilitates ſentiat.

A. U. C. 823. J. C. 70.

» exceſſiſſe vitâ. Urbem atque Italiam, interno bello conſumptam. Muciani ac Domitiani vana & ſine viribus nomina. Si » Cerialis imperium Galliarum velit, ipſos finibus civitatum » ſuarum contentos : ſi prœlium mallet, ne id quidem abnuere ». Ad ea Cerialis Civili & Claſſico nihil : eum, qui adtulerat ipſas epiſtolas, ad Domitianum miſit. Hoſtes, diviſis copiis, advenere undique. Plerique culpabant Cerialem, paſſum jungi, quos diſcretos intercipere licuiſſet. Romanus exercitus caſtra foſsâ valloque circumdedit : quis temere antea intutis conſederat. Apud Germanos, diverſis ſententiis certabatur.

LXXVI. Civilis « opperiendas Tranſrhenanorum gen» tes, quarum terrore fractæ populi Romani vires obtererentur. » Gallos quid aliud, quàm prædam victoribus [1] ? & tamen quod » roboris ſit, Belgas, ſecum palam, aut voto ſtare » : Tutor « cunctatione creſcere rem Romanam » adfirmabat, « coeun» tibus undique exercitibus. Tranſvectam e Britanniâ legio» nem [2] ; accitas ex Hiſpaniâ [3] ; adventare ex Italiâ : nec ſu» bitum militem, ſed veterem, expertumque belli. Nam Ger» manos, qui ab ipſis ſperentur, non juberi, non regi, ſed » cuncta ex libidine agere. Pecuniamque, ac dona, quis ſolis » corrumpantur, majora apud Romanos : & neminem adeò » in arma pronum, ut non idem pretium quietis, quàm » periculi, malit : quòd ſi ſtatim congrediantur, nullas eſſe » Ceriali, niſi ex reliquiis Germanici exercitûs, legiones, fœ» deribus Galliarum obſtrictas. Idque ipſum, quod incondi» tam nuper Valentini manum contra ſpem ſuam fuderint, » alimentum illis ducique temeritatis. Auſuros rurſus, ven» turoſque in manus, non imperiti adoleſcentuli, verba & » conciones [4], quàm ferrum & arma meditantis, ſed Civilis » & Claſſici : quos ubi aſpexerint, redituram in animos

[1] Prædam victoribus ] Exſpectandos Germanos, cùm in Gallis non ſit ſatis roboris, etſi Belgæ, omnium fortiſſimi, a ſuis partibus palam aut voto ſtent : ut rectè explicat Illuſtr. Huetius.

[2] Legionem ] XIV legionem.

[3] Accitas ex Hispania ] Vide ſuprà cap. 68.

[4] Et conciones ] Et conciones potiùs, quam ferrum, &c. ut ſæpe alias.

formidinem,

A. U. C. 823. J. C. 70.

»formidinem, fugam, famemque, ac totiens captis precariam »vitam: neque Treveros, aut Lingonas [1] benevolentiâ con»tineri: reſumpturos arma, ubi metus abſceſſerit». Diremit conſiliorum diverſitatem, approbatâ Tutoris ſententiâ, Claſſicus, ſtatimque exſequuntur.

LXXVII. Media acies Ubiis Lingonibuſque [2] data: dextro cornu cohortes Batavorum; ſiniſtro Bructeri Tencterique [3]: pars montibus; alii, viam inter Moſellamque flumen [4], tam improviſi adſiluere, ut in cubiculo ac lectulo Cerialis ( neque enim noctem in caſtris egerat ) pugnari ſimul, vincique ſuos audierit, increpans pavorem nuntiantium, donec univerſa clades in oculis fuit. Perrupta legionum caſtra, fuſi equites: medius Moſellæ pons, qui ulteriora coloniæ adnectit, ab hoſtibus inſeſſus. Cerialis, turbidis rebus intrepidus, & fugientes manu retrahens, intecto corpore promptus inter tela, felici temeritate, & fortiſſimi cujuſque accurſu, reciperatum pontem electâ manu firmavit. Mox in caſtra reverſus, palantes captarum apud Noveſium Bonnamque legionum manipulos, & rarum apud ſigna militem, ac propè circumventas aquilas videt. Incenſus irâ, « non Flac»cum [5] », inquit, « non Voculam deſeritis. Nulla hìc pro»ditio: neque aliud excuſandum habeo, quàm quòd vos Gal»lici fœderis oblitos prædixerim [6]: memoriam Romani ſacra»menti temere credidi. Adnumerabor Numiſiis & Herenniis,

[1] Aut Lingonas ] Treveri ac Lingones arma depoſuerant, poſtquam eos adlocutus eſt Cerialis, ut vidimus cap. 73.

[2] Lingonibusque ] Qui in Civilis exercitu militabant, nec ad Romanorum partes redierant.

[3] Bructeri Tencterique ] Ut ſuprà cap. 21.

[4] Viam inter Mosellamque flumen] Miror ab erudito Savilio accuſari Tacitum, quòd hìc non ſe exactiorem præſtiterit chorographum, nec expreſſerit quæ eſſet hæc via, quæ fluvii pars Romanis caſtris teneretur, quæ ratio ſitûs quoad urbem. At hæc omnia patent ex ipſâ Taciti narratione. Via illa unica eſt, quæ coloniâ Treverorum, *Treves*, coloniam Agrippinam, *Cologne*, ducebat. Caſtra Romana evidenter erant in ſiniſtrâ ripâ Moſellæ, prope ulteriorem urbis partem, quæ erat quoque in ſiniſtrâ Moſellæ ripâ. Pars autem illa ulterior medio Moſellæ ponte adnectebatur coloniæ Treverorum, quæ tunc, utì nunc, erat in dextrâ Moſellæ ripâ. Non potuit ergo Tacitus eſſe accuratior.

[5] Non Flaccum ] Hordeonium Flaccum & Dillium Voculam, de quibus ſæpe ſuprà.

[6] Prædixerim ] Fortè, *quàm, quòd vos Gallici fœderis oblitos, rediſſe in memoriam Romani ſacramenti temere credidi.* Vide Notas & Emend. ad Hiſt. IV, 77.

A. U. C. 823. J. C. 70. » ut omnes legati veſtri [1], aut militum manibus, aut hoſtium » ceciderint. Ite, nuntiate Veſpaſiano, vel, quod propius eſt, » Civili & Claſſico, relictum a vobis in acie ducem: venient » legiones, quæ neque me inultum, neque vos impunitos » patiantur ».

LXXVIII. Vera erant: & a tribunis præfectiſque eadem ingerebantur. Conſiſtunt per cohortes, & manipulos: neque enim poterat pateſcere acies, effuſo hoſte, & impedientibus tentoriis ſarcinisque, cùm intra vallum pugnaretur. Tutor, & Claſſicus, & Civilis, ſuis quiſque locis pugnam ciebant: Gallos « pro libertate », Batavos « pro gloriâ », Germanos « ad prædam » inſtigantes. Et cuncta pro hoſtibus erant: donec legio unaetviceſima, patentiore, quàm ceteræ, ſpatio conglobata, ſuſtinuit ruentes, mox impulit. Nec ſine ope divinâ, mutatis repentè animis, terga victores vertêre. Ipſi territos ſe cohortium aſpectu ferebant, quæ primo impetu disjectæ, ſummis rurſus jugis congregabantur, ac ſpeciem novi auxilii fecerant. Sed obſtitit vincentibus pravum inter ipſos certamen, hoſte omiſſo, ſpolia conſectandi. Cerialis, ut incuriâ propè rem adflixit, ita conſtantiâ reſtituit: ſecutuſque fortunam, caſtra hoſtium eodem die capit exſcinditque [2].

LXXIX. Nec in longum quies militi data. Orabant auxilium Agrippinenſes; offerebantque uxorem ac ſororem Civilis, & filiam Claſſici, relicta ſibi pignora ſocietatis. Atque interim diſperſos in domibus Germanos trucidaverant. Unde metus, & juſtæ preces invocantium, antequam hoſtes, reparatis viribus, ad ſpem, vel ad ultionem accingerentur. Namque & Civilis illuc intenderat, non invalidus, flagrantiſſimâ

[1] Legati vestri] Hordeonius Flaccus & Vocula militum manibus, Numiſius & Herennius hoſtium cecidere.

[2] Capit exscinditque] Cùm pons recuperaretur, caſtra hoſtium caperentur & exſcinderentur, tunc facta videtur cædes, de qua Dio LXVI. pag. 745. Rebelliones Germaniæ Cerialis compeſcuit, multis prœliis factis: tantaque in uno ex his prœliis multitudo Romanorum barbarorumque cæſa eſt, ut mortuorum cadavera præterfluentis amnis curſum retinuerint. Ὥστε τὸν παραῤῥέοντα ποταμὸν ὑπὸ τῶν πεπτωκότων ἐπισχεθῆναι.

A. U. C. 823. J. C. 70.

cohortium ſuarum integrâ, quæ e Chaucis Friſiiſque [1] compoſita, Tolbiaci [2], in finibus Agrippinenſium, agebat. Sed triſtis nuntius avertit, « deletam cohortem dolo Agrippinen»ſium »: qui largis epulis vinoque ſopitos Germanos, clauſis foribus, igne injecto, cremavere. Simul Cerialis propero agmine ſubvênit. Circumſteterat Civilem & alius metus, ne quartadecima legio, adjunctâ Britannicâ claſſe, adflictaret Batavos, quà Oceano ambiuntur. Sed legionem, terreſtri itinere [3], Fabius Priſcus legatus in Nervios Tungroſque duxit. Eæque civitates in deditionem acceptæ: claſſem ultro Canninefates adgreſſi ſunt; majorque pars navium depreſſa, aut capta. Et Nerviorum multitudinem, ſponte commotam, ut pro Romanis bellum capeſſeret, iidem Canninefates fudere. Claſſicus quoque adversùs equites, Noveſium a Ceriale præmiſſos, ſecundum prœlium fecit: quæ modica, ſed crebra damna, famam victoriæ nuper partæ lacerabant [4].

LXXX. Iisdem diebus Mucianus, Vitellii filium [5] interfici jubet: manſuram diſcordiam obtendens, ni ſemina belli reſtinxiſſet. Neque Antonium Primum adſciri inter comites [6] a Domitiano paſſus eſt; favore militum anxius, & ſuperbiâ viri, æqualium quoque, adeò ſuperiorum intolerantis. Profectus ad Veſpaſianum Antonius, ut non pro ſpe ſuâ excipitur, ita neque averſo Imperatoris animo. Trahebatur in diverſa; hinc meritis Antonii, cujus ductu confectum haud dubiè bellum erat, inde Muciani epiſtolis: ſimul ceteri, ut « infeſtum »tumidumque » inſectabantur, adjunctis prioris vitæ crimini-

[1] Chaucis Frisiisque ] De quibus infrà in libro de Moribus Germanorum, cap. 34 & 35.

[2] Tolbiaci ] Nunc *Zulpik*, *dans le dioceſe de Cologne*. Quem locum illuſtriſſimum poſtea fecit parta a Chlodoveo, ope divinâ, de Alemannis victoria, anno J. C. 496.

[3] Terrestri itinere ] Et, ut videtur, militari viâ, quæ adhuc ſatis integra, a Geſſoriacenſi portu, nunc *Boulogne*, Bagacum Nerviorum, nunc *Bavai*, & Atuatucam Tungrorum, nunc *Tongres*, ducebat.

[4] Famam victoriæ ..... lacerabant ] Ita Livius, XXXVIII, 54. *Populum Romanum ne morte quidem P. Scipionis exſatiari, niſi & ipſius fama ſepulti laceretur.*

[5] Vitellii filium ] Germanicum; de quo ſuprà Hiſt. II, 59.

[6] Inter comites ] Sic comes fuerat Claudii Cæſaris in Britanniâ Plautius Ælianus. Vide ejus monumentum in Notis & Emendationibus ad Hiſt. IV, 53.

A. U. C. 823. J. C. 70.

bus [1]: neque ipſe deerat arrogantiâ vocare offenſas, nimius commemorandis, quæ meruiſſet. « Alios » ut « imbelles », « Cæcinam » ut « captivum ac deditícium [2] » increpat. Unde paullatim levior viliorque haberi, manente tamen in ſpeciem amicitiâ.

LXXXI. Per eos menſes, quibus Veſpaſianus Alexandriæ ſtatos æſtivis flatibus [3] dies, & certa maris, opperiebatur, multa miracula [4] evenere, quis cæli favor, & quædam in Veſpaſianum inclinatio numinum oſtenderetur. Ex plebe Alexandrinâ quidam, oculorum tabe notus, genua ejus advolvitur, « remedium cæcitatis » expoſcens gemitu [5], monitu Serapidis [6] dei, quem dedita ſuperſtitionibus gens ante alios colit: precabaturque Principem, « ut genas & oculorum orbes dignaretur reſpergere oris excremento ». Alius manum æger [7], eodem deo auctore, « ut pede ac veſtigio Cæſaris calcaretur », orabat. Veſpaſianus primò inridere, aſpernari; atque illis inſtantibus, modò famam vanitatis metuere, modò obſecratione ipſorum, & vocibus adulantium in ſpem induci: poſtremò exiſtimari a medicis jubet, an talis cæcitas ac debilitas ope humanâ ſuperabiles forent. Medici variè diſſerere: « Huic non exeſam vim luminis, & redituram, ſi pellerentur obſtantia: illi elapſos in pravum artus, ſi ſalubris vis adhibeatur, poſſe integrari. Id fortaſſe cordi deis, & divino miniſterio [8] Principem electum: denique

[1] Prioris vitæ criminibus ] Vide ſuprà Hiſt. II, 86.

[2] Captivum ac deditícium ] Suprà Hiſt. III, 14 & 31.

[3] Æstivis flatibus ] Quibus certa maris incipiunt die ſexto Kalendarum Juniarum, id eſt die 27 Maii; deſinunt autem die octavodecimo Kalendarum Octobrium, ſeu die 14 Septembris. Vide Notas & Emend. ad Hiſt. IV, 81.

[4] Multa miracula ] Cùm de his Veſpaſiani miraculis paulo longiùs ſit diſſerendum, vide Notas & Emendationes ad Hiſt. IV, 81.

[5] Gemitu ] Aut redundat, *gemitu*; aut legendum *gemitu remedium cæcitatis expoſcens*. Durum nimis, *gemitu*, *monitu*.

[6] Monitu Serapidis ] Mos fuit ægrotis, maximè e plebe, ſacerdotum inſtinctu, cibo potuque abſtinere, & ſuper cæſarum victimarum pelles in templis Æſculapii, Serapidis, cubare. Hinc jejunorum cerebroſorumque hominum viſus, ſomnia, quæ tamquam dei monita habebantur.

[7] Manum æger ] Aliter Suetonius in Veſpaſ. VII. *E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure, ſedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinis demonſtratam a Serapide per quietem.*

[8] Divino ministerio ] Et huic divino miniſterio Principem a deis deſtinatum.

» patrati remedii gloriam penes Cæſarem ; inriti ludibrium pe- » nes miſeros fore ». Igitur Veſpaſianus, cuncta fortunæ ſuæ patere ratus, nec quidquam ultrà incredibile, læto ipſe vultu, erectâ quæ adſtabat multitudine, juſſa exſequitur. Statim converſa ad uſum manus, ac cæco reluxit dies. Utrumque, qui interfuere nunc quoque memorant, poſtquam nullum mendacio pretium [1].

A. U. C. 823. J. C. 70.

LXXXII. Altior inde Veſpaſiano cupido adeundi ſacram ædem, ut ſuper rebus imperii conſuleret. « Arceri tem- » plo cunctos » jubet: atque ingreſſus, intentuſque numini, reſpexit ponè tergum [2] e primoribus Ægyptiorum [3], nomine Baſiliden ; quem procul Alexandriâ plurium dierum itinere, & ægro corpore detineri haud ignorabat. Percunctatur ſacerdotes, « num illo die Baſilides templum iniſſet »? percunctatur obvios, « num in urbe viſus ſit »? denique, miſſis equitibus, explorat, illo temporis momento, octoginta millibus paſſuum abfuiſſe. Tunc divinam ſpeciem, & vim reſponſi ex nomine Baſilidis [4], interpretatus eſt.

LXXXIII. Origo dei nondum noſtris auctoribus celebrata: Ægyptiorum antiſtites ſic memorant. « Ptolemæo regi, » qui Macedonum primus [5] Ægypti opes firmavit, cùm Ale- » xandriæ recèns conditæ [6] mœnia, templaque, & religiones » adderet, oblatum per quietem decore eximio, & majore » quàm humanâ ſpecie juvenem, qui moneret », ut, fidiſſimis amicorum in Pontum [7] miſſis, effigiem ſuam acciret :

[1] Nullum mendacio pretium] Quòd, cùm hæc ſcriberet Tacitus, Trajano Principe, exciſa erat Flaviorum domus.

[2] Pone tergum ] Intentus quidem numini ; ſed aliquo motu excitatus, reſpexit ponè tergum.

[3] E primoribus Ægyptiorum ] Aliter adhuc Suetonius in Veſpaſ. VII. *Cùm de firmitate imperii capturus auſpicium, ædem Serapidis, ſubmotis omnibus, ſolus intraſſet : ac propitiato multùm deo, tandem ſe convertiſſet, verbenas, coronaſque, & panificia, ut illic aſſolet, Baſilides libertus obtuliſſe ei viſus eſt : quem neque admiſſum à quoquam, & jam pridem propter nervorum valetudinem vix ingredi, longèque abeſſe conſtabat.*

[4] Basilidis ] A voce Græcâ βασιλέως, *regis*.

[5] Macedonum primus ] Hic eſt Ptolemæus I, dictus *Soter*. Clemens autem Alexandrinus, in Protrept. id tribuit Ptolemæo Philadelpho.

[6] Recens conditæ ] Ab Alexandro Magno. Unde Macrob. Saturnal. I, 20. Alexandria *civitas, quæ conditorem Alexandrum Macedonem gloriatur, Sarapin atque Iſin cultu pæne attonitæ venerationis obſervat.*

[7] In Pontum ] In Pontum Aſiaticum

A. U. C. 823. J. C. 70.

lætum id regno, magnamque & inclitam ſedem fore, quæ excepiſſet: « ſimul viſum eumdem juvenem in cælum igne » plurimo attolli ». Ptolemæus, omine & miraculo excitus, ſacerdotibus Ægyptiorum, quibus mos [1] talia intelligere, nocturnos viſus aperit. Atque illis Ponti & externorum parum gnaris, Timotheum, Athenienſem, e gente Eumolpidarum, quem, ut antiſtitem cærimoniarum [2], Eleuſine exciverat, « quænam illa ſuperſtitio, quod numen »? interrogat. Timotheus, quæſitis qui in Pontum meaſſent, cognoſcit urbem illic Sinopen [3], nec procul templum, vetere inter accolas famâ, Jovis Ditis [4]. Namque & muliebrem effigiem adſiſtere, quam plerique Proſerpinam vocent. Sed Ptolemæus, ut ſunt ingenia regum, pronus ad formidinem, ubi ſecuritas rediit, voluptatum quàm religionum appetens, negligere paullatim, aliaſque ad curas animum vertere: donec eadem ſpecies terribilior jam, & inſtantior, « exitium ipſi » regnoque » denuntiaret, « ni juſſa patrarentur ». Tum legatos & dona Scydrothemidi regi (is tunc Sinopenſibus imperitabat) expediri jubet; præcipitque navigaturis, « ut Py» thium Apollinem [5] adeant ». Illis mare ſecundum: ſors oraculi haud ambigua. « Irent, ſimulacrumque patris ſui [6] » reveherent, ſororis relinquerent ».

LXXXIV. Ut Sinopen venêre, munera, preces, mandata regis ſui Scydrothemidi allegant. Qui diverſus animi, modo numen paveſcere, modò minis adverſantis populi ter-

& Paphlagoniam, ubi urbs Sinope, de qua mox dicetur.

[1] Quibus mos] Vetus fama, ſed nomen inane, ut conſtat ex Geneſi XLI, 8, & aliis multis ſacræ Scripturæ locis.

[2] Antistitem cærimoniarum] Eumolpidæ, ab Eumolpo oriundi, antiſtites erant Cereris, & cærimoniis, quæ Eleuſine, in Atticâ, ſecretiſſimè agebantur, præerant. Periit Eleuſin: manent tantùm rudera, quibus nomen *Leſſina*, *ſur la côte de Livadie*. Templi reliquias exhibet Cl. Spon, *Voyage*, part. II. pag. 279.

[3] Sinopen] Turcis *Sinoub*; nobis vulgò *Sinope*, *ſur les côtes de la Mer noire*, *dans la Natolie*.

[4] Jovis Ditis] Jovis Plutonis. Cur autem Serapis diceretur Jupiter Pluto explicabitur in Notis & Emendationibus ad Hiſt. IV, 84.

[5] Pythium Apollinem] Pythium Apollinem Delphos adeant. Delphi, olim percelebres, nunc vicus, dictus *Caſtri*, *au pied du mont Parnaſſe*.

[6] Patris sui] Jupiter Apollinis pater habebatur, ſoror Proſerpina. Bene *reveherent*; cùm ſacra illa antiquitus ex Ægypto avecta.

reri; ſæpe donis promiſſiſque legatorum flectebatur. Atque interim triennio exacto, Ptolemæus non ſtudium, non preces omittere. Dignitatem legatorum, numerum navium, auri pondus augebat. Tum minax facies Scydrothemidi offertur, « ne deſtinata deo ultrà moraretur ». Cunctantem varia pernicies, morbique & manifeſta cæleſtium ira, graviorque in dies fatigabat. Advocatâ concione, « juſſa numinis, ſuos Pto»lemæique viſus, ingruentia mala » exponit. Vulgus adverſari regem [1], invidere Ægypto, ſibi metuere, templumque circumſidere. Major hinc fama tradidit, « deum ipſum ap»pulſas litori naves ſponte conſcendiſſe ». Mirum inde dictu [2], tertio die tantum maris emenſi, Alexandriam appelluntur. Templum pro magnitudine urbis [3] exſtructum, loco cui nomen Rhacotis [4]: fuerat illic ſacellum, Serapidi atque Iſidi antiquitus ſacratum. Hæc de origine & adventu dei celeberrima. Nec ſum ignarus, eſſe quoſdam, qui « Seleuciâ [5], urbe Syriæ, accitum, regnante Ptolemæo, quem tertia ætas [6] tulit: alii « auctorem eumdem Ptolemæum, ſedem, ex quâ »tranſierit, Memphim [7] » perhibent, inclitam olim, & ve-

A. U. C. 823.
J. C. 70.

[1] Adversari regem ] Vulgus cœpit reniti, regi obſiſtere, invidere Ægypto, quæ Jove Sinopenſi potiretur; ſibi metuere, ſi numen, ſuum præſidium, amitteret.

[2] Mirum inde dictu ] In hac narratione nobile exemplum, quomodo olim adornatæ fabulæ. Aliter, nec tam fabuloſè, rem narrat Plutarchus. Quod vide in Notis & Emendationibus ad Hiſt. IV, 84.

[3] Pro magnitudine urbis ] Templi magnificentiam teſtatur Ammianus Marcellinus XXII, 16. *His, Alexandriæ miraculis, accedunt altis ſublata faſtigiis templa, inter quæ eminet Serapeum, quod licèt minuatur exilitate verborum, atriis tamen columnariis ampliſſimis, & ſpirantibus ſignorum figmentis, & reliquâ operum multitudine ita eſt exornatum, ut poſt Capitolium, quo ſe venerabilis Roma in æternum attollit, nihil orbis terrarum ambitioſius cernat.* Immenſas auri opes, templumque, quo nullum ſplendidius, ibique cultum magni Jovis Sinopenſis ſimulacrum celebrat Dionyſius Perieget. verſ. 255.

*Χρυσῷ τιμήεντι κεκοσμένον ἐκ ἂν ἐκείνης*
*Νηὸν ἐν ἀνθρώποισι διατεύχοι ἄλλον ἰδοιο.*
*Ἔνθα Σινωπίταο Διὸς μεγάλοιο μέλαθρον.*

[4] Rhacotis ] Coptis hodieque dicitur *Rachot*. Olim pagus erat: poſtea ibi urbs celeberrima ab Alexandro condita, & appellata Alexandria, nunc *Alexandrie*. Serapeum fuit in vico, cui nomen *Necropolis*, prope columnam Pompeii, ut vulgò loquuntur; quam veriùs columnam Dionyſii Ptolemæi dicerent, ut ex ſemeſis Inſcriptionis literis obſervavit P. Sicard, egregius Ægyptiacarum antiquitatum indagator.

[5] Seleucia ] Quæ Plinio V, 21 & VI, 33 dicitur *Seleucia Pieria Syriæ*, nunc *Suveidia*.

[6] Quem tertia ætas ] Hic eſt Ptolemæus III, dictus *Evergetes*.

[7] Memphim ] Memphis, olim *arx*

A. U. C. 823. J. C. 70.

teris Ægypti columen. Deum ipſum [1] multi « Æſculapium, »quod medeatur ægris corporibus »; quidam « Oſirin, anti»quiſſimum illis gentibus numen »; plerique « Jovem, ut re»rum omnium potentem »; plurimi « Ditem patrem, inſi»gnibus, quæ in ipſo manifeſta », aut per ambages conjectant.

LXXXV. At Domitianus Mucianuſque, antequam Alpibus propinquarent, proſperos rerum in Treveris geſtarum nuntios accepere. Præcipua victoriæ fides, dux hoſtium Valentinus [2], nequaquam abjecto animo, quos ſpiritus geſſiſſet, vultu ferebat. Auditus ideo tantùm, ut noſceretur ingenium ejus, damnatuſque, inter ipſum ſupplicium, exprobranti cuidam « patriam ejus captam », « accipere ſe ſolatium mor»tis » reſpondit. Sed Mucianus, quod diu occultaverat, ut recens expromſit: « Quoniam, benignitate deûm, fractæ hoſ»tium vires forent, parum decorè Domitianum, confecto »propè bello, alienæ gloriæ interventurum. Si ſtatus impe»rii, aut ſalus Galliarum in diſcrimine verteretur, debuiſſe »Cæſarem in acie ſtare: Canninefates Batavoſque minoribus »ducibus delegandos. Ipſe Lugduni vim fortunamque princi»patûs e proximo oſtentaret, nec parvis periculis immixtus, »& majoribus non defuturus ».

LXXXVI. Intelligebantur artes: ſed pars obſequii in eo, ne deprehenderentur: ita Lugdunum [3] ventum. Unde creditur Domitianus, occultis ad Cerialem nuntiis, fidem ejus tentaviſſe, « an præſenti ſibi exercitum imperiumque »traditurus foret »: quâ cogitatione bellum adversùs patrem

*Ægypti regum*, ut ait Plinius V, 9. nunc periit. Ex ejus ruderibus excitata eſt in dextra Nili ripâ urbs altera & maxima, *le Caire*. Manent tamen ampliſſimæ urbis veſtigia in loco, cui hodie nomen *Gizè*. Memphim autem ſedem eſſe, ex quâ Serapis tranſierit, perhibebant, quòd Memphi mons eſſet Sinopius. Sic enim Euſtathius in verſ. 251. Dionyſii Perieget. Σινωπίτης δὲ Ζεὺς, ἢ ὁ Μεμφίτης, Σινώπιον γὰρ ὄρος Μέμφιδος· ἢ ἀπὸ Σινώπης τῆς Ποντικῆς.

[1] Deum ipsum ] Serapidem fuiſſe deum Pantheon patet ex diverſis ejus inſignibus, quæ vide in Notis & Emendationibus ad Hiſt. IV, 84.

[2] Valentinus ] De quo ſuprà cap. 71.

[3] Lugdunum ] Nunc *Lyon*. Domitianus, quaſi ejus auſpiciis & virtute confectum fuiſſet hoc bellum, laudatur a Silio Italico, III, 607.

*At tu tranſcendens, Germanice, facta tuorum,*
*Jam puer auricomo performidate Batavo.*

In his quoque Domitiani laudibus nimius eſt Joſeph. Bell. Jud. VII, 4. num. 2.

agitaverit,

agitaverit, an opes vireſque adverſus fratrem, in incerto fuit: nam Cerialis, ſalubri temperamento eluſit, ut vana pueriliter cupientem. Domitianus ſperni a ſenioribus juventam ſuam cernens, modica quoque & uſurpata antea munia imperii omittebat; ſimplicitatis ac modeſtiæ imagine, in altitudinem conditus, ſtudiumque literarum, & amorem carminum ſimulans [1], quò velaret animum, & fratris æmulationi ſubduceretur, cujus diſparem mitioremque naturam contrà interpretabatur.

A. U. C. 823. J. C. 70.

[1] Simulans ] Sic quoque Sueton. in Domit. II. *Simulavit & ipſe mirè modeſtiam: inprimiſque poeticæ ſtudium, tam inſuetum antea ſibi, quàm poſtea ſpretum & abjectum.* Bene ac verè. Adulatoriè verò Quintilianus, Inſtitut. Orat. X, 1. cùm Virgilium, Ovidium, Lucanum, &c. laudaſſet, *Hos*, inquit, *nominavimus, quia Germanicum Auguſtum*, Domitianum, *ab inſtitutis ſtudiis deflexit cura terrarum, parumque diis viſum eſt, eſſe eum maximum poetarum. Quid tamen iis ipſis ejus operibus, in quæ donatus imperio juvenis ſucceſſerat*, (rectè emendat Lipſius, *ſeceſſerat*) *ſublimius, doctius, omnibus denique numeris præſtantius! Quis enim caneret bella meliùs, quàm qui ſic egerit! Quem præſidentes ſtudiis deæ propiùs audirent? Cui magis ſuas artes aperiret familiare numen Minervæ! Dicent hæc pleniùs futura ſæcula. Nunc enim ceterarum fulgore virtutum laus iſta præſtringitur.* Hæc ſcripſerit ſenex Quintilianus! At cùm ſcriberentur, Princeps erat Domitianus, & ex ſorore nepotum præceptor Quintilianus. In eamdem adulationem præceps Silius Italicus, III, 618.

*Quin & Romuleos ſuperabit voce nepotes,*
*Queis erit eloquii partum decus. Huic ſua Muſæ*
*Sacra ferent, meliorque lyrâ cui ſubſtitit Ebrus,*
*Et venit Rhodope, Phœbo miranda loquetur.*

# *BREVIARIUM*

## LIBRI QUINTI.

I. T*ITUS, perdomandæ Judææ a patre delectus. Ejus copiæ. Haud procul Hieroſolymis caſtra facit.* II. *Judaicæ gentis primordia.* III. *Ejus ſacra & inſtituta.* VI. *Deſcriptio terræ finiumque, balſami, Libani, Jordanis, lacûs bitumen egerentis, camporum torridorum, fructuum in cinerem vaneſcentium, Beli amnis.* VIII. *Hieroſolyma, genti caput. Immenſæ opulentiæ templum. Judæorum fortuna ſub Aſſyriis, Medis, Perſis, Macedonibus, ipſiſque Judæis imperitantibus.* IX. *Eorum quoque varia ſors ſub Romanis.* X. *Judaicum bellum ſub Geſſio Floro, procuratore, ortum. Ceſtius Gallus, Syriæ legatus, ſæpe victus. Mox victor Veſpaſianus cuncta, præter Hieroſolyma, tenet.* XI. *Titus Judæos, ſub urbis muros tendentes, intra mœnia pellit; urbemque oppugnat. Hieroſolymorum munitiones.* XII. *Judæorum duces.* XIII. *Prodigia quæ ante obſidium evenere.* XIV. *Interim Civilis, reparato per Germaniam exercitu, bellum renovat.* XV. *Varia prœlia, primùm Civili, deinde Ceriali proſpera.* XIX. *Civilis in Batavorum inſulam concedit.* XX. *Invadit Roma-*

*norum præſidia.* XXI. *Cerialis ſubvenit, fortunamque vertit.* XXII. *At parum providus, ferme opprimitur.* XXIII. *Civilis navalem aciem oſtentat. Occurrit Cerialis; novumque diſcrimen adit, ob ſuperfuſum Rhenum.* XXIV. *Periclitantur legiones, ſed Cerialis & Civilis in pacem ultro conſpirant.* Cetera periere.

Hæc autem geſta,

A. U. C. J. C.

DCCCXXIII. 70. *Coſſ.* { FLAVIO VESPASIANO Aug. II.<br>
TITO VESPASIANO Cæſare.

# C. CORNELII *TACITI* HISTORIÆ.

## *LIBER QUINTUS.*

A. U. C. 823. J. C. 70.

EJUSDEM anni principio, Cæſar Titus perdomandæ Judææ delectus a patre, &, privatis utriuſque rebus [1], militiâ clarus, majore tum vi famâque agebat, certantibus provinciarum & exercituum ſtudiis: atque ipſe, ut ſuper fortunam crederetur, decorum ſe, promptumque in armis oſtendebat, comitate & adloquiis officia provocans; ac plerumque in opere, in agmine, gregario militi mixtus, incorrupto ducis honore. Tres eum in Judæâ legiones, quinta, & decima, & quintadecima, vetus Veſpaſiani miles, excepere. Addidit e Syriâ duodecimam, & adductos Alexandriâ duoetviceſimanos tertianoſque [2]. Comitabantur viginti ſociæ cohortes, octo equitum alæ: ſimul Agrippa Sohemuſque [3] reges, & auxilia

[1] PRIVATIS UTRIUSQUE REBUS ] Veſpaſianus ac Titus, privatis adhuc rebus, id eſt, nondum ad Principatum evecti, in Germaniâ, in Britanniâ, in Judæâ militari laude inclaruerant. Vide Suetonium in Veſpaſ. IV. & in Tit. IV.

[2] TERTIANOSQUE ] Legiones III & XXII. De Titi exercitu vide & Joſephum, Bell. Jud. V, 1. num. 6.

[3] AGRIPPA SOHEMUSQUE ] De Agrippâ II, Galilææ; Sohemo, Sophenes;

A. U. C. 823. J. C. 70.

regis Antiochi, validaque, &, ſolito inter accolas odio, inſenſa Judæis Arabum manus: multi, quos Urbe atque Italiâ ſua quemque ſpes acciverat, occupandi Principem adhuc vacuum. His cum copiis fines hoſtium ingreſſus, compoſito agmine, cuncta explorans, paratuſque decernere, haud procul Hieroſolymis caſtra facit [1].

II. SED quia famoſæ urbis ſupremum diem tradituri ſumus, congruens videtur primordia ejus aperire. « Judæos, » Cretâ inſulâ [2] profugos, noviſſima Libyæ inſediſſe » memorant, quâ tempeſtate Saturnus [3], vi Jovis pulſus, ceſſerit regnis ». Argumentum e nomine petitur, « inclitum in » Cretâ Idam montem, accolas Idæos, aucto in barbarum » cognomento, Judæos vocitari ». Quidam, « regnante Iſide, exundantem per Ægyptum multitudinem, ducibus Hieroſolymo ac Judâ, proximas in terras [4] exoneratam ». Plerique « Æthiopum prolem [5], quos, rege Cepheo, metus atque odium mutare ſedes perpulerit ». Sunt qui tradant, « Aſſyrios convenas [6], indigum agrorum populum, parte » Ægypti potitos, mox proprias urbes Hebræaſque terras, & » propiora Syriæ coluiſſe ». « Clara » alii « Judæorum initia: » Solymos [7], carminibus Homeri celebratam gentem, conditæ urbi Hieroſolymam nomen e ſuo feciſſe ».

III. PLURIMI auctores [8] conſentiunt, « ortâ per Ægyp-

Antiocho, Commagenæ regibus, jam dictum ſupra Hiſt. II, 81.

[1] CASTRA FACIT ] Primùm caſtra fecit in Spinarum valle, prope vicum Gabath-Saul, diſtantem ab Hieroſolymis circiter ſtadia triginta. Joſephus, Bell. Jud. V, 2. num. 1. Ea propiùs deinde admovit.

[2] CRETA INSULA ] Nunc *l'Iſle de Candie.*

[3] SATURNUS ] Græci a Saturno & Jove, ut poſtea Romani a Trojâ & Trojanis omnia repetebant. Inde apud Græcos invaluit Cretenſis hæc Judæorum origo, de quâ dicentur plura in Notis & Emendationibus ad Hiſt. V, 2.

[4] PROXIMAS IN TERRAS ] In Judæam, Ægypto proximam. De Ægyptiacâ Judæorum origine vide Notas & Emendationes ad Hiſt. V, 2.

[5] ÆTHIOPUM PROLEM ] Æthiopicæ Judæorum originis cauſas explanabimus in Notis & Emendationibus ad Hiſt. V, 2.

[6] ASSYRIOS CONVENAS ] In Aſſyriâ Judæorum origine multùm veritatis: ſed obſcura Taciti brevitas. Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. V, 2.

[7] SOLYMOS ] Solymos quidem celebravit Homerus, ſed Piſidiæ, aut potiùs Æthiopiæ, non Judææ. Vana ergo Solymæa Judæorum origo, ut dicetur fuſiùs in Notis & Emendationibus ad Hiſt. V, 2.

[8] PLURIMI AUCTORES ] Ex iis aucto-

A. U. C. 823. J. C. 70.

»tum tabe, quæ corpora fœdaret, regem Bocchorim, adito »Hammonis oraculo [1], remedium petentem, purgare regnum, & id genus hominum, ut inviſum deis, alias in terras »avehere juſſum. Sic conquiſitum collectumque vulgus, »poſtquam vaſtis locis [2] relictum ſit; ceteris per lacrimas torpentibus, Moſen, unum exſulum, monuiſſe, ne quam deorum hominumve opem exſpectarent, utrimque deſerti; ſed ſibimet, ut duci cæleſti, crederent, primo cujus auxilio [3] præſentes miſerias pepuliſſent». Adſenſere, atque omnium ignari fortuitum iter incipiunt. Sed nihil æquè, quàm inopia aquæ [4], fatigabat. Jamque haud procul exitio, totis campis procubuerant, cùm grex aſinorum agreſtium [5], e paſtu in rupem, nemore opacam [6], conceſſit. Secutus Moſes, conjecturâ herbidi ſoli, largas aquarum venas aperit. Id levamen: & continuum ſex dierum iter [7] emenſi, ſeptimo, pulſis cultoribus,

ribus, multi ſanè periere: nonnulli tamen adhuc manent, quales Chæremon & Lyſimachus apud Joſephum, Juſtinus ex Trogo Pompeio, Diodorus Siculus in Eclogis, qui ſimilia abſurdiorave prodiderunt. Quâ de re vide Notas & Emendationes ad Hiſt. V, 3.

1 HAMMONIS ORACULO] De quo Pomponius Mela I, 8. *In Cyrenaica Hammonis oraculum, fidei inclitæ;* & Plinius V, 9. *Memphis quondam arx Ægypti regum: unde ad Hammonis oraculum XII dierum iter eſt.* Loco, ubi olim fuit oraculum, nunc nomen eſſe creditur, *Sant-rieh.*

2 VASTIS LOCIS] Vaſtis Arabiæ locis; ut rectè explicat Tertullianus: quem vide inter Teſtimonia Veterum.

3 PRIMO CUJUS AUXILIO] Inde rectè arguit Oroſius quædam, quæ Moſes ſtrenuè egiſſet, a Tacito fuiſſe celata. Vide Oroſium inter Teſtimonia Veterum.

4 INOPIA AQUÆ] Hæc eſt aquæ inopia, quam memorat Moſes, Exod. XV, 23.

5 GREX ASINORUM AGRESTIUM] Id repertum videtur, ut laus Moſis detereretur, & fabula dei Aſinini, de quâ mox dicetur, poſſet adornari. In hoc mendacium traxere, quod alibi & multò antè contigiſſe narraverat ipſe Moſes, Geneſ. XXXVI, 24. *Iſte eſt Ana, qui invenit aquas calidas in ſolitudine, cùm paſceret aſinos Sebeon patris ſui.*

6 NEMORE OPACAM] In hac rupe, nemore opacâ, largiſque aquarum venis, pronum eſt agnoſcere duodecim fontes aquarum & ſeptuaginta palmas, quas Hebræi, duce Moſe, in Elim reperere. Exod. XV, 26 & 27. Palmetum illud in majorem palmarum numerum nemuſque poſtea ſuccrevit; & exſtat adhuc cum duodecim fontibus aquarum, ut vidit ipſe P. Sicard, cùm in his locis Hebræorum Moſiſque veſtigia relegeret. *Nouveaux Mémoires des Miſſions de la Compagnie de Jeſus dans le Levant*, Tom. VII. pag. 5.

7 CONTINUUM SEX DIERUM ITER] Hebræi, ex Ægypto profecti, continuo ſex dierum itinere vaſta Arabiæ loca peragrare non potuere, ut patet tum e ſacrâ Scripturâ, tum e locorum notitiâ. Cùm id itineris emetiretur P. Sicard, loc. cit. pag. 4, nono ac triceſimo tantùm die ad montem Sinai pervênit. Latet tamen in Taciti verbis non obſcurum antiquæ veritatis monumentum. Hebræi enim, cùm in Palæſtinam veniſſent, *continuis ſex diebus* urbem Jericho circumivere; eam ceperunt *ſepti-*

obtinuere terras, in quîs urbs & templum dicata.

A. U. C. 823. J. C. 70.

IV. Moses, quò ſibi in poſterum gentem firmaret, novos ritus [1], contrarioſque ceteris mortalibus, indidit. Profana illic omnia, quæ apud nos ſacra [2]: rurſum conceſſa apud illos, quæ nobis inceſta [3]. Effigiem animalis [4], quo monſtrante errorem ſitimque depulerant, penetrali ſacravere; cæſo ariete [5], velut in contumeliam Hammonis [6]. Bos quoque immolatur, quem Ægyptii Apin [7] colunt. Sue abſtinent [8],

*mo* die, quod erat ſabbatum. Pulſis Palæſtinæ cultoribus, *terras* illas obtinuere, in quibus poſtea a Davide *urbs*, a Salomone *templum dicata ſunt*. Vide Joſue VI, 3 & 20. Tacitus, nimiâ brevitate, exteroſque ſcriptores Judaicarum rerum ignaros ſecutus, hæc omnia fœdè corrupit.

[1] Novos ritus ] Novos quidem, ſed Deo dignos: quos a Taciti cenſurâ purgare minimè neceſſe eſt, cùm tot viri eruditi id ante nos præſtiterint. Satis ſit monuiſſe Joſephum libris contra Apionem I & II, omnia hæc convicia, ab Apione, Apollonio, Lyſimacho aliiſque maledicis jam decantata, abundè refutaſſe.

[2] Apud nos sacra ] Verè quidem. Unum enim Deum Judæi, Romani innumera deorum ſimulacra, morbos, peſtes, vitiaque colebant. Vide Plinium II, 7.

[3] Nobis incesta ] Romanis inceſta erant nuptiarum genera, quæ apud Judæos fuere conceſſa. De inceſtis Claudii & Agrippinæ nuptiis dictum eſt ſuprà Annal. XII, 5 & ſeqq. Illæ verò nuptiæ patrui cum fratris filiâ non ſunt prohibitæ in Levitic. XVIII. Vide & Menochium, *de Republicâ Hebræorum*, III, 20. num. 2.

[4] Effigiem animalis ] Huic fabulæ adverſatur ipſe Tacitus, cùm mox infrà cap. 5. ait: *nulla ſimulacra urbibus* Judæorum, *nedum templis* ſunt. Sed de hac fabulâ plura vide in Notis & Emendationibus ad Hiſt. V, 4.

[5] Cæso ariete ] Hæc meris, ut patet, conjecturis, quibus nihil fallacius, nituntur. Nempe quòd Jupiter Hammon arietinum cornu haberet, inde in ejus contumeliam cæſum a Judæis arietem finxere. Sic bovem immolatum, quòd Ægyptii bovem Apin colerent, prodiderunt. Quàm hæc vana falſaque ſint liquet ex ſacrificiis, quæ Abel, Noe aliique, Geneſ. IV, 4. VIII, 20. obtulere, cùm neque Hammon, neque Apis eſſent in rerum naturâ.

[6] Hammonis ] Cornutum Jovis Hammonis caput paſſim obvium in Cyrenæorum nummis. At ſingularem Fauſtinæ matris nummum, in cujus averſâ parte eſt illud Hammonis caput, & infrà ΑΜΜΩΝ, protulit Cl. Pellerin, *Mélange de diverſes Médailles*. Tom. I. pag. 25. De Hammonis cornu ejuſque vi Plinius XXXVII, 10. *Hammonis cornu inter ſacratiſſimas Æthiopiæ gemmas, aureo colore, arietini cornûs effigiem reddens, promittitur prædivina ſomnia repræſentare.*

[7] Apin ] Præcipuum urbis Memphis numen: cujus ſuperſtitionem olim imitati Judæi vitulum aureum conflavere. Exod. XXXII, 4. Apis frequens occurrit in Juliani Imperatoris nummis. Si de Api plura volueris, vide Herodotum III, 28. pag. 170. Plinium VIII, 47.

[8] Sue abstinent ] Hæc ceteraque ex conjecturâ dicta, atque falſa. Non ſue tantùm, ſed etiam ſanguine, morticinis, quamplurimis etiam avibus, piſcibus, animalibus, juxta leges Levitic. XI & XVII, abſtinent Judæi. Id autem vetitum Dei providentiâ, qui populi ſui ſaluti conſulebat. Nempe, ut rectè obſervat eruditus Mead, *Medica ſacra*, cap. 2. pag. 17, cùm in his calidioribus regionibus, niſi accurata ſit victûs ratio, corpora leproſâ ſcabie facilè inficiantur, interdicta ſunt Judæis nutrimenta craſſa, quæ in mor-

memoriâ

A. U. C. 823. J. C. 70.

memoriâ cladis, quâ ipſos ſcabies [1] quondam turpaverat, cui id animal obnoxium. Longam olim famem crebris adhuc jejuniis [2] fatentur. Et raptarum frugum argumentum, panis Judaicus [3] nullo fermento, retinet. « Septimo die »otium [4] placuiſſe » ferunt: « quia is finem laborum tule»rit; dein, blandiente inertiâ, ſeptimum quoque annum [5]

bis, qui cutem occupant, incommoda ſunt & noxia. Sic legis præcepta non modò Judæos ab idololatriâ & vanis religionibus avertebant, ſed ab omnibus quoque immunditiis puros illos præſtabant.

[1] Scabies ] Scabies illa eſt ipſa lepra, quam accuratiſſimè deſcripſit Moſes, Levitic. XIII & XIV; nec quondam tantùm Judæos turpaverat, ſed illi morbo fuere ſemper obnoxii, dum eas regiones incoluere: quin etiam hodie frequens eſt in Syriâ & Ægypto, ut videre eſt apud eruditum Mead, loc. cit. pag. 12.

[2] Crebris adhuc jejuniis ] Crebra quidem erant Judæorum jejunia, ſiquidem in Judaicis Calendariis ne unus quidem menſis eſt in quo dies aliquot jejuniorum non ſint notati; & in nonnullis menſibus multi adſignantur. At jejunia illa non longam eorum famem teſtantur, ſed res infauſtas triſteſve, quæ diebus illis contigere, deflent Judæi. Sic die ſeptimâ menſis Tiſri notatur in eorum Calendariis: *Jejunium, quòd deciſum ſit decretum contra patres noſtros, ut gladio, fame, & peſte conſumerentur in deſerto ob opus vituli.* Die ſeptimâ menſis Adar: *Jejunium, quòd eo die mortuus eſt Moſes propheta.* Et ſic de ceteris. Originem quoque & tempora jejuniorum corrupit Juſtinus, XXXVI, 2. Moſes *ſeptem dierum jejunio, per deſerta Arabiæ, cum populo ſuo fatigatus, cùm tandem veniſſet* in montem Synan, *le mont Sinai, ſeptimum diem, more gentis ſabbatum appellatum, in omne ævum jejunio ſacravit: quoniam illa dies famem illis erroremque finierat.* Vulgarem autem fuiſſe apud Romanos hunc errorem patet ex Suetonio in Aug. LXXVI. & Martiale Epigramm. IV. 4.

[3] Panis Judaicus ] Hìc agnoſcere eſt panem azymum de quo Exod. XII, 8. At panis ille non raptarum frugum, ſed mæroris ac luctûs fuit argumentum. Inde in Deuteronom. XVI, 3, vocatur לחם עני, id eſt *panis afflictionis*, quoniam in pavore egreſſi erant de Ægypto Judæi. Azymus autem panis non vulgaris fuit in victu Judaico, ut innuit Tacitus. Eo tantùm utebantur, cùm Paſcha celebrabant; ac ne toto quidem ſeptiduo, ſed primo ſolùm die: nam reliquis ſex diebus, ſeminibus aut fructibus veſci potuere, dum fermentato abſtinerent, ut teſtimoniis RR. Moſe & Selomo probat Petavius in Animadverſionibus ad Epiphanium, Hæreſ. LXX. *Audianorum*. Tom. II. pag. 293.

[4] Septimo die otium ] Verè quidem: nondum tamen ſatis accuratè. Memoria enim ſeptimi diei, ſeu ſabbati, ab orbe condito, ut Deus rerum omnium auctor coleretur, ſancta fuit. Exod. XX, 8 & 11. Poſtea cùm Judæis ex Ægypto egreſſis, otium ſecurumque ſabbatum feciſſet Deus, iterum ſtatuta auctaque ſabbati religio. Exod. XXXI, 13. Deuteronom. V, 14.

[5] Septimum quoque annum ] Judæis non blandita eſt inertia: neque ſeptimus annus ab iis ignaviæ datus. Verùm ut exitûs ex Ægypto adſertæque libertatis memoria ex Judæorum animis numquam excideret, ſeque Deum legum ſuarum auctorem habere ſcirent, juſſi ſunt ſeptimo quoque anno nec ſeminare terras, nec vineas, nec oliveta colere, ſed ſabbatum Dei, שבת ליהוה, agere. Exod. XXIII, 10. Levitic. XXV, 4. Alterum adhuc ſabbatum, & ſolemnius, poſt *ſeptem hebdomadas annorum*, id eſt quinquageſimo anno recurrebat. Ipſe enim erat יובל, id eſt *Jubileus.* Levitic. XXV, 8 & 10. Talia ſabbata fuere apud Judæos juge miraculum. Quî enim niſi a Deo præpo-

A. U. C. 823. J. C. 70.

»ignaviæ datum ». Alii « honorem eum Saturno haberi [1] : »ſeu, principia religionis tradentibus Idæis, quos cum Saturno pulſos, & conditores gentis accepimus, ſeu, quòd »e ſeptem ſideribus, quis mortales reguntur, altiſſimo orbe [2], »& præcipuâ potentiâ, ſtella Saturni feratur; ac pleraque »cæleſtium, vim ſuam & curſum ſeptimos per numeros [3] »conficiant ».

V. Hi ritus, quoquo modo inducti, antiquitate [4] defenduntur : cetera inſtituta ſiniſtra, fœda, pravitate valuere [5]. Nam peſſimus quiſque, ſpretis religionibus patriis [6], tributa & ſti-

tente, in his ſabbatis ali potuit gens, in quâ erat circiter ſexagies hominum, 6,000,000. In unâ urbe Jeruſalem, cùm celebrabatur Paſcha, conveniebant plus quàm vicies centena millia hominum, 2,000,000, ut mox dicetur infrà cap. 13. At prædixerat Deus : *Facite præcepta mea ... Quòd ſi dixeritis : Quid comedemus anno ſeptimo, ſi non ſeverimus, neque collegerimus fruges noſtras? Dabo benedictionem meam vobis anno ſexto, & faciet fructus trium annorum.* Levitic. XXV, 18, 20 & 21. Caius Julius Cæſar, dictator, Judæis minimè iniquus, cùm eos tributa ſingulis annis pendere juſſiſſet, excepit annum ſeptimum, quem Sabbaticum appellant, quòd in eo neque fructus arborum legunt, neque ſeminant, neque arant. Ἔστησε κατ' ἐνιαυτὸν ὅπως τελῶσιν .... χωρὶς τοῦ ἑβδόμου ἔτους, ὃν Σαββατικὸν ἐνιαυτὸν προσαγορεύουσιν, ἐπειδὴ ἐν αὐτῷ μήτε ἀπὸ τῶν δένδρων καρπὸν λαμβάνουσι, μήτε σπείρουσι .... οὔτε ἀροῦσιν. Vide ipſum Cæſaris decretum apud Joſephum, Antiq. Jud. XIV, 10. num. 6.

[1] SATURNO HABERI ] Cùm invaluit uſus, ut dies hebdomadæ a ſideribus nuncuparentur, dieſque ſeptimus Saturno fuit dicatus, tunc exiſtimatum eſt ſabbati honorem Saturno haberi. Quod veriſimillimum iis viſum eſt, qui ab Idæis, ſeu Cretenſibus, ut dictum ſuprà cap. 2, Judæorum originem repetebant.

[2] ALTISSIMO ORBE ] E ſeptem ſideribus, quos planetas vocamus, altiſſimus eſt Saturnus. Præcipuus autem potentiâ habebatur, quòd *gelidæ ac rigentis eſſe naturæ* putaretur. Plin. II, 8.

[3] SEPTIMOS PER NUMEROS ] Ea fuit Ægyptiorum, Pythagoræorum, ac poſtea aſtrologorum omnium ſuperſtitio, ut mundi tempora hominumque fata ſeptem ſiderum curſu regi crederent. Atque ut mendacio auctoritatem adderet obſcuritas, ita diviſa eſt hominum vita, ut ſingulis annis, ſingulis menſibus, ſingulis horis præeſſent ſidera, vimque ſuam maximam, ſicutì & curſum, per ſeptimos numeros conficerent. Inde tota horoſcoporum ars, tota climactericorum annorum ratio. Quæ ſcientiæ vanitas in hac tantâ religionis literarumque luce nondum penitus ex hominum animis excidit. Uſque adeò timidos mortales vexat caliginoſa futuri ignorantia!

[4] ANTIQUITATE ] Quod quidem Taciti teſtimonium Moſis legiſque Judaicæ antiquitatem comprobat.

[5] PRAVITATE VALUERE ] Siniſtra, fœda habeantur Judæorum inſtituta, ſi pravitas ſit Jovem, Venerem, ceteraque Romanarum religionum monſtra temnere, Deum unum, ſummum, æternum, neque mutabilem, neque interiturum, colere.

[6] SPRETIS RELIGIONIBUS PATRIIS ] Præter Judæos, Palæſtinæ incolas, alii erant innumeri per totum terrarum orbem diffuſi. Ubique ritibus ſuis addicti, patrias locorum, quæ habitabant, religiones ſpernebant; & cùm templo Hieroſolymitano omnes intereſſe, cenſum ſolvere, vota reddere, victimas offerre non poſſent, tributa & ſtipes congerebant, quæ Jeruſalem ſin-

pes illuc congerebant. Unde auctæ Judæorum res; & quia [1] apud ipſos fides obſtinata [2], miſericordia [3] in promptu, ſed adversùs omnes alios hoſtile odium [4]. Separati epulis [5], diſcreti cubilibus [6], projectiſſima ad libidinem gens, alienarum concubitu abſtinent: inter ſe nihil inlicitum [7]. Circumcidere genitalia inſtituêre, ut diverſitate noſcantur [8]. Tranſgreſſi in morem eorum [9], idem uſurpant [10]: nec quidquam priùs imbuuntur, quàm contemnere deos, exuere patriam; parentes, liberos, fratres, vilia habere [11]. Augendæ tamen multitudini

A. U. C. 823.
J. C. 70.

gulis annis mittebantur. Hac magnâ auri argentique vi quantum auctæ fuerint Judæorum res commodiùs declarabitur in Notis & Emendationibus ad Hiſt. V, 5.

[1] Et quia ] Auctæ adhuc Judæorum res obſtinatâ apud ipſos, & inter ipſos, fide, miſericordiâ, & hoſtili adversùs omnes alios odio.

[2] Fides obstinata ] Id commendat mutuam Judæorum caritatem: quæ quidem apud illos adhuc viget, ut & ſemper viguit.

[3] Misericordia ] Celebratur adhuc maximè illa inter Judæos miſericordia. Vetera quoque manent exempla in Actibus Apoſtolorum, & D. Pauli Epiſtolis.

[4] Hostile odium ] Chananæorum occidio, uſura, aliaque id genus famam hanc hoſtilis odii excitavere, quam abolere nititur R. Leo Mutinenſis, *Cérémonies & Coutumes des Juifs*, I, 5. Certè ex lege non fuit hoſtile illud adversùs omnes odium. Inde cum tot gentibus ipſiſque Romanis, ut videre eſt I. Machab. VIII, 1 & ſeqq. pacis ac ſocietatis fœdera Judæi inierunt. Hodieque ſingulis ſabbatis, orant Deum pro Principibus, ſub quorum dominatu vivunt, ut eos eorumque principatum ſoſpitet & amplificet. Idem jam monuerat Jeremias XXIX, 7.

[5] Separati epulis ] Veriti ne aliorum ſocietate communique vitâ polluerentur.

[6] Discreti cubilibus ] Suâ in gente nuptias ineunt.

[7] Nihil inlicitum ] Quàm id ſit falſum conſtat tum ex lege, cujus non modò præceptum eſt, *Non mœchaberis*, ſed etiam, *Non concupiſces*. Violataque pudicitia graviſſimis pœnis obnoxia, ut videre eſt in Deuteronom. XXII, 21, & ſeqq. Vide & Joſephum, contra Apionem, II, 24 & 30. Immo ממזרים, id eſt, ſpurii, ſeu de ſcorto nati, non ingrediuntur *in eccleſiam Domini*, *uſque ad decimam generationem*. Deuteronom. XXIII, 2. Perperam ergo paucorum libidinem in omnium crimen vertit Tacitus.

[8] Diversitate noscantur ] Bene quidem. Fuit enim circumciſio *ſignum fœderis* inter Deum & Judæos. Geneſ. XVII, 11. Minimè ſentiebat Tacitus Judæos circumciſionem ab Ægyptiis accepiſſe. Quod poſtea nonnullis eruditis viris placuit.

[9] Transgressi in morem eorum ] Accuratiſſimè dictum. Ii ſunt גרים, ſeu *proſelyti*, dicti quoque בני ברית, id eſt, *filii fœderis*, qui, relictâ Gentili religione, Judaicæ nomen dabant. Quàm acri ſtudio Judæi proſelytos quærerent videre eſt apud D. Matthæum, XXIII, 15.

[10] Idem usurpant ] Nec antequam circumcidatur, proſelytus habetur.

[11] Vilia habere ] Verè adhuc. Proſelytus enim quaſi modò genitus infans habebatur. Illi Judæa patria, Judæi fratres: cetera profana & vilia. Inde ſolemne illud Judæorum effatum, כל שאר בשר שהיו לי כשהוא גוי אינן שאר בשר, id eſt, *quiſquis proſelyto conſanguineus erat, dum fuit Gentilis, conſanguineus planè jam non eſt*. Plura vide apud eruditum Seldenum, *de Jure Natur. & Gentium*, II, 4. pag. 62 & ſeqq.

A. U. C. 823. J. C. 70. conſulitur. Nam & necare quemquam ex agnatis, nefas [1] animaſque, prœlio aut ſuppliciis peremptorum, æternas putant [2]. Hinc generandi amor, & moriendi contemptus [3]. Corpora condere [4], quàm cremare, e more Ægyptio; eademque cura [5], & de infernis perſuaſio: cæleſtium contrà [6]. Ægyptii pleraque animalia, effigieſque compoſitas [7] veneran-

[1] Nefas ] Unde Joſephus contra Apionem, II, 24. Τέκνα τρέφειν ἅπαντα προσέταξε· καὶ γυναιξὶν ἀπεῖπεν, μήτ' ἀμβλῶσαι τὸ σπαρὲν, μήτε διαφθείρειν· ἀλλ' ἂν φανείη, τεκνοκτόνος ἂν εἴη, ψυχὴν ἀφανίζουσα, καὶ τὸ γένος ἐλαττοῦσα. *Liberorum quidquid ſuſceptum erit, educari lex jubet. Vetat ne qua mulier ſuſceptum ſemen aut ejiciat, aut exſtinguat: quæ ſecus faxit, pro liberorum interfectrice haberi vult, perinde ac ſi re ipſâ & fœtûs vitam oppreſſerit, & generis propagationem imminuerit.* Contrà apud Romanos luxu, libidine, inviſa erat liberorum multitudo. Adde expoſitionem infantium, quæ Judæis fuit ſemper ignota; familiaris autem aliis quamplurimis gentibus ob nativam inhumanitatem hæc impietas. Βρεφῶν ἔκθεσις, ὃ παρὰ πολλοῖς τῶν ἄλλων ἐθνῶν ἕνεκα τῆς φυσικῆς ἀπανθρωπίας χειροήθες ἀσέβημα γέγονε. Philo, in libr. de Legib ſpecial. ad præcept. 6 & 7.

[2] Æternas putant ] Æternas, æternúmve felices, putabant animas eorum, qui nullo inquinati ſcelere vitam pro patriâ, pro religione, prœlio aut ſuppliciis profundebant. Inde Machabæorum, Eleazari, aliorumque veneranda memoria. Apertè etiam Joſephus contra Apionem, II, 30. Τοῦ δὲ Θεοῦ τὴν πίστιν ἰσχυρὰν παρεσχηκότος, ὅτι τοῖς τοὺς νόμους διαφυλάξασι, κἂν εἰ δέοι θνήσκειν ὑπὲρ αὐτῶν προθύμως ἀποθανοῦσιν, ἔδωκεν ὁ Θεὸς γενέσθαι τε πάλιν, καὶ βίον ἀμείνω λαβεῖν ἐκ περιτροπῆς. *Deus certiſſimæ fidei pignore confirmavit fore, ut illis qui leges conſtanter ſervaverint, proque eis, ſi opus ſit mori, libenter ſtrenuéque mortem ſuſceperint, & novum deinceps ortum, & vitæ viciſſim alterius longéque melioris fructum Deus largiatur.* Quidam autem Judæi exiſtimaverunt impiorum animas penitus exſcindi, &, ut bruta, perire. Quod fortè hìc innuit Tacitus. Teſtimonia Rabbinorum vide apud eruditum Seldenum, de *Jure Natur. & Gentium*, VII, 9. pag. 829 & 83[?].

[3] Moriendi contemptus ] Tantum valet æternitatis perſuaſio!

[4] Corpora condere ] Mallet Illuſtr. Huetius, *condire*. At nec repugnat, *condere*. Romani enim cremabant corpora: contrà verò Judæi, ut & Ægyptii, cum unguentis & aromatibus condebant: in funebri apparatu neque parci, neque prodigi; ut videre eſt apud Joſephum, contra Apionem, II, 34. De funeribus Ægyptiis confer Diodorum Siculum, I, 91. Apertè autem de Judæis D. Joannes XIX, 39. *Venit autem & Nicodemus... ferens mixturam myrrhæ & aloes, quaſi libras centum. Acceperunt ergo corpus Jeſu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Judæis ſepelire.* Poſtea illud poſuerunt, ſeu condiderunt, in monumento. Vide Matthæum XXVII, 60.

[5] Eademque cura ] Judæis Ægyptiiſque ſperabantur bonorum præmia, malorum pœnæ. Inde utriſque eadem cura, eadem perſuaſio de infernis. Et ut Ægyptii *ſepulcra domos æternas* appellabant, τάφους ἀϊδίους οἴκους προσαγορεύουσι, Diodor. Sicul. I, 51. Sic quoque Salomon, Eccleſiaſt. XII, 5, tumulum dixit בית עולם, id eſt *domum æternitatis.* Hodieque Judæis dicitur בית חיים, id eſt *domus viventium.*

[6] Cælestium contra ] Judæi enim unum Deum, contrà Ægyptii plurima numina ipſaque animalia colebant.

[7] Effigiesque compositas ] Ægyptii non modò pleraque animalia viva, ſed eorum quoque effigies venerati ſunt. Quas quidem ita componebant, ut multas viderim marmoreas æreaſque corporibus humanis, capitibus verò canis, felis, aliorumque animalium.

tur; Judæi mente ſolâ, unumque numen [1] intelligunt. « Pro- A. U. C.
»fanos, qui deûm imagines, mortalibus materiis, in ſpecies 823.
»hominum effingant. Summum illud & æternum, neque mu- J. C.
»tabile, neque interiturum ». Igitur nulla ſimulacra urbibus 70.
ſuis, nedum templis ſinunt. Non regibus hæc adulatio, non Cæſaribus honor. Sed quia ſacerdotes eorum tibiâ tympaniſque concinebant, hederâ vinciebantur [2], vitiſque aurea [3] templo reperta: « Liberum patrem coli, domitorem Orien»tis », quidam arbitrati ſunt, nequaquam congruentibus inſtitutis: quippe Liber feſtos lætoſque ritus poſuit; Judæorum mos abſurdus ſordiduſque [4].

VI. Terra fineſque, quà ad Orientem vergunt, Arabiâ [5] terminantur: a Meridie, Ægyptus objacet: ab Occaſu,

[1] Mente sola, unumque numen ] Verè egregiéque Tacitus. Bene quoque Dio XXXVII. pag. 37. Τῶν μὲν ἄλλων θεῶν οὐδένα τιμῶσιν, ἕνα δέ τινα ἰσχυρῶς σέβουσι· οὐδ᾽ ἄγαλμα οὐδὲν ἐν αὐτοῖς ποτὲ τοῖς Ἱεροσολύμοις ἔσχον· ἄρρητον δὲ δὴ καὶ ἀειδῆ αὐτὸν νομίζοντες εἶναι, περισσότατα ἀνθρώπων θρησκεύουσι· καὶ αὐτῷ νεών τε μέγιστον καὶ περικαλλέστατον, πλὴν καθ᾽ ὅσον ἀχανής τε καὶ ἀνώροφος ἦν, ἐξεποίησαν. *Nullum ex ceteris diis colunt, unum autem quemdam ſummo ſtudio venerantur. Nec ullum umquam Hieroſolymis ipſis ſimulacrum habuerant: ſuum ſcilicet illum Deum, ineffabilem & formæ aſpectabilis expertem exiſtimantes, religioſo ejus cultu ceteros mortales ſuperant: cui & templum maximum, & pulcherrimum, niſi quòd apertum & ſine tecto eſt, extruxerunt.* Inde cùm ſub dio, cælumque ſæpe reſpectantes, Judæi Deum venerarentur, eos nonnulli inter nubium cælique cultores finxere. Quâ in re præcipuus eſt Juvenalis, qui objecta jam a Tacito crimina hoc novo crimine cumulat. Juvenal. Satyr. XIV, 96.

*Quidam ſortiti metuentem ſabbata patrem,*
*Nil præter nubes, & cœli numen adorant.*
*Nec diſtare putant humanâ carne ſuillam,*
*Quâ pater abſtinuit, mox & præputia ponunt.*
*Romanas autem ſoliti contemnere leges,*
*Judaicum ediſcunt, & ſervant, ac metuunt jus,*
*Tradidit arcano quodcumque volumine Moyſes.*
*Non monſtrare vias, eadem niſi ſacra colenti:*
*Quæſitum ad fontem ſolos deducere verpos.*
*Sed pater in cauſâ; cui ſeptima quæque fuit lux*
*Ignava, & partem vitæ non attigit ullam.*

[2] Hedera vinciebantur ] Nuſquam in ſacrâ Scripturâ legitur Judæorum ſacerdotes vinctos fuiſſe hederâ. Immo ignoratur quomodo hedera Hebraicè dicatur. At id mentiebantur Romani, ſicut & cultum Liberi patris, ſeu Bacchi; quòd Judæi die quintodecimo menſis Tiſri, id eſt menſe Octobri, feſtum סכות, ſeu *tabernaculorum*, celebrarent; ut fuſiùs declarabitur in Notis & Emendationibus ad Hiſt. V, 5.

[3] Vitisque aurea ] De hac vite, magnitudine arteque mirabili, cujus botri erant ſtaturæ humanæ pares, quamque Joſephus Gorionides affirmat fuiſſe pondo mille talentorum aureorum, Gallicæ monetæ librarum 125,625,000, commodiùs dicetur in Notis & Emendationibus ad Hiſt. V, 5.

[4] Absurdus sordidusque ] Fuere quidem Judæis ſolemnia ſplendida ac magnifica: alia verò, & plura, luctu, jejuniis, memoriâ adverſarum rerum, quæ genti contigerant, mæſta ac triſtia. Quæ cùm a lætitiâ temulentiâque Bacchanalium abhorrerent, Judæorum mos abſurdus ſordiduſque videbatur. Nec aliter Cicero in Orat. pro Flacco, cap. 28. *Iſtorum religio ſacrorum a ſplendore hujus imperii, gravitate nominis noſtri, majorum inſtitutis abhorrebat.*

[5] Arabia ] Arabiâ Petræâ & deſertâ.

A. U. C. 823. J. C. 70.

Phœnices & mare: Septemtrionem a latere Syriæ [1] longè proſpectant. Corpora hominum ſalubria, & ferentia laborum: rari imbres, uber ſolum. Exuberant [2] fruges noſtrum ad morem [3]; præterque eas balſamum & palmæ. Palmetis proceritas [4], & decor. Balſamum, modica arbor [5]: ut quiſque ramus intumuit, ſi vim ferri adhibeas, pavent venæ; fragmine lapidis, aut teſtâ aperiuntur: humor [6] in uſu medentium eſt. Præcipuum montium Libanum [7] erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacum fidumque nivibus [8]. Idem amnem Jordanem [9] alit, funditque. Nec Jordanes pelago accipitur: ſed unum atque alterum lacum [10] integer perfluit: tertio retinetur. Lacus immenſo ambitu [11], ſpecie maris, ſapore corruptior [12],

[1] SYRIÆ ] Cœleſyriæ.

[2] EXUBERANT ] Fortè redundat, *exuberant*. Id enim ſatis intelligitur ex ſuperioribus, *uber ſolum*.

[3] NOSTRUM AD MOREM ] Judæa enim frumento, vineis, & oleis abundat, ut & Italia.

[4] PALMETIS PROCERITAS ] Inde palma, *le palmier*, fuit ſemper præcipua inter ſymbola decoraque Judææ. In Samaritanis Judæorum nummis expreſſa palma ſæpe occurrit. De palmetorum nemoribus, palmarumque naturâ vide Plinium V, 14 & 17. XIII, 4.

[5] BALSAMUM, MODICA ARBOR ] Modica quidem arbor, ſed curioſæ naturæ, maximique pretii: primùm inter Judæorum, deinde inter Romani fiſci opes celebratiſſima; de quâ ergo diligentiùs dicendum. Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. V, 6.

[6] HUMOR ] Quod opobalſamum dicebatur. De medicâ vi balſami diſtinctè Plinius XII, 25. *Corticis etiam ad medicamenta pretium: præcipua autem gratia lacrymæ, ſecunda ſemini, tertia cortici, minima ligno.*

[7] LIBANUM ] Nunc quoque, *le mont Liban*; montem in ſacrâ Scripturâ celebratiſſimum.

[8] OPACUM FIDUMQUE NIVIBUS ] Nivem Libani memorat Jeremias, XVIII, 14. Eam non deficere minimè mirum in hac tantâ montis altitudine.

[9] AMNEM JORDANEM ] Nunc *le Jourdain*. De quo eleganter Plinius V, 15. *Jordanis amnis oritur e fonte Paneade... amnis amœnus, & quatenus locorum ſitus patitur, ambitioſus, accoliſque ſe præbens, velut invitus, Aſphaltiten lacum dirum naturâ petit, a quo poſtremò ebibitur, aquaſque laudatas perdit peſtilentibus mixtas.*

[10] UNUM ATQUE ALTERUM LACUM ] Verè. Primò enim Samachoniten lacum, ſeu aquas Merom, nunc *Es-malmaron*, & lacum Geneſareth, ſeu mare Tiberiadis, nunc *la mer de Tibériade*, *integer perfluit.*

[11] LACUS IMMENSO AMBITU ] Tertius hic lacus eſt lacus Aſphaltites, qui accolis dicitur *Bahhret Louth*, id eſt lacus Lot, nobis vulgò *la mer Morte.* Juxta Plinium V, 16, *longitudine excedit centum M. paſſuum, latitudine maximâ XXV implet, minimâ ſex.* Pater Nau, accuratiſſimus Terræ Sanctæ inſpector, *Voyage nouveau de la Terre Sainte*, IV, 8, ait quoque lacum hunc patere quatuor & viginti circiter leucas longitudine, duas treſve variis in locis latitudine.

[12] SAPORE CORRUPTIOR ] Idem teſtantur viatores omnes. Expertus verò eſt princeps Radzivil, *Jeroſolymitana peregrinatio*, pag. 96. *Lacus aquam colores variantem, valde ſpiſſam & fætentem habet, quæ guttatim deguſtata, prout a nobis factum linguam atrociter mordet, & caput gravi peſtiferoque odore vehementer inficit.*

gravitate odoris accolis peſtifer [1], neque vento impellitur [2], neque piſces [3] aut ſuetas aquis volucres patitur. Incertæ undæ [4]: ſuperjacta, ut ſolido, ferunt: periti imperitique nandi perinde attolluntur [5]. Certo anni [6], bitumen egerit; cujus legendi uſum, ut ceteras artes, experientia docuit. Ater ſuâpte naturâ liquor, & ſparſo aceto concretus, innatat: hunc manu captum, quibus ea cura, in ſumma navis trahunt. Inde, nullo juvante, influit, oneratque, donec abſcindas: nec abſcindere ære ferrove poſſis: fugit cruorem veſtemque infectam ſanguine, quo feminæ per menſes exſolvuntur [7]:

A. U. C. 823. J. C. 70.

[1] ACCOLIS PESTIFER ] De hac peſtilentiâ Plinius V, 15. Inde *litora Eſſeni fugiunt, uſque quà nocent*. Plin. ibid. cap. 16. Nec aliter hodie Arabes. Gravitatem hanc odoris expertus eſt Cl. Pococke, *Deſcription of the Eaſt*. Tom. II. Part. I. pag. 37.

[2] NEQUE VENTO IMPELLITUR ] Adverſatur P. Nau, loc. cit. & ait aquas illas ſtare, nec, niſi vento, moveri. Sic bitumen vento impulſum videbimus in notâ ultimâ hujus capitis. Certè ibi nulla navigatio, teſte Cl. Haſſelquiſt, *Voyages dans le Levant*. Tom. II. pag. 87.

[3] NEQUE PISCES ] Nec aliter vulgò viatores, & ipſe P. Nau: immo & ipſi quoque Arabes. Dubitat tamen Cl. Haſſelquiſt, loc. cit. quòd in litore multa reperiantur conchylia.

[4] INCERTÆ UNDÆ ] Et ſolido ſimiles, ut ſuprà Annal. I, 70. *Neque diſcerni poterant incerta ab ſolidis, neque brevia a profundis?* Earum colorem ter in ſingulos dies mutari ait Joſephus, Bell. Jud. IV, 8. num. 4. *Quod ipſe evidenter vidi*, ait princeps Radzivil, loc. cit. pag. 95. *Nam manè habebat aquam nigricantem: meridie, ſole intenſo (ſunt enim calores hic maximi) inſtar panni fit cærulea: ante occaſum, ubi vis caloris remittit, tamquam limo permixta, modicè rubet, vel potiùs flaveſcit.*

[5] PERINDE ATTOLLUNTUR ] Veſpaſianus, hæc viſendi curioſus, lacum Aſphaltiten adiit, juſſitque quoſdam, nandi imperitos, vinctis poſt terga manibus, in altum projici; qui omnes, teſte Joſepho, Bell. Jud. IV, 8, ſurſum repulſi ſupernatavere. Συνδεὶς πάντας ἐπινήξασθαι, καθάπερ ὑπὸ πνεύματος ἄνω βιαζομένους. Pariter Plinius V, 16. *Aſphaltites nihil præter bitumen gignit; unde et nomen: tauri camelique fluitant. Inde fama nihil in eo mergi.* Oculatus autem teſtis P. Nau, loc. cit. ait aquas hujus lacûs ſale & amaritudine incredibili eſſe infectas; unde meritò vocatur *mare ſalis*, *mare ſalſiſſimum*. Mox ſubdit experimenta, quibus conſtat peritos, imperitoſque nandi perinde attolli, ut hìc tradit Tacitus. Sanè ex ſalibus ſulphuribuſque amaritudo aquarumque gravitas.

[6] CERTO ANNI ] Bene: non toto enim anno, ſed certo anni tempore, egeritur bitumen, Gallicè *l'aſphalte*. Vide P. Nau pag. ſeq. not. 1. laudandum. Autumno illud in litore legunt Arabes, Damiatamque, *Damiette*, ferunt, venduntque tingendis lanis, teſte Cl. Haſſelquiſt, loc. cit. In uſu quoque eſt pro navium compagine, plurimiſque corporum medicamentis. Vide Joſephum & Cl. Pococke, locis cit. Immo Cll. Pococke & Haſſelquiſt exiſtimant bitumen idem eſſe eamdemque ſubſtantiam ac balſamum, quo conditæ ſunt in Ægypto mumiæ.

[7] PER MENSES EXSOLVUNTUR ] Hæc quidem Plinius VII, 15 & XXVIII, 7. Solinus cap. 4. ipſeque Joſephus Bell. Jud. IV, 8. At verè eruditus Kircher, *Mundus ſubterraneus*, IX, 5. *Quæ Plinius, Solinus, Tacitus de bitumine Judaico tradunt, quod in lacu Aſphaltite colligitur, adeò tenacis eſſe lentoris, ut nonniſi menſtruis feminarum cedat, & quod ferro domari non poſſit, rerum tacitu*

A. U. C. 823. J. C. 70.

ſic veteres auctores. Sed gnari locorum [1] tradunt, undantes bitumine moles pelli, manuque trahi ad litus : mox, ubi vapore terræ, vi ſolis inaruerint, ſecuribus cuneiſque, ut trabes aut ſaxa, diſcindi.

VII. Haud procul inde campi [2], quos ferunt olim uberes, magniſque urbibus habitatos [3], fulminum jactu [4] arſiſſe ; & manere veſtigia [5], terramque ſpecie torridam [6], vim frugiferam perdidiſſe [7]. Nam cuncta ſponte edita, aut manu ſata,

*facilè divellatur ſejungaturque ; verùm illa fabulis annumeranda ſunt, cùm experientiæ manifeſtæ repugnent, & ii qui id ab indigenis extrahi viderunt, nihil tale ſe obſervaſſe fateantur. De quibus vide Itinerarium Petri Vallei, Brocardi, aliorumque.*

[1] Gnari locorum ] Eadem ferme Abbas monaſterii S. Sabæ, hujus lacûs accola, prodidit Patri Nau, loc. cit. *Je m'informai de lui du bitume, que l'on y recueille, & qui pour cela eſt nommé le lac* Aſphaltite, *du nom dont les Grecs appellent cette ſorte de poix. Il me répondit qu'on ne l'y trouvoit pas en tout temps : mais qu'en certaines années ce bitume ſembloit ſortir, comme de deſſous l'eau, ( c'eſt probablement des endroits où l'Ecriture* Geneſ. XIV, 3 & 10. *dit qu'étoient les puits de bitume ), qu'il s'élevoit à la ſurface du lac, & s'y aſſembloit quelquefois de la groſſeur d'un navire ; qu'il flottoit au gré du vent, qui enfin le portoit à quelque côte, où il s'arrêtoit, & où quelquefois il ſe rompoit en diverſes pieces ; que les Arabes le ramaſſoient avec ſoin, & que le Baſſa de Jéruſalem en avoit ſa part, & leur en laiſſoit prendre la leur ; & qu'il s'en formoit de cette ſorte diverſes maſſes de différentes groſſeurs en divers endroits.*

[2] Haud procul inde campi ] Immo verò illi ipſi campi, olim uberes, nunc ſunt mare Salis, ſeu mare Mortuum, ut patet ex Geneſi, XIV, 3. maximè ſi legantur Hebraica : עמק השדים הוא ים המלח. Non enim ita apertè interpretes tum Græcus, tum Latinus. At & ipſi vicini campi aridi, ac ſine vi frugiferâ, ut mox dicetur.

[3] Magniſque urbibus habitatos ] Verè quidem. Illi enim campi olim habitati urbibus, Sodomis, Gomorrhâ, Seboim, Adamâ, & Balâ, ſeu Segor. Magnæ, ut erant iis temporibus, urbes, quibus ſingulis ſui reges. Vide Geneſ. XIV, 2. Ex iis verò quatuor periere incendio Sodomitico, de quo Geneſ. XIX, 24. Deuteronom. XXIX, 23. Hìc quoque, ex teſtimonio indigenarum, tredecim urbes conflagraſſe memorat Strabo, XVI. pag. 764. Unde fortè fuere plura incendia. Nam & ipſa urbs Segor, in quâ Lot fugit, poſtea abſorpta eſt. Locum autem Strabonis, ne hìc longior ſim, vide in Notis & Emendationibus ad Hiſt. V, 7.

[4] Fulminum jactu ] Bene Tacitus. Deus enim, impuras urbes perditurus, fulmina ejaculatus eſt. Sic Geneſ. XIX, 24. *Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem a Domino de cælo*. Non ita accurratè Strabo, loc. cit. urbes illas ſubterraneis ignibus hauſtas prodidit.

[5] Manere veſtigia ] Sic Strabo, loc. cit. præter alia exuſta monumenta, memorat manere adhuc ambitum urbis Sodomorum, & patere ſexaginta ſtadia. Alia quoque veſtigia, ſectorum lapidum multitudinem, & quaſdam domorum ruinas, a ſociis ſuis, qui mare illud ingreſſi ſunt, obſervatas, teſtatur P. Nau, loc. cit.

[6] Specie torridam ] Inde Strabo loc. cit. terram illam cinericiam appellavit, γῆν τεφρώδη. Nec aliter viatores. Clariùs autem & diſtinctiùs Cl. Haſſelquiſt, loc. cit. Tom. II. pag. 86. ait ſolum eſſe cretam friabilem, ſale imbutam.

[7] Perdidiſſe ] Accuratè dictum. Nec aliter Geneſ. XIX, 25. Dominus *ſubvertit civitates has, & omnem circa regionem, univerſos habitatores urbium, &*

ſive

A. U. C. 823. J. C. 70.

ſive herbâ tenus aut flore, ſeu ſolitam in ſpeciem adolevere, atra & inania velut in cinerem vaneſcunt [1]. Ego ſicut inclitas quondam urbes igne cæleſti flagraſſe conceſſerim, ita halitu lacûs [2] infici terram, corrumpi ſuperfuſum ſpiritum, eóque fetus ſegetum & autumni putreſcere reor, ſolo cæloque juxtà gravi. Et Belus amnis [3] Judaico mari inlabitur: circa cujus os conlectæ arenæ, admixto nitro, in vitrum excoquuntur: modicum id litus [4], ſed egerentibus inexhauſtum.

VIII. Magna pars Judææ vicis [5] diſpergitur: habent &

*cuncta terræ virentia.* Et Deuteronom. XXIX, 23. *Sulphure & ſalis ardore comburens, ita ut non ſeratur, nec virens quippiam germinet, in exemplum ſubverſionis Sodomæ & Gomorrhæ, Adamæ & Seboim, quas ſubvertit Dominus in irâ & furore ſuo.* Eamdem ariditatem vaſtitatemque recèns obſervavit Cl. Haſſelquiſt, loc. cit. pag. 87. Nullæ, inquit, in illo mari arundines: nulla planta in litore. Paulo quidem longiùs, planta una, labioſo flore, ſed fœtida. In campo, alia planta, ſalis guſtu.

[1] In cinerem vaneſcunt ] Nec aliter Joſephus, Bell. Jud. IV, 8. num. 4. Ἔστι δὲ κἀν τοῖς καρποῖς σποδιὰν ἀναγεννωμένην, οἳ χροιὰν μὲν ἔχουσι τοῖς ἐδωδίμοις ὁμοίαν, δρεψαμένων δὲ χερσὶν, εἰς καπνὸν ἀναλύονται καὶ τέφραν. Id eſt, *& in fructibus cineres renaſcuntur: ſpecie quidem & colore edulibus ſimiles, manibus autem decerpti in favillam & cinerem reſolvuntur.* Idem poſtea portentum narravere viatores, & amplificavere: arbores illas Sodomiticas, fructuſque mala Sodomitica appellaverunt. Juxta eos, arbores ſunt ficûs altitudine, & ſimili ferme ligno: folia, nucis viriditate & figurâ: fructus, malis limoniis, Gallicè *des limons*, formâ & colore pares; ſpecie quidem egregiâ, quos tamen ſi digito preſſeris, in atrum cinerem vaneſcunt. At portentum dempſit, veritatemque docuit diligens explorator, reique herbariæ peritiſſimus Cl. Haſſelquiſt, loc. cit. pag. 90. Nempe arbores illæ, in vallibus Hierichuntinis, *de Jericho*, Occidentalique ripâ Jordanis, antequam in mare Mortuum influat, frequentiſſimæ, ſunt ſolanum melongena Cl. Linnæi: quarum quidem fructus aliquando plenus pulvere reperitur. At id contingit tantùm, cùm fructus vitiatur tenthredine, *la mouche à ſcie*, quæ interiora in pulverem redigit, integrâ tamen cuticulâ, & illæſo colore.

[2] Halitu lacus ] Verè. Et inde terra ad quinque millia paſſuum prope lacum ſquallet.

[3] Belus amnis ] De quo Plinius V, 19. *Rivus Pagida, ſive Belus, vitri fertiles arenas parvo litori miſcens: ipſe e palude Cendeviâ a radicibus Carmeli profluit.* Judaico, ſeu Mediterraneo, mari illabitur haud procul Ptolemaide, nunc *ſaint Jean d'Acre.* Ipſe autem Belus amnis nunc dicitur *Nahr Halou.*

[4] Modicum id litus ] Plinius XXXVI, 26. *Quingentorum eſt paſſuum, non ampliùs, litoris ſpatium; idque tantùm multa per ſæcula gignendo fuit vitro. Fama eſt, appulſâ nave mercatorum nitri, cùm ſparſi per litus epulas pararent, nec eſſet cortinis attollendis lapidum occaſio, glebas nitri e nave ſubdidiſſe. Quibus accenſis, permixtâ arenâ litoris, tranſlucentes novi liquoris fluxiſſe rivos, & hanc fuiſſe originem vitri.* Vide & Joſephum, Bell. Jud. II, 10. num. 2. Strabonem, XVI. pag. 758.

[5] Vicis ] At quanta eſſet in his vicis hominum multitudo æſtimari poteſt ex Joſepho, oculato teſte, Bell. Jud. III, 3. num. 2. ubi Galilæam deſcribens, ait frequentes ibi eſſe urbes, crebroſque vicos, & adeò populoſos propter ſoli bonitatem, ut minimus ſupra quindecim millia incolarum habeat. Ἀλλὰ καὶ πόλεις πυκναὶ, καὶ τὸ τῶν κωμῶν πλῆθος πανταχοῦ πολυάνθρωπον διὰ τὴν

A. U. C. 823. J. C. 70.

oppida. Hieroſolyma [1] genti caput. Illic immenſæ opulentiæ [2] templum; & primis munimentis [3] urbs, dein regia; templum intimis clauſum: ad fores [4] tantùm Judæo aditus: limine, præter ſacerdotes, arcebantur. Dum Aſſyrios penes Medoſque & Perſas Oriens fuit, deſpectiſſima pars ſervientium [5]: poſtquam Macedones [6] præpotuere, rex Antiochus [7] demere ſuperſtitionem, & mores Græcorum dare adnixus, quominus teterrimam gentem in melius mutaret, Parthorum bello prohibitus eſt: nam eâ tempeſtate, Arſaces deſciverat [8].

*εὐθηνίαν, ὡς τὴν ἐλαχίστην ὑπὲρ πεντακισχιλίους πρὸς τοῖς μυρίοις ἔχειν οἰκήτορας.* Ne tamen credideris numerum Judæorum fuiſſe hominum ſexcenties ſexagies bis centena quadraginta millia, 66,240,000, ut vult eruditus Villalpandus, in *Ezechiel.* Tom. II. pag. 539. Id enim repugnat; & evidenti imperiorum ratione confutatur.

[1] Hierosolyma ] Plinius V, 14. *Hieroſolyma, longè clariſſima urbium Orientis, non Judææ modò.* Hieroſolymorum partem nunc occupat urbs *Jeruſalem.*

[2] Immensæ opulentiæ ] Quantæ ergo templi Salomonici opes, ſi Zorobabelici templi, ab Herode exornati, immenſa fuerit, teſte ipſo Tacito, opulentia! Quod erit expendendum in Notis & Emendationibus ad Hiſt. V, 8.

[3] Primis munimentis ] Primis quidem munimentis urbs; dein Occidentem versùs regia: ad Orientem templum, intimis munimentis clauſum. De urbe Jeruſalem ejuſque templo diligentiſſimè ſcripſit Cl. d'Anville, *Diſſertation ſur l'étendue de l'ancienne Jeruſalem & de ſon Temple.*

[4] Ad fores ] Sic & D. Lucas I, 8. *Factum eſt autem, cùm ſacerdotio fungeretur* Zacharias *in ordine vicis ſuæ ante Deum, ſecundùm conſuetudinem ſacerdotii, ſorte exiit ut incenſum poneret ingreſſus in templum Domini: & omnis multitudo populi erat orans foris horâ incenſi.* Immo lorica ſaxea, ad cubitum unum adſurgens, templum aramque cingebat, & populum a ſacerdotibus ſegregabat. Joſeph. Bell. Jud. V, 5. num. 6.

[5] Servientium ] Servierunt Judæi Aſſyriis, Medis, ac Perſis; tunc ſanè deſpectiſſimi, Deo populi ſui peccata puniente. At non ſerviere David, Salomon, aliique reges plurimi, quos omiſit Tacitus vel brevitatis ſtudio, & quod vetera illa tempora non attenderit, vel odio adversùs gentem, Romanis deſpicatiſſimam.

[6] Macedones ] Syriæ reges, qui partem regni Macedonici Alexandri Magni obtinuere.

[7] Rex Antiochus ] Antiochus Epiphanes, rex Syriæ, qui anno U. C. DLXXXVI, ante Chriſtum 168, populis omnibus ſibi ſubditis imperavit, ut, patriâ religione relictâ, Græcam profiterentur. Vide I Machab. I, 43 & ſeqq.

[8] Parthorum bello... Arsaces desciverat ] Hìc vel errat Tacitus, vel turbarunt librarii; & emendandum: *Armenorum bello prohibitus eſt: nam eâ tempeſtate Artaxias deſciverat.* Nullum enim fuit Parthorum bellum, nullus Arſaces, imperante Antiocho Epiphane. Defectio Arſacis multò antè contigerat ſub principatu Antiochi II, cognomento Θεῦ, anno U. C. DIV juxta Petavium & Uſſerium, vel DVI juxta P. Frœlich, *Annal. Reg. Syriæ*, pag. 26. Contrà verò lege latâ, de quâ mox dictum eſt, ut quiſque Græcam religionem profiteretur, & Judæis omni ſuppliciorum genere vexatis, nec fractis, Antiochus in Armenos expediit, eorumque regem Artaxiam, prœlio victum, cepit anno U. C. DLXXXIX, ut narrat P. Frœlich, loc. cit. pag. 50. & Appianus in Syriacis, pag. 117 & 131. *Ἐστράτευσε δὲ καὶ ἐπὶ Ἀρταξίαν τὸν Ἀρ-*

A. U. C. 823. J. C. 70.

Tum Judæi, Macedonibus invalidis [1], Parthis nondum adultis ( & Romani procul erant [2] ) ſibi ipſi reges impoſuere : qui mobilitate vulgi expulſi [3], reſumptâ per arma dominatione, fugas civium, urbium everſiones, fratrum, conjugum parentum neces, aliaque ſolita regibus auſi, ſuperſtitionem fovebant : quia honor ſacerdotii, firmamentum potentiæ adſumebatur.

IX. ROMANORUM primus Cn. Pompeius Judæos domuit [4]: templumque jure victoriæ ingreſſus eſt. Inde vulgatum, « nullâ intus deûm effigie [5] vacuam ſedem, & inania arcana [6] ». Muri Hieroſolymorum diruti, delubrum manſit.

*μβρίων βασιλεία· καὶ αὐτὸν ἑλὼν ἐτελεύτησεν.* Nempe Antiochus Epiphanes, capto Artaxiâ, Perſidem ingreſſus, ut opulentiſſimum Dianæ Perſicæ templum in urbe Perſepoli ſpoliaret, ſed cum dedecore pulſus, exercitus ſuos, in Judæâ fuſos, accepit ; & occubuit anno U. C. DXC. I Machab. VI. & II Mach. IX. Joſeph. Antiq. Jud. XII, 9. num. 1. Hieronymus in cap. XI. Danielis. Frœlich. *Annal. Reg. Syriæ*, pag. 50. Prolegomen. pag. 34.

[1] MACEDONIBUS INVALIDIS ] Invalidis Syriæ regibus Demetrio I, ejuſque ſucceſſoribus, in libertatem ſe vindicavere Judæi, ut videre eſt apud Juſtinum XXXVI, 1 & 3. Inde in I Mach. XIII, 42. *Anno centeſimo ſeptuageſimo* Seleucidarum, Urbis conditæ DCXI, ante Chriſtum 143, *ablatum eſt jugum gentium ab Iſrael. Et cœpit populus Iſrael ſcribere in tabulis & geſtis publicis, anno primo ſub Simone ſummo Sacerdote, magno duce & principe Judæorum.* Idem teſtantur nummi plurimi ære magno Samaritanis literis inſcripti, intra coronam querceam, שמעון נשיא ישראל, id eſt *Simeon Princeps Iſrael.* In averſâ parte, amphora utrimque anſata, שנת ארח לגאלת ישראל, id eſt *anno primo redemptionis Iſrael.* Fuit quoque in Muſeo Collegii Ludovici Magni nummus elegantiſſimus, ære minimo, literis Samaritanis inſcriptus : ex unâ parte, calix, לגאלת ציון, id eſt *redemptionis Sion* : ex alterâ parte, manipulus erectus, & in imo ab utroque latere uva, שנת ארבע, id eſt *anno quarto.* Cuſus nempe fuit hic nummus anno centeſimo ſeptuageſimo tertio Seleucidarum, Urbis conditæ DCXIV, ante Chriſtum 140.

[2] PROCUL ERANT ] Licèt procul eſſent Romani, cum iis tamen Judæi fœdus iniere anno U. C. DXCIV. I Mach. VIII, & Juſtinus XXXVI, 3.

[3] MOBILILATE VULGI EXPULSI ] Hæc intelligenda de bello civili, quod Judæos inter & regem eorum, Alexandrum Jannæum, per annos ſex exarſit, ab anno U. C. DCLXIII, ad annum DCLXIX. Joſeph. Antiq. Jud. XIII, 12 & ſeqq. Bell. Jud. I, 4.

[4] DOMUIT ] Cn. Pompeius anno U. C. DCXCI, ante Chriſtum 63, Hieroſolyma cepit ; nec modò templum, ſed & Sancta Sanctorum victor ingreſſus eſt. Nihil verò divitiarum abſtulit, gloriæ, quàm pecuniæ, cupidior. Joſeph. Ant. Jud. XIV, 4. Vide & Florum III, 5. & Ciceronem in Orat. pro Flacco, cap. 28. Tributum tamen Judæis impoſuit Pompeius; & brevi tempore Romani exegerunt plus quàm decem millia talentorum, Gallicæ monetæ libras 54,468,750. Joſeph. loc. cit. num. 5.

[5] NULLA INTUS DEUM EFFIGIE ] Veriſſimè. Et inde manifeſtum penetrali non fuiſſe ſacratam aſini effigiem ; ut dictum eſt ſuprà cap. 4.

[6] INANIA ARCANA ] Ideoque Florus loc. cit. Judæos impiam gentem appellavit.

A. U. C. 823. P. C. 70.

Mox, civili inter nos bello, poſtquam in ditionem M. Antonii provinciæ ceſſerant[1]; rex Parthorum Pacorus[2] Judæâ potitus, interfectuſque a P. Ventidio, & Parthi trans Euphraten redacti: Judæos C. Soſius[3] ſubegit. Regnum ab Antonio Herodi[4] datum, victor Auguſtus auxit. Poſt mortem Herodis, nihil exſpectato Cæſare, Simon quidam[5] regium nomen invaſerat. Is a Quinctilio Varo, obtinente Syriam, punitus: & gentem coercitam, liberi Herodis tripartito rexere[6]. Sub Tiberio quies: dein, juſſi a C. Cæſare[7] « effigiem »ejus in templo locare », arma potius ſumpſere: quem motum Cæſaris mors diremit. Claudius, defunctis regibus, aut ad modicum redactis[8], Judæam provinciam[9] equitibus Romanis, aut libertis permiſit: e quibus Antonius Felix[10], per omnem ſævitiam ac libidinem, jus regium ſervili ingenio

[1] Provinciæ ceſſerant ] Provinciæ Orientis.

[2] Rex Parthorum Pacorus ] Tacitus vel adhuc errat, vel ſcripſerat, *F. reg. Parthor. Pacorus*, id eſt *Filius regis Parthorum Pacorus*. Fortè etiam *rex Parthorum* eſt alicujus ſcioli additamentum. Pacorus enim numquam fuit rex Parthorum, ſed filius erat Orodis, Parthorum regis. Miſſus a patre, Judæâ potitus eſt anno U. C. DCCXIV: anno ſequenti a P. Ventidio, Romanorum duce, quem Antonius adversùm Parthos miſerat, victus & interfectus eſt. Joſeph. Antiq. Jud. XIV, 13, 14 & 15. Dio XLVIII, pag. 372. & XLIX, pag. 404. Fortè tamen Tacitus ſcripſerat *rex Pacorus*, quòd filii regum dicantur reges, ut vidimus ſuprà de Epiphane.

[3] C. Sosius ] Antigonus, quem Pacorus regem Judæorum fecerat, adversùs Romanos rebellavit. Hieroſolyma expugnat Soſius: & Antigonus, juſſu Antonii, virgis cæditur & obtruncatur anno U. C. DCCXVII. Joſeph. Antiq. Jud. XIV, 16. Dio XLIX, pag. 405, hæc ſuperiore anno geſta ſcribit, & Soſium immeritò appellat Soſſium. In veteri marmore apud Cl. Muratori, *Inſcript. Antiq.* Tom. I. pag. CCXCV, num. 2. memoratur C. SOSIVS.

[4] Herodi ] Herodes, dictus poſtea Magnus, amicitiâ & auctoritate Antonii nixus, Judææ regnum ſenatuſconſulto accepit anno U. C. DCCXIV; victoque Antigono, rex iterum renuntiatus eſt anno U. C. DCCXVII. Joſeph. Antiq. Jud. XIV, 26 & 28. Vide quoque Stemma Herodum, num. 3. in Notis & Emendationibus ad Annal. XII, 23.

[5] Simon quidam ] Simon ille, Herodis ſervus, dux fuit ſeditionis, quam memorat Joſephus Antiq. Jud. XVII, 10. num. 6.

[6] Tripartito rexere ] Archelaus, tetrarcha fuit Judææ; Herodes, Galilææ; Philippus, Iturææ & Trachonitidis. Vide Stemma Herodum, num. 21, 22 & 24.

[7] A C. Cæsare ] A Caio Caligulâ; a quo juſſi effigiem ſuam, nomine NOVI IOVIS INLVSTRIS CAII, in templo locare. Vide Supplementum Annal. VIII, 57.

[8] Ad modicum redactis ] Unus tunc Herodes, frater Agrippæ Magni, regnum Chalcidis occupabat. Vide Stemma Herodum, num. 25.

[9] Judæam provinciam ] Vide quæ jam dicta ſunt ſuprà Annal. XII, 23 & 54.

[10] Antonius Felix ] Pallantis frater, Claudii libertus, trium reginarum maritus. Vide Stemma Herodum, num. 14.

A. U. C. 823. J. C. 70.

exercuit, Druſillâ [1], Cleopatræ & Antonii nepte, in matrimonium acceptâ, ut ejuſdem Antonii Felix progener, Claudius nepos [2] eſſet.

X. Duravit tamen patientia Judæis, uſque ad Geſſium Florum [3], procuratorem. Sub eo bellum ortum: & comprimere cœptantem Ceſtium Gallum [4], Syriæ legatum, varia prœlia, ac ſæpius adverſa excepere. Qui ubi fato, aut tædio occidit; miſſu Neronis, Veſpaſianus fortunâ famâque, & egregiis miniſtris, intra duas æſtates [5], cuncta camporum, omneſque, præter Hieroſolyma, urbes, victore exercitu tenebat. Proximus annus [6] civili bello intentus, quantum ad Judæos per otium tranſiit: pace per Italiam partâ, & externæ curæ rediere. Augebat iras, quòd ſoli Judæi non ceſſiſſent. Simul manere apud exercitus Titum, ad omnes principatûs novi eventus caſuſve utilius videbatur. Igitur caſtris, utì diximus [7], ante mœnia Hieroſolymorum poſitis, inſtructas legiones oſtentavit [8].

XI. Judæi ſub ipſos muros ſtruxere aciem, rebus ſecun-

[1] Drusilla] Alia fuit Druſilla, Agrippæ II ſoror, cui poſtea Felix nupſit. Vide Stemma Herodum, num. 12.

[2] Claudius nepos] Claudius, Antoniæ minoris filius, nepos erat M. Antonii, triumviri. Vide Stemma Cæſarum, num. 42 & 100. Tom. I. pag. 461. Ut autem Claudius M. Antonii erat nepos, ſic quoque Felix ejuſdem Antonii progener. Tanta fuit hac ætate libertorum arrogantia!

[3] Gessium Florum] Quem crudeliſſimum & impudentiſſimum hominum appellat Joſephus, Bell. Jud. II, 14. Florus, dum poteſtate abutitur, Judæos ad defectionem adegit: cœpitque bellum anno U. C. dcccxviii. Jeſu Chriſti 65.

[4] Cestium Gallum] Ceſtius Gallus, ut ortum bellum comprimeret, Hieroſolyma obſedit, partem Septemtrionalem urbis cepit, templum ipſum aggreſſus. At obſidium incautus ſolvit; cæſique Romani, ut narrat Joſeph. Bell. Jud. II, 19. Nec aliter Suetonius in Veſpaſ. IV. *Cæſoque præpoſito, legatum inſuper Syriæ conſularem ſuppetias ferentem, raptâ aquilâ, fugaverunt.*

[5] Duas æstates] Annorum U. C. dcccxx & dcccxxi. Vide Supplementum Annal. XVI, 47, 51, 57 & ſeqq.

[6] Proximus annus] Urbis conditæ Annus dcccxxii, bello civili inter Galbam, Othonem, & Vitellium intentus. Poſtea Principe Veſpaſiano, pax per Italiam parta; & externæ, id eſt Judaicæ, curæ rediere.

[7] Uti diximus] Suprà cap. 1. pag. 294. not. 1.

[8] Ostentavit] Eleganter dictum. Titus enim, cùm a Spinarum valle, utì diximus ſuprà cap. 1, ad Scopum, ita appellatum, quòd inde in urbem templumque, Septemtrionem versùs, erat proſpectus, caſtra promoviſſet, legiones oſtentavit. Tum ab Hieroſolymis diſtabat tantùm ſeptem ſtadiis. Quinta legio retrorſum tribus ſtadiis caſtra munire juſſa: decima autem legio juxta montem Olearum, Orientem versùs, ſex ab urbe ſtadiis caſtra metata eſt. Joſeph. Bell. Jud. V, 2. num. 3.

A. U. C. 823. J. C. 70.

dis longiùs auſuri; &, ſi pellerentur, parato perfugio. Miſſus in eos eques cum expeditis cohortibus, ambiguè certavit [1]. Mox ceſſere hoſtes, & ſequentibus diebus crebra pro portis prœlia ferebant; donec aſſiduis damnis, intra mœnia pellerentur. Romani ad oppugnandum verſi [2]: neque enim dignum videbatur, famem hoſtium opperiri: poſcebantque pericula, pars virtute, multi ferociâ, & cupidine præmiorum. Ipſi Tito Roma, & opes, voluptateſque ante oculos; ac, ni ſtatim Hieroſolyma conciderent, morari videbantur. Sed urbem, arduam ſitu, opera moleſque firmaverant, quîs vel plana ſatis munirentur. Nam duos colles [3], immensùm editos, claudebant muri per artem obliqui [4], aut introrſus ſinuati, ut latera oppugnantium, ad ictus pateſcerent. Extrema rupis, abrupta: & turres [5], ubi mons juviſſet, in ſexaginta pedes; inter devexa, in centenos vicenoſque attollebantur; mirâ ſpecie, ac procul intuentibus pares. Alia intus mœnia [6], regiæ [7] circumjecta: conſpicuoque faſtigio turris *Antonia* [8], in honorem M. Antonii ab Herode appellata.

[1] AMBIGUE CERTAVIT ] Hæc aut modeſtè Tacitus, aut jactanter Joſephus, qui & ferme oppreſſum Titum, & caſtris ſuis pulſam decimam legionem memorat. Joſeph. Bell. Jud. V, 2. num. 2. 4. & 5.

[2] AD OPPUGNANDUM VERSI ] Tunc Titus caſtra poſuit ad turrim Pſephinam, nunc *Caſtel Piſano*, quæ erat in angulo ad Septemtrionem & Occidentem. Joſeph. Bell. Jud. V, 4. num. 3.

[3] DUOS COLLES ] Duo illi præcipui colles Joſepho quoque memorati ſunt, Acra ad Septemtrionem, & Sion ad Meridiem. In colle Acrâ erat urbs inferior, cui urbs nova in colle Beſethâ Septemtrionem versùs fuerat addita; in colle Sion urbs ſuperior. Joſephus, Bell. Jud. V, 4. num. 1. & V, 6. num. 8.

[4] PER ARTEM OBLIQUI ] Artem, artiſque cauſas docet Vegetius IV, 2. *Ambitum muri directum veteres ducere noluerunt, ne ad ictus arietum eſſet diſpoſitus, ſed ſinuoſis anfractibus, jactis fundamentis, clauſere urbes, crebrioreſque turres in ipſis angulis ediderunt propterea: quia ſi quis ad murum tali ordinatione conſtructum vel ſcalas vel machinas voluerit admovere, non ſolùm a fronte, ſed etiam a lateribus, & propè a tergo, veluti in ſinum circumcluſus, opprimitur.*

[5] ET TURRES ] Turres illas egregiè commendat Joſephus, Bell. Jud. V, 4. num. 3. eaſque fuiſſe numero centum ſexaginta quatuor prodit. Scilicet in tertii muri ambitu nonaginta, quarum intervalla erant ducenorum cubitorum: in medio muro, quatuordecim; & in antiquo muro ſexaginta.

[6] INTUS MŒNIA ] Intra tertium murum alia duo erant mœnia; ut modò dictum eſt. Fuſiùs autem Joſephus, Bell. Jud. V, 4. num. 2.

[7] REGIÆ ] Regia erat Septemtrionem Occidentemque versùs, haud ita procul turri Antoniâ. Siquidem, cum ignis turrim Antoniam corripuiſſet, in regiam illapſus eſt; ut videre eſt apud Joſephum, Bell. Jud. V, 4. num. 4.

[8] TURRIS ANTONIA ] Turris Antonia

XII. Templum [1] in modum arcis, propriique muri, labore & opere ante alios [2]: ipſæ porticus [3], quis templum A. U. C. ambiebatur, egregium propugnaculum. Fons perennis aquæ, 823. J. C. cavati ſub terrâ montes [4]; & piſcinæ ciſternæque ſervandis 70. imbribus. Prævideraut conditores, ex diverſitate morum, crebra bella: inde cuncta, quamvis adversùs longum obſidium; & a Pompeio expugnatis metus atque uſus pleraque monſtravere. Atque, per avaritiam Claudianorum temporum, empto jure muniendi [5], ſtruxere muros in pace, tamquam

erat intra urbem in angulo duarum porticuum templi, quæ ad Occidentem & Septemtrionem ſpectabant. Arx potiùs dicenda, quàm turris. In eâ enim atria, balneæ, aulæ; ipſaque in angulis cincta quatuor aliis turribus. Eximiam hujus turris pulchritudinem vide apud Joſephum, Bell. Jud. V, 5, num. 8. Ab Hyrcano olim exſtructa, deinde ab Herode Magno magnificentiſſimè exornata fuit, & in honorem M. Antonii, triumviri, *Antonia* appellata. Joſeph. Bell. Jud. I, 21. num. 1.

[1] Templum ] Templum fuit in monte Moriâ, & Orientali urbis latere. Ibi nunc adſurgit Turcarum meſquita *la Moſquée*, poſt Meccenſem Medinenſemque, maximæ apud eos celebritatis.

[2] Opere ante alios ] Laborem opuſque egregium, immenſaſque in iis impenſas explicat Joſephus, Bell. Jud. V, 5. Satis ſit monuiſſe Judæos in hujus templi exſtructione uſos eſſe ſaxis quadragenos cubitos longis, quinos altis, & ſenos latis. Πέτραι δὲ τεσσαρακονταπήχεις τὸ μέγεθος ἦσαν... τῶν δὲ ἐν αὐτῷ λίθων ἔνιοι μῆκος πέντε καὶ τεσσαράκοντα πηχῶν ἦσαν, ὕψος πέντε, εὖρος δὲ ἕξ. Joſeph. loc. cit. num. 1. & 6. Singuli illi lapides habebant menſurâ noſtrâ Gallicâ pedes 65 longitudine, 8 ½ altitudine, 10 latitudine. Inde intelligas quod habet D. Marcus XIII, 1 & 2. *Et cùm egrederetur de templo, ait illi unus ex diſcipulis ſuis: Magiſter, aſpice quales lapides, & quales ſtructuræ. Et reſpondens Jeſus ait illi: Vides has omnes ædificationes: non relinquetur lapis ſuper lapidem qui non deſtruatur.*

[3] Ipsæ porticus ] Porticus illæ omnes erant duplices; quas ſuſtinebant columnæ quinis & vicenis cubitis, *Gallicis noſtris pedibus* 41 ⅔, altæ, ſingulis e ſaxis marmore candidiſſimo, & cedrinis laquearibus tegebantur: latæ autem erant ad triginta cubitos, *Gallicos noſtros pedes* 50. Omnis autem earum ambitus unà cum Antonia turri ſex ſtadiorum menſuram comprehendebat. Διπλαῖ μὲν γὰρ αἱ στοαὶ πᾶσαι, κίονες δ' αὐταῖς εἰκοσιπέντε πηχῶν τὸ ὕψος ἐφειστήκεσαν, μονόλιθοι λευκοτάτης μαρμάρου, κεδρίνοις δὲ φατνώμασιν ὠρόφωντο... καὶ πλάτει μὲν ἦσαν ἐπὶ τριάκοντα πήχεις· ὁ δὲ πᾶς κύκλος αὐτῶν εἰς ἓξ σταδίους συνεμετρεῖτο, περιλαμβανομένης καὶ τῆς Ἀντωνίας. Joſeph. Bell. Jud. V, 5. num. 2. De porticuum templique ambitu commodiùs dicetur in Notis & Emendationibus ad Hiſt. V, 8. ubi plura de templi magnificentiâ & opulentiâ. Hìc enim errat Joſephus, & templi magnitudinem imminuit.

[4] Cavati sub terra montes ] Aquis, frumento, commeatibus, theſauris ſervandis. Sic quoque excavati ſubter mœnia cuniculi, & per campos longiùs protracti; de quibus Dio LXVI, pag. 747.

[5] Empto jure muniendi ] Expugnatis Hieroſolymis muros diruerat Pompeius, ut dictum eſt ſuprà cap. 9. Agrippa rex, Caio Claudioque Principibus acceptus, eos reſtituere cœpit: inhibitus tamen fuit, ne urbs valeſceret. Sed, per Claudianorum temporum avaritiam, cùm omnia venalia proponerentur, empto jure muniendi, ſtruxere muros tamquam ad bellum. Univerſus urbis circuitus erat trium ac triginta ſtadiorum. Muri, alti cubitos viginti,

A. U. C. 823. J. C. 70.

ad bellum; magnâ colluvie, & ceterarum urbium [1] clade aucti: nam pervicaciſſimus quiſque illuc perfugerat, eòque ſeditioſius agebant. Tres duces, totidem exercitus. Extrema & latiſſima mœnium Simon; mediam urbem Joannes, quem & Bargioram vocabant [2]; templum Eleazarus [3] firmaverat. Multitudine & armis Joannes, ac Simon; Eleazarus loco pollebat. Sed prœlia [4], dolus, incendia inter ipſos, & magna vis frumenti ambuſta. Mox Joannes, miſſis per ſpeciem ſacrificandi [5], qui Eleazarum manumque ejus obtruncarent, templo potitur: ita in duas factiones [6] civitas diſceſſit, donec, propinquantibus Romanis, bellum externum concordiam pareret [7].

XIII. Evenerant prodigia, quæ neque hoſtiis neque votis piare fas habet gens [8], ſuperſtitioni obnoxia, religionibus adverſa. Viſæ per cælum concurrere acies [9], rutilantia arma,

& cum minis ac propugnaculis tota altitudo erat quinque & viginti cubitorum: latitudo autem decem cubitorum. Saxa verò, quibus erant conſtructi, longa cubitos viginti, decem lata. *Λίθοις μὲν γε εἰκοσιπήχεσι τὸ μῆκος, τὸ εὖρος δεκαπήχεσι συνηρμόζετο, μήθ' ὑπορυγῆναι σιδήρῳ ῥᾳδίως, μήθ' ὑπ' ὀργάνοις διασεισθῆναι.* Joſephus, Bell. Jud. V, 4. num. 2.

[1] Ceterarum urbium ] Inter belli initia; de quibus dictum in Supplemento Annal. XVI, 57 & ſeqq.

[2] Quem et Bargioram vocabant ] Niſi Tacitus ipſe erraverit, hæc a librariis loco ſuo dimota; & legendum: *Simon, quem & Bargioram vocabant; mediam urbem Joannes; templum Eleazarus*, &c. Simon enim Gioræ, Joannes Leviæ filius. Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. V, 12.

[3] Eleazarus ] Eleazarus filius erat Simonis. Joſeph. Bell. Jud. II, 20. num. 3. V, 1. num. 2.

[4] Prœlia ] Atrociora enim Judæorum cum Judæis, quàm cum Romanis, fuere bella ac prœlia; quæ flens queribundusque Joſephus fuſè proſequitur.

[5] Per speciem sacrificandi ] Inſtante feſto Azymorum, die quartâdecimâ menſis Xanthici, ſeu die 13. Aprilis, hoc ipſo anno J. C. 70, cùm Eleazarus portas templi aperuiſſet, & quotquot intus adorare vellent exciperet, miſſi a Joanne templo potiti ſunt, & Eleazarum manumque ejus obtruncaverunt. Joſeph. Bell. Jud. V, 3.

[6] In duas factiones ] In duas factiones Simonis & Joannis, Joſeph. Bell. Jud. V, 3. num. 1. Tunc templum temploque vicina tenuit Joannes. Vide Joſephum, Bell. Jud. V, 6. num. 1.

[7] Concordiam pareret ] Nec diu ſtetit concordia. Odia, inteſtinaque bella recruduere; & ſecum ipſi iterum diſſidentes pugnavere, *καὶ κατὰ σφᾶς πάλιν διαστάντες ἐμάχοντο.* Joſeph. Bell. Jud. loc. cit.

[8] Neque hostiis . . . piare fas habet gens ] Immo nulla alia gens, cui facilior illuſtriorque fuerit propitiatio. At inexpiabilia obſtinatæ perverſitatis ſcelera ultum ibat Deus. Jamque ſupremum illud excidium imminebat, quod antè prædixerat Jeſus Chriſtus. Matth. XXIV. Marc. XIII. Luc. XXI.

[9] Concurrere acies ] Joſephus, oculatus teſtis, Bell. Jud. VI, 5. num. 3. *Τερατεία δὲ ἂν ἔδοξεν οἶμαι τὸ ῥηθησόμενον, εἰ μὴ καὶ παρὰ τοῖς θεασαμένοις ἱστόρητο, καὶ τὰ ἐπακολουθήσαντα πάθη τῶν σημείων ἦν*

arma, & ſubito nubium igne collucere templum [1]. Expaſſæ repentè delubri fores [2]; & audita major humanâ vox [3], « excedere deos »: ſimul ingens motus excedentium. Quæ pauci in metum [4] trahebant: pluribus perſuaſio inerat, antiquis ſacerdotum literis contineri, eo ipſo tempore fore, « ut valeſceret Oriens, profectique Judæâ rerum potirentur ». Quæ ambages Veſpaſianum ac Titum prædixerant [5]. Sed vulgus,

A. U. C. 823. J. C. 70.

ἄξια. Πρὸ γὰρ ἡλίου δύσεως ὤφθη μετέωρα περὶ πᾶσαν τὴν χώραν ἅρματα καὶ φάλαγγες ἔνοπλοι διάττουσαι τῶν νεφῶν, καὶ κυκλούμεναι τὰς πόλεις. *Quod dicturus ſum, fabula, ut opinor, eſſe videretur, niſi ab iis qui illud ſpectarunt, proditum eſſet, & ſubſequutæ clades ejuſmodi ſignis haudquaquam impares exſtitiſſent. Etenim ante Solis occaſum per univerſam regionem currus in aere ſublimes ferri, & armatæ phalanges per nubes diſcurrere, urbeſque circumvallare ſunt viſæ.*

[1] TEMPLUM ] Joſeph. ibid. Τοῦτο δὲ ἡνίκα πρὸ τῆς ἀποστάσεως καὶ τοῦ πρὸς τὸν πόλεμον κινήματος, ἀθροιζομένου τοῦ λαοῦ πρὸς τὴν Ἀζύμων ἑορτὴν, ὀγδόῃ δ' ἦν Ξανθικοῦ μηνὸς, κατὰ νυκτὸς ἐννάτην ὥραν τοσοῦτον φῶς περιέλαμψε τὸν βωμὸν καὶ τὸν ναὸν, ὡς δοκεῖν ἡμέραν εἶναι λαμπρὰν, καὶ τοῦτο παρέτεινεν ἐφ' ἡμίσειαν ὥραν. *Ante defectionem primoſque belli motus, populo ad feſtum diem Azymorum congregato, die octavo menſis Xanthici, horâ noctis nonâ, tanta lux circa altare templumque circumfuſa eſt, ut dies clarus videretur, atque hoc horæ dimidiæ ſpatio duravit.* Hæc, & quæ mox ſequuntur, prodigia evenere anno Urbis conditæ DCCCXIX. J. C. 66.

[2] DELUBRI FORES ] Joſephus loc. cit. Ἡ δὲ ἀνατολικὴ πύλη τοῦ ἐνδοτέρου, (meliùs τοῦ ἐξωτέρου, ut jam placuit erudito Grotio. Nam porta illa ἡ ἔξωθεν dicitur Joſepho Bell. Jud. V, 5. num. 3.) χαλκῆ μὲν οὖσα καὶ στιβαρωτάτη, κλειομένη δὲ περὶ δείλην μόλις ὑπ' ἀνδρῶν εἴκοσι, καὶ μοχλοῖς μὲν ἐπερειδομένη σιδηροδέτοις, καταπῆγας δ' ἔχουσα βαθυτάτους, εἰς τὸν οὐδὸν ὄντα διηνεκοῦς λίθου καθιεμένους, ὤφθη κατὰ νυκτὸς ὥραν ἕκτην, αὐτομάτως ἠνεῳγμένη· δραμόντες δ' οἱ τοῦ ἱεροῦ φύλακες, ἤγγειλαν τῷ στρατηγῷ, κἀκεῖνος ἀναβὰς, μόλις αὐτὴν ἴσχυσε κλεῖσαι. *Janua templi interior* (aut potiùs *exterior*), *Orienti obverſa, quæ tota ærea & immenſi ponderis erat, & quæ ſub veſperam vix ab hominibus viginti claudebatur, & vectibus quidem ferro munitis ſuſtentata erat, peſſulos verò altiſſimè in ſaxeum limen ex uno perpetuo lapide demiſſos habebat, viſa eſt nocte circa horam ſextam ſponte patefacta: quod templi cuſtodes, cùm ad* templi *prætorem cucurriſſent ei indicarunt: ille verò ubi aſcenderat, ægre eam claudere potuit.* Janua illa, alta triginta cubitis, quindecim lata, erat ære Corinthio, & januas argento auroque obductas dignitate plurimùm ſuperabat, teſte Joſepho, Bell. Jud. V, 5. num. 3. Tacito autem *expaſſæ fores* dicuntur, quòd in hac, ut in ſingulis templi januis, binæ eſſent fores, teſte eodem Joſepho ibid.

[3] MAJOR HUMANA VOX ] Joſephus, Bell. Jud. VI, 5. num. 3. Κατὰ δὲ τὴν ἑορτὴν, ἣ Πεντηκοστὴ καλεῖται, νύκτωρ οἱ ἱερεῖς παρελθόντες εἰς τὸ ἔνδον ἱερὸν, ὥσπερ αὐτοῖς ἔθος ἦν πρὸς τὰς λειτουργίας, πρῶτον μὲν κινήσεως ἀντιλαβέσθαι ἔφασαν καὶ κτύπου, μετὰ δὲ ταῦτα καὶ φωνῆς ἀθρόας, Μεταβαίνωμεν ἐντεῦθεν. *Feſto autem die, qui Pentecoſte appellatur, ſacerdotes noctu templum ingreſſi ad obeunda ex more miniſteria, primùm quidem motum ac ſtrepitum ſe exaudiſſe dixerunt, tum deinde vocem quaſi confertæ multitudinis ſimul clamantis, Migremus hinc.* Tacitus autem ex uſu Romanæ ſuperſtitionis dixit: *Excedere deos.*

[4] QUÆ PAUCI IN METUM ] Sic quoque Joſephus, Bell. Jud. VI, 5. num. 3 & 4.

[5] VESPASIANUM AC TITUM PRÆDIXERANT ] Hìc Tacitus Veſpaſiano Titoque, fortunæ ſuæ auctoribus, adulatur. Ejuſdem criminis reus, & magis damnandus, Joſephus, qui fidem ſuam Chriſtumque negat, ut Veſpaſiani favorem captet. Joſeph. Bell. Jud. VI, 5. num. 4. At certiſſimum eſt, & cuique ſæculorum eventorumque ſeriem

A. U. C. 823. J. C. 70.

more humanæ cupidinis, ſibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne adverſis quidem ad vera mutabantur. Multitudinem obſeſſorum omnis ætatis, virile ac muliebre ſecus [1], ſexcenta millia [2] fuiſſe accepimus. Arma cunctis, qui ferre poſſent: & plures, quàm pro numero [3], audebant. Obſtinatio viris feminiſque par: ac, ſi transferre ſedes cogerentur, major vitæ metus [4], quàm mortis. Hanc adversùs urbem gentemque Cæſar Titus, quando impetum & ſubita belli locus abnueret, aggeribus vineiſque certare ſtatuit. Dividuntur legionibus munia, & quies prœliorum fuit; donec cuncta expugnandis urbibus reperta apud veteres, aut novis ingeniis, ſtruerentur [5].

XIV. At Civilis, poſt malam in Treveris pugnam [6], reparato per Germaniam exercitu, apud Vetera [7] conſedit; tutus loco, & ut memoriâ proſperarum illic rerum, augeſcerent barbarorum animi. Secutus eſt eódem Cerialis, duplicatis copiis, adventu ſecundæ & ſextæ & quartædecimæ legionum. Cohorteſque & alæ, jampridem accitæ, poſt victoriam pro-

reputanti manifeſtum, hoc oraculo aliiſque plurimis prænuntiatum fuiſſe Jeſu Chriſti regnum, *quod in æternum non diſſipabitur.* Daniel. II, 44. Sed de his plura in Notis & Emendationibus ad Hiſt. V, 13.

[1] Virile ac muliebre secus ] Id eſt virilis ac muliebris ſexûs, ut ſuprà Annal. IV, 62.

[2] Sexcenta millia ] Magnus quidem numerus, ſi ſpectetur urbis Hieroſolymorum magnitudo, quam vidimus ſuprà cap. 12. not. 5. At Joſephus Bell. Jud. VI, 9. num. 3. ait in hac obſidione periiſſe undecies centena millia hominum, 1,100,000. Vide ergo Notas & Emendationes ad Hiſt. V, 13. ubi fuſiùs dicetur de numero incolarum, eorumque qui tempore Paſchatis huc confluebant: ſimul quoque, quot in obſidione Hieroſolymitanâ totoque bello Judaico perierint homines, recenſebitur.

[3] Plures, quam pro numero ] Juxta communem regulam, quâ quarta pars militat, ſi fuerint ſexcenta millia obſeſſorum, centum quinquaginta millia ferre arma poterant. At, ob fanaticum Judæorum furorem, plures, quàm pro hoc numero, audebant.

[4] Major vitæ metus ] Id unum metuebant ne urbi temploque ſuperſtites viverent. Vide Dionem LXVI. pag. 748. Inde hodieque & in ipſo excidio Judæis manet quàm maximus urbis Jeruſalem amor, quàm maxima veneratio.

[5] Struerentur ] Hactenus Tacitum ſecutus, ejuſque exemplo, Judaicas res fusè proſecutus ſum: nunc juvat coronidem adtexere, & Sinenſium Judæorum monumenta, nondum edita, publicare. Nec eruditum lectorem pigebit Romanorum Sinenſiumque de Judæis judicia conferre, & utra plus æquitatis, plus veritatis habeant expendere. Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. V, 13.

[6] In Treveris pugnam ] Suprà, Hiſt. IV, 77.

[7] Apud Vetera ] Vetera caſtra, nunc *Santen*, a Civili capta olim di-

A. U. C. 823. J. C. 70.

peraverant. Neuter ducum cunctator. Sed arcebat latitudo camporum, ſuopte ingenio humentium. Addiderat Civilis obliquam in Rhenum molem, cujus objectu revolutus amnis, adjacentibus ſuperfunderetur. Ea loci forma, incertis vadis ſubdola, & nobis adverſa: quippe miles Romanus armis gravis, & nandi pavidus; Germanos fluminibus ſuetos, levitas armorum, & proceritas corporum attollit.

XV. Igitur, laceſſentibus Batavis, ferociſſimo cuique noſtrorum cœptum certamen: deinde orta trepidatio, cùm præaltis paludibus arma, equi haurirentur. Germani notis vadis perſultabant, omiſsâ plerumque fronte, latera ac terga circumvenientes: neque, ut in pedeſtri acie, cominus eminus certabatur; ſed, tamquam navali pugnâ, vagi inter undas, aut, ſi quid ſtabile occurrebat, totis illic corporibus nitentes, vulnerati cum integris, periti nandi cum ignaris, in mutuam perniciem implicabantur: minor tamen, quàm pro tumultu, cædes: quia non auſi egredi paludem Germani, in caſtra rediere. Ejus prœlii eventus utrumque ducem, diverſis animi motibus, ad maturandum ſummæ rei diſcrimen erexit. Civilis inſtare fortunæ; Cerialis abolere ignominiam. Germani proſperis feroces; Romanos pudor excitaverat: nox apud barbaros cantu aut clamore; noſtris per iram & minas acta.

XVI. Postera luce, Cerialis equite & auxiliariis cohortibus frontem explet; in ſecundâ acie legiones locatæ: dux ſibi delectos retinuerat ad improviſa. Civilis haud porrecto agmine [1], ſed cuneis adſtitit. Batavi Gugernique [2] in dextro; læva, ac propiora fluminis, Tranſrhenani tenuere. Exhortatio ducum, non more concionis apud univerſos, ſed ut quoſque eorum advehebantur. Cerialis « veterem Romani » nominis gloriam, antiquas recenteſque victorias: ut perfi» dum, ignavum, victum hoſtem, in æternum exciderent :

reptaque, ut vidimus ſuprà Hiſt. IV, 60.

[1] Haud porrecto agmine ] Civilis, ut majori impetu ageret, magiſque diſcreta foret ſuorum virtus, haud porrecto agmine, ſed cuneis adſtitit. De cuneo dictum ſuprà Hiſt. III, 29.

[2] Gugernique ] Gugerni jam memorati Hiſt. IV, 26.

A. U. C. 823. J. C. 70.

»ultione magis, quàm prœlio opus eſſe. Pauciores nuper [1] »cum pluribus certaſſe: ac tamen fuſos Germanos, quod roboris fuerit. Supereſſe, qui fugam animis, qui vulnera tergo, ferant». Proprios inde ſtimulos legionibus admovebat, « domitores Britanniæ [2] quartadecimanos » appellans. « Principem Galbam, ſextæ legionis auctoritate factum: illâ primùm acie ſecundanos nova ſigna, novamque aquilam dicaturos [3] ». Hinc prævectus ad Germanicum exercitum, manus tendebat, « ut ſuam ripam, ſua caſtra ſanguine hoſtium »reciperarent ». Alacrior omnium clamor, quîs vel e longâ pace prœlii cupido, vel feſſis bello pacis amor, præmiaque & quies in poſterum ſperabantur.

XVII. Nec Civilis ſilentem [4] ſtruxit aciem, locum pugnæ teſtem virtutis ciens: « Stare Germanos Batavoſque ſuper »veſtigia gloriæ, cineres oſſaque legionum calcantes: quocumque oculos Romanus intenderet, captivitatem, cladem»que & dira omnia obverſari. Ne terrerentur vario Treverici »prœlii eventu: ſuam illic victoriam Germanis obſtitiſſe, dum »omiſſis telis, prædâ manus impediunt: ſed cuncta mox proſpera, & hoſti contraria eveniſſe. Quæ provideri aſtu ducis »oportuerit, proviſa: campos madentes, & ipſis gnaros, paludes hoſtibus noxias: Rhenum & Germaniæ deos in aſpectu, quorum numine capeſſerent pugnam, conjugum, parentum, patriæ memores: illum diem aut glorioſiſſimum inter majores, aut ignominioſum apud poſteros fore ». Ubi ſono armorum tripudiiſque ( ita illis mos [5] ) approbata ſunt dicta, ſaxis, glandibuſque [6], & ceteris miſſilibus prœlium incipitur; neque noſtro milite paludem ingrediente, & Germanis, ut elicerent, laceſſentibus [7].

[1] Pauciores nuper ] In Treveris; ut modò dictum eſt.

[2] Domitores Britanniæ ] Vide ſuprà Annal. XIV, 34.

[3] Novamque aquilam dicaturos ] Quòd ſecunda illa legio eſſet e recèns conſcriptis; ut vidimus ſuprà Hiſt. IV, 68.

[4] Silentem ] Meliùs *ſilens*. Vide Notas & Emendationes ad Hiſt. V, 17.

[5] Illis mos ] Vide infrà de Moribus German. XI.

[6] Glandibusque ] Fuſili ex argillâ, plumbo, ferrove factæ glandes, & fundis jaciebantur.

[7] Lacessentibus ] Germani Romanos conviciis laceſſebant, ut eos in paludem elicerent.

A. U. C. 823. J. C. 70.

XVIII. Absumptis, quæ jaciuntur, & ardeſcente pugnâ, procurſum ab hoſte infeſtiùs: immenſis corporibus, & prælongis haſtis fluitantem labantemque militem eminus fodiebant: ſimul e mole, quam eductam in Rhenum retulimus [1], Bructerorum [2] cuneus tranatavit: turbata ibi res: & pellebatur ſociarum cohortium acies, cùm legiones pugnam excipiunt, ſuppreſsâque hoſtium ferociâ, prœlium æquatur. Inter quæ perfuga Batavus adiit Cerialem, « terga hoſtium » promittens, « ſi extremo paludis eques mitteretur: ſolidum »illà, & Gugernos, quibus cuſtodia obveniſſet, parum in»tentos ». Duæ alæ, cum perfugâ miſſæ, incauto hoſti circumfunduntur: quod ubi clamore cognitum; legiones a fronte incubuere, pulſique Germani Rhenum fugâ petebant. Debellatum eo die foret, ſi Romana claſſis ſequi maturaſſet. Ne eques quidem inſtitit, repentè fuſis imbribus, & propinquâ nocte.

XIX. Postera die, quartadecima legio in ſuperiorem provinciam [3] Gallo Annio miſſa: Cerialis exercitum decima ex Hiſpaniâ legio [4] ſupplevit. Civili Chaucorum [5] auxilia venêre: non tamen auſus oppida Batavorum [6] armis tueri, raptis, quæ ferri poterant, ceteris injecto igni, in inſulam conceſſit; gnarus deeſſe naves efficiendo ponti, neque exercitum Romanum aliter tranſmiſſurum: quin & diruit molem [7], a Druſo Germanico factam, Rhenumque prono alveo in Galliam ruentem, disjectis quæ morabantur, effudit. Sic velut abacto amne, tenuis alveus [8], inſulam inter Germanoſque

[1] Retulimus ] Suprà cap. 14.

[2] Bructerorum ] De quibus plura infrà in libro de Morib. Germ. XXXIII.

[3] In superiorem provinciam ] In Germaniam ſuperiorem. Gallus Annius jam memoratus eſt ſuprà Hiſt. IV, 68.

[4] Ex Hispania legio ] Decimam legionem ex Hiſpaniâ excitam vidimus ſuprà Hiſt. IV, 68.

[5] Chaucorum ] De quibus dictum ſuprà Hiſt. IV, 79.

[6] Oppida Batavorum ] Victus Civilis non auſus eſt armis tueri oppida, quæ ſunt Moſam inter & Rhenum; Horum præcipua nunc appellantur *Gennep*, *Cleves*, *Nimegue*, *Batenbourg*; & *extrema Galliçæ oræ* dicuntur Hiſt. IV, 12. Itaque rapuit, quæ ferri poterant: ceteris ignem injecit, ne hoſtibus prodeſſent: ipſa autem oppida minimè ſuccendit. Poſtea in inſulam conceſſit.

[7] Diruit molem ] De hac mole dictum ſuprà Annal. XIII, 53, not. 2.

[8] Tenuis alveus ] Abacto amne, & per emiſſarium, quod nunc dicitur *Leck*, Galliis ſuperfuſo, adeò tenuis

A. U. C. 823. J. C. 70.

continentium terrarum ſpeciem fecerat. Tranſiere Rhenum Tutor quoque, & Claſſicus, & centum tredecim Treverorum ſenatores [1], in quibus fuit Alpinus Montanus, quem a Primo Antonio miſſum in Gallias ſuperiùs memoravimus [2]. Comitabatur eum frater D. Alpinus [3]. Simul ceteri miſeratione ac donis auxilia concibant, inter gentes periculorum avidas.

XX. Tantumque belli ſuperfuit, ut præſidia cohortium, alarum, legionum, unâ die Civilis quadripartitò invaſerit: decimam legionem, Arenaci [4]; ſecundam, Batavoduri [5]; & Grinnes [6] Vadamque [7], cohortium alarumque caſtra: ita diviſis copiis, ut ipſe & Verax, ſorore ejus genitus, Claſſicuſque, ac Tutor ſuam quiſque manum traherent: nec omnia patrandi fiduciâ, ſed, « multa auſis aliquâ in parte fortu»nam adfore. Simul Cerialem, neque ſatis cautum, &, pluri»bus nuntiis, huc illuc curſantem, poſſe medio intercipi. » Quibus obvenerant caſtra decumanorum [8], oppugnationem

fuit Rheni alveus inter Batavorum inſulam & Germaniam, ut continentes terræ viderentur. Tenuis ille alveus, quem Plinius IV, 15, *modicum alveum* appellat, hodieque dicitur *le Rhin*; & in mare influit prope urbem *Leyde*.

[1] Treverorum senatores ] Sic ſenatum, magiſtratus, apud Friſios vidimus ſuprà Annal. XI, 19. Si plura volueris de civitatum ſenatu, adeas Plinium Ep. X, 83 & 84.

[2] Superius memoravimus ] In Belgicam Germaniamque Ciſrhenanam poſt Cremonæ excidium oſtentui miſſus fuerat; ut dictum eſt Hiſt. III, 35 & IV, 31.

[3] D. Alpinus ] In Mſ. Agr. *Dr. Alpinus*, id eſt *Druſus Alpinus*. At in ceteris libris *D. Alpinus*, id eſt *Decimus Alpinus*. Atque ita dictum puto ob *patrem Claudii Cæſaris Druſum, olim Decimum, mox Neronem prænomine*. Sueton. in Claud. I.

[4] Arenaci ] Arenacum fuit in ſuperiori parte inſulæ Batavorum, non verò extra inſulam. Itaque non eſt *Arnhem*, ut voluit Cluverius. Sed loci veteriſque nominis memoria manet in vicis *Aert* & *Herwert*. Vide Cl. Alting, *Notitia Germaniæ inferioris*, pag. 8 & 9.

[5] Batavoduri ] Fuit quoque in ſuperiori parte Batavorum inſulæ Batavodurum, nunc *Wyk-te-Duurſtede*. Cl. Alting. ibid. pag. 18.

[6] Grinnes ] Grinnes Tabula Peutingerana memorat inter Caſpingium, nunc *Aſperen*, & Duodecimum, nunc *Dooden-werd*. Fuere ergo in inſulâ Batavorum dextrâque Vahalis ripâ, paulo infra vicum, qui nunc dicitur *Tiel*. Non ita bene Cl. Alting, loc. cit. pag. 80, Grinnes ad ſiniſtram Rheni ripam poſuit, ubi hodie *Beerhuyſen*, e regione viculi *Remmerten*. Vide Cl. Danville, *Notice de la Gaule*, pag. 361.

[7] Vadamque ] Vada, ut & Grinnes, fuit in ſuperiore parte inſulæ Batavorum, ripâque ſiniſtrâ Rheni, ut conſentiunt Cll. Alting & Danville. At Cl. Danville Vadam ponit e regione oppidi *Rhenen*, quod eſt in dextrâ Rheni ripâ. Cl. Alting magis Orientem verſùs trahit, e regione arcis *Clingenbeke*, prope locum *Meyrik*, ubi eruta quædam antiquitatis Romanæ monumenta, haud procul caſtris Herculis, nunc *Malburg*. Vide loc. cit. Cl. Danville, pag. 666. & Cl. Alting, pag. 128.

[8] Decumanorum ] Decimæ legionis.

legionis arduam rati, egreſſum militem, & cædendis materiis operatum, turbavere, occiſo præfecto caſtrorum, & quinque primoribus centurionum, pauciſque militibus. Ceteri ſe munimentis defendère. Et interim Germanorum manus Batavoduri inrumpere inchoatum pontem nitebantur. Ambiguum prœlium nox diremit.

A. U. C. 823. J. C. 70.

XXI. Plus diſcriminis apud Grinnes Vadamque. Vadam Civilis, Grinnes Claſſicus, oppugnabant: nec ſiſti poterant, interfecto fortiſſimo quoque; in quîs Briganticus, præfectus alæ, ceciderat, quem fidum Romanis, & Civili avunculo infenſum diximus [1]. Sed ubi Cerialis cum delectâ equitum manu ſubvenit, verſâ fortunâ, præcipites Germani in amnem aguntur. Civilis, dum fugientes retentat, agnitus, petituſque telis, relicto equo, tranatavit: idem Germanis effugium. Tutorem Claſſicumque appulſæ lintres vexere. Ne tum quidem Romana claſſis pugnæ adfuit, ut juſſum erat: ſed obſtitit formido, & remiges per alia militiæ munia diſperſi. Sanè Cerialis parum temporis ad exſequenda imperia dabat; ſubitus conſiliis, ſed eventu clarus. Aderat fortuna, etiam ubi artes defuiſſent: hinc ipſi exercituique minor cura diſciplinæ. Et paucos poſt dies, quamquam periculum captivitatis evaſiſſet, infamiam non vitavit.

XXII. Profectus Noveſium Bonnamque [2], ad viſenda caſtra, quæ hiematuris legionibus erigebantur, navibus remeabat; disjecto agmine, incurioſis vigiliis. Animadverſum id Germanis, & inſidias compoſuere: electa nox atra nubibus, & prono amne rapti [3], nullo prohibente vallum ineunt. Prima cædes aſtu adjuta: inciſis tabernaculorum funibus, ſuiſmet tentoriis coopertos trucidabant. Aliud agmen, turbare claſſem; injicere vincla; trahere puppes. Utque ad fallen

[1] Diximus] Suprà Hiſt. IV, 70.

[2] Noveſium Bonnamque] Noveſium, *Nuis*, Bonna, *Bonn*; ut ſæpe dictum eſt.

[3] Prono amne rapti] Fruſtra difficultatem movet Pichena, quaſi Germani adverſo, non prono, amne, remeanti Ceriali occurrere debuerint. Germani, qui disjectum agmen & incurioſas vigilias exploraverant, ſuperiora fluminis petivere, ut inſidias componerent: ſic, prono amne rapti, val-

A. U. C. 823. J. C. 70.

dum ſilentio; ita cœptâ cæde, quò plus terroris adderent, cuncta clamoribus miſcebant. Romani, vulneribus exciti, quærunt arma, ruunt per vias, pauci ornatu militari, plerique circum brachia tortâ veſte, & ſtrictis mucronibus: dux ſemiſomnus, ac propè intectus, errore hoſtium ſervatur. Namque prætoriam navem [1], vexillo inſignem, illic ducem rati, abripiunt. Cerialis alibi noctem egerat, ut plerique credidere, ob ſtuprum Claudiæ Sacratæ, mulieris Ubiæ: vigiles flagitium ſuum ducis dedecore excuſabant, tamquam « juſſi »ſilere, ne quietem ejus turbarent: ita intermiſſo ſigno, & »vocibus [2], ſe quoque in ſomnum lapſos ». Multâ luce revecti hoſtes, captivis navibus, prætoriam triremem, flumine Luppiâ [3], donum Veledæ [4] traxere.

XXIII. Civilem cupido inceſſit, navalem aciem oſtentandi. Complet quod biremium, quæque ſimplici ordine agebantur. Adjecta ingens lintrium vis: tricenis quadrageniſque [5] armamenta liburnicis ſolita; & ſimul captæ lintres, ſagulis verſicoloribus, haud indecorè pro velis juvabantur. Spatium velut æquoris electum, ubi Moſæ fluminis os amnem Rhenum Oceano adfundit [6]. Cauſa inſtruendæ claſſis, ſuper inſitam genti vanitatem, ut eo terrore commeatus Galliâ adventantes interciperent. Cerialis miraculo magis, quàm metu, direxit claſſem, numero imparem, uſu remigum, gubernatorum arte, navium magnitudine potiorem. His flumen ſecundum; illi vento agebantur. Sic prævecti, tentato telorum jactu, dirimuntur. Civilis nihil ultrà auſus, trans Rhenum conceſſit. Cerialis inſulam Batavorum hoſtiliter populatus, agros villaſque Civilis intactos, notâ arte ducum,

lum iniere.

[1] Prætoriam navem ] Prima princepſque navis dicebatur prætoria; quæ nunc apud nos appellatur *l'Amiral*.

[2] Signo, et vocibus ] Intermiſſo buccinæ ſigno, interruptis vocibus, quibus initia vigiliarum nuntiabantur. Vide ſuprà Annal. I, 65. & XV, 30.

[3] Flumine Luppia ] Nunc *la Lippe*.

[4] Veledæ ] De hac feminâ, quæ numinis loco habebatur, jam dictum eſt ſuprà Hiſt. IV, 61.

[5] Tricenis quadrageniſque ] Rectè explicat Illuſtr. Huetius: *Triginta vel quadraginta ex illis lintribus armatæ erant in modum liburnicarum; iis verò, quæ captæ fuerant, ſagula pro velis impoſuerat Civilis.*

[6] Oceano adfundit ] Vide ſuprà Annal. II, 6.

ſinebat:

ſinebat: cùm interim, flexu autumni, & crebris pluvialibus imbribus, ſuperfuſus amnis, paluſtrem humilemque inſulam A. U. C. in faciem ſtagni opplevit: nec claſſis, aut commeatus aderant: caſtraque in plano ſita, vi fluminis differebantur [1]. 823. J. C. 70.

XXIV. « Potuisse tunc opprimi legiones, & voluiſſe »Germanos, ſed dolo a ſe flexos », imputavit Civilis. Neque abhorret vero, quando paucis poſt diebus deditio inſecuta eſt. Nam Cerialis, per occultos nuntios, « Batavis pacem, Ci»vili veniam » oſtentans, Veledam propinquoſque monebat, « fortunam belli, tot cladibus adverſam, opportuno erga po»pulum Romanum merito mutare. Cæſos Treveros, receptos »Ubios, ereptam Batavis patriam: neque aliud Civilis ami»citiâ paratum, quàm vulnera, fugas, luctus: exſulem eum »& extorrem, recipientibus oneri: & ſatis peccaviſſe, quòd »totiens Rhenum tranſcenderint: ſi quid ultrà moliantur, in»de injuriam & culpam, hinc ultionem & deos fore ».

XXV. Miscebantur minis promiſſa. Et concuſsâ Tranſrhenanorum fide, inter Batavos quoque ſermones orti: « Non »prorogandam ultrà ruinam: nec poſſe ab unâ natione totius »orbis ſervitium depelli: quid perfectum cæde & incendiis »legionum, niſi ut plures validioreſque accirentur? Si Veſpaſia»no bellum navaverint, Veſpaſianum rerum potiri: ſin popu»lum Romanum armis provocent, quotam partem generis »humani Batavos eſſe? reſpicerent Rætos Noricoſque, & ce»terorum onera ſociorum: ſibi non tributa, ſed virtutem & »viros [2] indici: proximum id libertati: & ſi dominorum elec»tio ſit; honeſtiùs Principes Romanorum, quàm Germano»rum feminas tolerari »: hæc vulgus. Proceres: « atrociore »Civilis rabie ſemet in arma truſos: illum domeſticis malis »excidium gentis oppoſuiſſe: tunc infenſos Batavis deos, cùm »obſiderentur legiones, interficerentur legati, bellum uni ne»ceſſarium, ferale ipſis ſumeretur. Ventum ad extrema, ni re-

[1] Differebantur ] In diverſas partes ferebantur.

[2] Virtutem et viros ] Eleganter dictum. Eodem ſenſu ſuprà Hiſt. IV, 12. *Viros tantùm armaque imperio miniſtrant.*

A. U. C. 823. J. C. 70.

» ſipiſcere incipiant, & noxii capitis pœnâ pænitentiam fateantur ».

XXVI. Non fefellit Civilem ea inclinatio, & prævenire ſtatuit; ſuper tædium malorum, etiam ſpe vitæ, quæ plerumque magnos animos infringit. Petito colloquio, ſcinditur Nabaliæ fluminis [1] pons; in cujus abrupta progreſſi duces: & Civilis ita cœpit: « Si apud Vitellii legatum defenderer, neque facto meo venia, neque dictis fides debebatur. Cuncta » inter nos inimica, hoſtilia, ab illo cœpta, a me aucta erant. » Erga Veſpaſianum vetus mihi obſervantia: &, cùm privatus eſſet, amici vocabamur. Hoc Primo Antonio notum, » cujus epiſtolis [2] ad bellum accitus ſum, ne Germanicæ legiones & Gallica juventus Alpes tranſcenderet. Quæ Antonius epiſtolis, Flaccus præſens monebat [3], arma in Germaniâ movi: quæ Mucianus in Syriâ, Aponius in Mœſiâ, Flavianus in Pannoniâ [4] »....

[1] Nabaliæ fluminis ] Nabalia eſt ipſa foſſa Druſiana, quæ a Rheno ad fluvium Salam, *l'Yſſel*, fuerat ducta; de quâ dictum eſt ſuprà Annal. II, 8. Plura vide apud Cl. Alting, loc. cit. pag. 100.

[2] Cujus epistolis ] Vide ſuprà Hiſt. IV, 13.

[3] Præsens monebat ] Eadem vidimus ſuprà Hiſt. IV, 13.

[4] Flavianus in Pannonia ] Hìc multa periere, quibus reliqua Veſpaſiani, integra Titi & Domitiani tempora morabantur. Hæc ſupplere neque expedit, neque licet, cùm nulla ſuperſint monumenta, quibus horum temporum hiſtoria explicari valeat eâ abundantiâ, quâ res unius ferme tantùm anni quinque libris proſecutus eſt Tacitus. Juvat tamen Appendicem ſubnectere, ut a præſtantiſſimo ſcriptore narrari cœpta continuentur, maximè ob immenſam, neque ſilendam, Hieroſolymitani excidii famam. Cetera breviùs perſequar in Appendice Chronologicâ, quam vide in volumine IV.

# BREVIARIUM
## *APPENDICIS*
## AD LIBRUM V. HISTORIARUM.

XXVI. *Batavi in fidem recepti; pacataque Germania.* XXVII. *Lingones favorem Domitiani occupant. Cæſo Fonteio Agrippâ, Sarmatæ Mœſiam populantur: mox a Rubrio Gallo fuſi.* XXVIII. *Obſidio Hieroſolymitana. Primus urbis murus perrumpitur.* XXIX. *In alterius ruinâ acriter pugnatum.* XXX. *Judæorum pervicacia.* XXXI. *Titus tridui opere urbem muro circumvallat. Expugnatur & exſcinditur turris Antonia.* XXXIV. *Fames, peſtis Hieroſolymis graſſantur.* XXXV. *Templum invadere fruſtra tentant Romani.* XXXVI. *Portas ſuccendi, templum tamen ſervari jubet Titus.* XXXVII. *Judæi, ſuam in ruinam præcipites, inconſultò in Romanos inrumpunt.* XXXVIII. *Templum incenditur; ibique poſitis ſignis, Titus* imperator *conſalutatur.* XL. *Reliquæ Judaici belli fœditates. Ardent Hieroſolyma.* XLII. *Titus, urbis ruinas ingreſſus, Deum victoriæ auctorem profitetur.* XLIII. *Inde Cæſaream diſcedit, Orientem luſtraturus. Lucilius Baſſus, quæ ſupererant in Judæâ, expugnat.* XLIV. *Interim Veſpaſianus Alexandriâ*

*Romam redierat : templi Capitolini operas exemplo inflammat.* XLVI. *Titus , ex Oriente redux , Hieroſolyma reviſit , ruinaſque miſeratur : Memphim venit ; evinctuſque caput diademate , Apidis conſecrationi intereſt : unde Romæ conflata invidiæ materia.* XLVII. *Veſpaſianus Hiſpaniæ jus Latii tribuit : mox ad Urbana negotia intentus.* XLVIII. *Vitæ ejus ratio.* XLIX. *Erga liberos cura. Titus Romam venit.* L. *Veſpaſiano Titoque decernitur triumphus. Ejus pompa.* LII. *Clauditur Janus. Templum Pacis a Veſpaſiano conditum : ibi ſacrata templi Hieroſolymitani monumenta. Conſpirantibus Veſpaſiani Titique votis , tentatur morum emendatio , Urbe vitiis feſſâ.*

Hæc geſta,

| A. U. C. | J. C. | | |
|---|---|---|---|
| DCCCXXIII. | 70. | *Coſſ.* | FLAVIO VESPASIANO Aug. II.<br>TITO VESPASIANO Cæſare. |
| DCCCXXIV. | 71. | *Coſſ.* | FLAV. VESPASIANO Aug. III.<br>M. COCCEIO Nervâ. |

# APPENDIX

## *AD LIBRUM QUINTUM*

# HISTORIARUM.

### *Auctore* Gabriele Brotier.

XXVI. Non fefellit Civilem ea inclinatio, & prævenire ſtatuit; ſuper tædium malorum, etiam ſpe vitæ, quæ plerumque magnos animos infringit. Petito colloquio, ſcinditur Nabaliæ fluminis pons; in cujus abrupta progreſſi duces: & Civilis ita cœpit: « Si apud Vitellii legatum defenderer; neque »facto meo venia, neque dictis fides debebatur. Cuncta inter nos inimica, hoſtilia, ab illo cœpta, a me aucta erant. »Erga Veſpaſianum vetus mihi obſervantia: &, cùm privatus eſſet, amici vocabamur. Hoc Primo Antonio notum, »cujus epiſtolis ad bellum accitus ſum, ne Germanicæ legiones & Gallica juventus Alpes tranſcenderet. Quæ Antonius epiſtolis, Hordeonius Flaccus præſens monebat, arma »in Germaniâ movi: quæ Mucianus in Syriâ, Aponius in Mœſiâ, Flavianus in Pannoniâ, Tiberius Alexander [1] in Ægypto, eadem fovi conſilia. Pari ſtudio Batavos, Canninefates, »veteranaſque cohortes in verba Veſpaſiani adegi [2]. Si quid

A. U. C. 823. J. C. 70.

[1] Tiberius Alexander] A quo initium ferendi ad Veſpaſianum imperii Alexandriæ cœptum. Vide ſuprà Hiſt. II, 79.

[2] In verba Vespasiani adegi] Ut jam dictum eſt ſuprà Hiſt. IV, 21.

A. U. C. 823. J. C. 70.

»poſtea hoſtile inrepſit, jure an injuriâ ſuſceptum haud dixerim. Malim turbida temporum incuſare, quàm dubia »imputare crimina. Certè vel ipſa inter bella me ſemper in »pacem propendiſſe, Romanorumque partes juviſſe multa fue»re argumenta, & recens adhuc memoria [1]. Nec per me ſta»bit quominus inter Romanos & Batavos ſida ſirmaque ſocietas »renovetur. Olim ſacramenti hortatorem, nunc me juvat »eſſe conciliatorem pacis». Studiis ita conſpirantibus, in fidem recepti ſunt Batavi; pacataque Germania.

XXVII. Lingones [2], Civilis ſocietate innexi, Domitiani favorem occupaverant, ſeptuaginta millibus armatorum [3] in ejus obſequium redactis. Atrociùs cum Sarmatis pugnatum. Fonteius Agrippa, Mœſiæ, ut dictum eſt ſuprà [4], præpoſitus, adversùs barbarorum vim invalidus, pugnando fortiter occubuit [5]. Tum cuncta incurſionibus, populationibus obnoxia. Clade Veſpaſiano nuntiatâ, Rubrium Gallum miſit [6], qui rem reſtituit, fuſoſque ſæpe barbaros renare Danubium coegit: &, ne regredi iis foret animus, Romanis præſidiis validiora addidit munimenta [7].

XXVIII. At major belli moles in Judæâ agitabatur. Titus, cùm cuncta expugnandis Hieroſolymis apta ſtruxiſſet, adulto jam vere [8], operi inſtitit [9], morarum impatiens.

[1] Recens adhuc memoria] Superfuſo enim Rheno, potuere opprimi legiones, & volebant Germani: at obſtitit Civilis, idque nunc imputabat. Vide ſuprà Hiſt. V, 24.

[2] Lingones] De quibus ſuprà Hiſt. IV, 55 & 77.

[3] Septuaginta millibus armatorum] Frontinus Strateg. IV, 3. num. 14. Quem vide laudatum ſuprà Hiſt. IV, 67. not. 7.

[4] Dictum est supra] Hiſt. III, 46.

[5] Occubuit] Joſephus, Bell. Jud. VII, 4. num. 3.

[6] Misit] Joſephus ibid.

[7] Addidit munimenta] Sic bellum Mœſiacum celeriter confectum eſt. Ὁ μὲν οὖν περὶ τὴν Μυσίαν πόλεμος ταχεῖαν οὕτως ἔλαβε τὴν κρίσιν. Joſephus loc. cit.

[8] Adulto jam vere] Poſt feſtum diem Azymorum celebratum hoc anno die quintadecimâ menſis Xanthici, ſeu 14 menſis Aprilis. Joſeph. Bell. Jud. V, 3. num. 1.

[9] Operi institit] Relictis enim Spinarum valle & Scopo, ubi primùm fuere Romana caſtra, ſed quæ longiùs ab Hieroſolymis aberant, ut dictum eſt ſuprà Hiſt. V, 1. pag. 294. not. 1. Titus aciem admovit; eamque inſtruxit a monte Olivarum per montem Calvariæ ad turres uſque Pſephinam & Hippicon: deinde ad monumenta uſque Herodis prope piſcinam Serpentium proceſſit, machinas inſtruxit, & oppugnationem cœpit ad Joannis pontificis monumentum die 22 Aprilis. Joſeph. Bell. Jud. V, 2, 3 & 6.

A. U. C. 823. J. C. 70.

Utrimque paribus animis certatum. Judæi locorum ingenio, hominum multitudine ( nam undique terrarum, atque etiam trans Euphraten [1], gentili diſcrimine pietateve [2] exciti, convenerant ) primùm valuere [3]: longiuſque effoſſis ſubter terram cuniculis [4], ruinam machinis, militibus, ſi fortè materiarum causâ, aquarumve penuriâ per agros palarentur, necem inferebant. Una quoque e tribus turribus, quas in quinquagenorum cubitorum altitudinem Titus eduxerat, fortuito caſu nocte prolapſa [5], oppugnatoribus terrorem moraſque intulit. At tandem arte & virtute præpotuit Romana res, adjuta Titi periculo, impacto ſaxo lævum humerum ſaucii [6]. Legiones, ducis vulnere inritatæ, conniti; & perrupto muro, primam urbis partem, Septemtrionibus objectam, occupare [7]: integrâ Judæorum multitudine, quæ in interiora ſeceſſerat [8].

XXIX. Crevit itaque cum fortunâ periculum. Anguſ-

[1] Trans Euphraten ] Dio LXVI. pag. 746. *Οἱ Ἰουδαῖοι, πολλοὶ μὲν αὐτόθεν, πολλοὶ δὲ καὶ παρὰ τῶν ὁμοήθων, οὐχ ὅτι ἐκ τῆς αὐτῆς τῶν Ῥωμαίων ἀρχῆς, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν πέραν Εὐφράτου προσβεβοηθηκότες.* *Judæi plurimi, partim ex illâ ſuâ regione, partim ex iis, qui ejuſdem religionis erant, nec e Romano tantùm imperio, ſed etiam e ſitis trans Euphraten locis venerant, opem ferebant.* Vide & Joſephum, Bell. Jud. VI, 6. num. 2. Euphrates, hodieque *l'Euphrate.*

[2] Pietateve ] Ob Paſchatis ſolemnitatem. Quàm immenſa tum conveniret Judæorum multitudo vide in Notis & Emendationibus ad Hiſt. V, 13.

[3] Primum valuere ] Joſephus, Bell. Jud. V, 6. num. 6. Dio loc. cit.

[4] Cuniculis ] Dio LXVI. pag. 746. *Οἱ δ᾽ Ἰουδαῖοι διὰ τῶν ὑπονόμων ἴσχυον· ὀρωρυγμένους τε γὰρ αὐτοὺς ἔσωθεν ὑπὸ τὰ τείχη μέχρι πόρρω τῆς χώρας εἶχον, καὶ δι᾽ αὐτῶν διεξιόντες, τοῖς τε ὑδρευομένοις ἐπετίθεντο, καὶ τοὺς ἀποσκεδαννυμένους ἐλυμαίνοντο· οὓς ὁ Τίτος πάντας ἀπέφραξε.* *Judæi per cuniculos ſubterraneos multùm poterant, quos ex urbe ſubter ipſa mænia ad longinquas partes regionis actos habebant: perque hos ipſos cuniculos egreſſi, Romanos aquam petentes, & palantes damnis adficiebant. Titus univerſos hoſce meatus obſtruxit.* Quàm autem cælum ſolumque Hieroſolymitanum ſiticuloſum ſit, omnibus compertum eſt.

[5] Nocte prolapsa ] Joſeph. Bell. Jud. V, 7. num. 1. *Τοῦ γὰρ Τίτου πύργους τρεῖς κατασκευάσαι κελεύσαντος πεντηκονταπήχεις . . . συνέβη ἕνα πεσεῖν αὐτομάτως ἀνὰ μέσης νυκτός.* De bellicis turribus plura vide in Notis & Emendationibus ad Hiſt. IV, 23.

[6] Lævum humerum saucii ] Dio loc. cit. *Ὁ Τίτος αὐτὸς λίθῳ τὸν ἀριστερὸν ὦμον ἐπλήγη, καὶ ἀπ᾽ αὐτοῦ τὴν χεῖρα ἀσθενεστέραν ἔσχε.* *Titus ipſe ſaxo percuſſus in humero ſiniſtro, manum inde debiliorem habuit.*

[7] Occupare ] Prima illa pars urbis Hieroſolymorum capta eſt die ſeptimâ menſis Artemiſii, ſeu die 6 Maii, quæ erat a cœptâ oppugnatione quintadecima. Joſeph. Bell. Jud. V, 7. num. 2. *Ῥωμαῖοι μὲν οὖν τοῦ πρώτου τείχους πεντεκαιδεκάτῃ κρατήσαντες ἡμέρᾳ, ἑβδόμη δ᾽ ἦν Ἀρτεμισίου μηνὸς, αὐτοῦ τε πολὺ κατασκάπτουσι, καὶ τὰ προσάρκτια τῆς πόλεως, ἃ καὶ πρότερον Κέστιος.* *Romani primo muro ita potiti ſunt die quintadecimâ, ſeptima enim erat menſis Artemiſii, & partem ejus magnam diruunt, & ſeptentrionalia urbis, quæ etiam prius vaſtaverat Ceſtius.*

[8] Secesserat ] Joſephus & Dio. ib.

A. U. C. 823. J. C. 70.

tioribus enim ſtandum locis; quantóque arctior, tantò validior interiorum urbis munitionum vis: duplicatus quoque [1] propugnatorum numerus. Aderat & immenſa armorum ſupellex: nam præter ſolitas, aut in hanc neceſſitatem [2] inventas Judæis machinas, Romanæ etiam oſtentabantur, ſub belli initia in adverſis Ceſtii Galli [3], Syriæ legati, prœliis captæ. Feroces inde animos, impunitatis ſpe, flectere tentavit [4] Titus. At clementiam Cæſaris pavorem interpretantes, ſpretis ejus nuntiis, audentiâ crevere. Ex eo major ira legionibus, contumeliæ indignitatem ægre ferentibus, certiſque ardua quæque adgredi, ut promptior acriorque ultio foret. Properantur opera: muris admotæ machinæ: corruptæ obſeſſorum ſaxis ignibuſve, confeſtim refectæ. Expugnandæ urbis ſignum dari ardet miles. Quo plus periculi, plus animi. Dato ſigno, acerrimus quiſque, tela inter & ſaxa eniſi, dirutâ alterius muri parte [5], viam fecere. At, quòd anguſtior erat aditus, nec Titus vaſtitatem ſtatim intulit, clementiâ potiùs, quàm belli jure utendum ratus [6]; Judæi indulgentiâ in perfidiam abuti, tantoque impetu in paucos Romanos [7], qui, duce Tito,

[1] Duplicatus quoque ] Tunc enim commune diſcrimen propulſare adgreſſi ſunt Joannes & Simon. Ille ex turri Antoniâ, Septemtrionali porticu templi, & Alexandri monumento pugnabat. Hic juxta monumentum Joannis, & tenebat uſque ad portam, quâ in turrim Hippicon aqua inducebatur. Titus autem locum, Caſtra Aſſyriorum dictum, obtinuit, & quidquid interjacet uſque ad Cedronem occupavit. Joſeph. Bell. Jud. V, 7. num. 3.

[2] In hanc neceſſitatem ] Joſeph. Bell. Jud. V, 1. num. 5. Præterea Joſephus, Bell. Jud. V, 9. num. 2. inter bellicas Judæorum machinas numerat trecentos ſcorpiones & quadraginta baliſtas, *εἶχον δ' ὀξυβελεῖς μὲν τριακοσίους, τεσσαράκοντα δὲ τῶν λιθοβόλων.* Hos ſcorpiones deſcribit Vegetius, IV, 22. *Scorpiones dicebant, quas nunc manubaliſtas vocant: ideo ſic nuncupati, quòd parvis ſubtilibuſque ſpiculis inferant mortem.* Alii ſunt, & majores, ſcorpiones, quos deſcribit Ammianus Marcellinus XXIII, 3. De baliſtâ dictum eſt ſatis Hiſt. III, 23. not. 6.

[3] Cestii Galli ] De quo ſuprà Hiſt. V, 10. Vide & Supplementum Annal. XVI, 47.

[4] Flectere tentavit ] Dio loc. cit.

[5] Alterius muri parte ] Joſephus, Bell. Jud. V, 8. num. 1. *Αἱρεῖ δὲ Καῖσαρ ταύτῃ τὸ τεῖχος ἡμέρᾳ πέμπτῃ μετὰ τὸ πρῶτον.* *Alterum murum* in parte urbis Septemtrionali, *cepit Cæſar die quinto poſt primum captum.* Quintus autem ille dies fuit duodecimus menſis Artemiſii, & 11 menſis Maii.

[6] Utendum ratus ] Ita Joſephus loc. cit. Hæc enim una Tito cura ut ſibi urbem, templum urbi conſervaret. *Περὶ πλείστου γὰρ ἐποιεῖτο σῶσαι τὴν μὲν πόλιν αὐτῷ, τὸν δὲ ναὸν τῇ πόλει.*

[7] In paucos Romanos ] Titus cum mille armatis, & lectis, quos circa ſe habebat, militibus, alterum murum erat ingreſſus. Joſeph. loc. cit.

ſubierant,

ſubierant, inruere, ut eos extra murum pellerent. Atrox hìc cædes; triduoque [1] in muri ruinâ, quam Judæi oppoſitis corporibus vallabant, pugnatum. Tandem quarto die [2], victis Judæis, intuſque cedentibus, ad turrim Antoniam [3] ventum eſt. A. U. C. 823. J. C. 70.

XXX. Cum ea foret ſolo editiore inacceſſa, ſtructi ad oppugnandum aggeres [4]. Interim, ut Judæorum audacia terrore flecteretur, per quatuor dies oſtentata [5] acies Romana: publicè data annona: ingentem auri argentique vim, minaſque militum, armis & inſignibus fulgentium, e ſummis mœnibus parteque Septemtrionali templi proſpectabant obſeſſi. Præterea miſſus Joſephus [6], nobis jam ſuprà memoratus, qui eos veniæ, libertatis, fortunarum ſpe ad deditionem excitaret. Nec hoſtilium virium aſpectus, nec promiſſa, ne horrenda quidem fames [7], quæ jam ſæviebat, feroces animos molliere. Immo ipſi transfugæ, Titi clementiâ in caſtra Romana recepti, occulta meditabantur crimina [8]; & ſi quem fortè Romanorum ſolum repererant, jugulabant, aut clam

[1] Triduoque ] Joſephus, loc. cit. num. 2. Τρισί μὲν ἀντεῖχον ἡμέραις.

[2] Quarto die ] Titus, quarto die, τῇ τετάρτῃ, Judæos fortiter adortus, altero muro potitus eſt. Quod ad Septemtrionem ſpectabat ſtatim diruit: partis verò Meridionalis turribus præſidium impoſuit. Joſeph. ibid. Quartus ille dies fuit 15 menſis Maii.

[3] Turrim Antoniam ] De quâ dictum ſuprà Hiſt. V, 11.

[4] Ad oppugnandum aggeres ] Quatuor maximos aggeres memorat Joſephus, Bell. Jud. V, 11. num. 4. Horum unum ad turrim Antoniam, contra mediam piſcinam, quæ Struthia vocabatur, ſtruxerat quinta legio; alium legio duodecima, inde circiter viginti cubitos diſtantem: tertium legio decima, ad Orientalem partem urbis, & piſcinam, quæ Amygdalon appellabatur; quartum legio quintadecima, ad Joannis Pontificis monumentum, triginta inde cubitos diſtans. Joſeph. Bell. Jud. V, 9. num. 2. & V, 11. num. 4. Ait ibidem Joſephus illos cœptos fuiſſe duodecimo die menſis Artemiſii, vix autem perfectos fuiſſe die vigeſimo nono, diebus ſeptemdecim operi ſine intermiſſione impenſis. Ergo aggeres cœpti ſunt die ipſo, quo ſecundus urbis murus dirutus eſt. Dies autem vigeſimus nonus fuit 28 Maii.

[5] Per quatuor dies oſtentata ] In Hieroſolymorum ſuburbanis, Septemtrionem versùs, oſtentata eſt acies Romana. Joſeph. Bell. Jud. V, 9. num. 1. Quatuor illi dies fuere 16, 17, 18, 19 Maii.

[6] Miſſus Joſephus ] Joſeph. Bell. Jud. V, 9. num. 3. Jam memoratus eſt ſuprà in ſupplemento Annal. XVI, 58.

[7] Fames ] De quâ multa Joſephus Bell. Jud. V, 10. Magnam autem frumenti copiam, quæ non paucis annis ſuffeciſſet, initio belli combuſſerant diſcordes Judæi. Joſephus, Bell. Jud. V, 1. num. 4. Præterea ne quid ſpei Judæis maneret, Titus pulcherrima urbis ſuburbana exciderat, & omnem latè regionem ad nonaginta ſtadia circumquaque vaſtaverat, ita ut nihil in campis, ne arbor quidem, ſupereſſet. Joſephus Bell. Jud. VI, 1. num. 1.

[8] Meditabantur crimina ] Dio loc. cit.

A. U. C. 823. J. C. 70. obturatis corruptiſve fontibus, inſanabile malum adferebant. Multi in talis perfidiæ pœnas, gentiliumque terriculum, ante urbis oculos crucibus adfixi [1], truncisve manibus [2] ad ſuos remiſſi. His ſuppliciis exacerbata adhuc odia; ultionemque novâ ruinâ parabat Joannes. Effoſsâ enim ſub aggeribus terrâ [3], incenſiſque materiis [4], quibus opus penſile ſuſtinebatur, ſubito hiatu abſorpti ſunt aggeres: diſſiluere machinæ; &, erumpente flammâ, ſtatim hauſtæ ſunt. Nihil triſtius toto bello contigerat [5]. Id tamen biduo poſt [6] ferme renovatum. Simonis enim inſtinctu, tres juvenes, præcipuâ apud eos audaciâ, Tephthæus, Megaſſarus, & Chagiras [7] (nam barbara etiam nomina ob facinoris inſigne memoranda) urbe, raptis facibus, egreſſi, machinas aliis aggeribus [8] impoſitas, per medios hoſtes, per tela, per gladios, incendendas ſuſceperunt, & incendêre: neque ignes, propter Judæorum, e muro, factâque inruptione, pugnantium, pervicaciam, reſtingui potuerunt [9].

XXXI. Adverso caſu haud fracta Titi conſtantia: ſed cladem in urbis exitium vertit; eamque incredibili tridui opere [10]

[1] Crucibus adfixi] Judæos quidem cruci adfixos memorat Joſephus, Bell. Jud. V, 11. num. 1. At ſilet cauſam, eoſque ideo tantùm a Tito punitos tradit, ut obſeſſi quid ipſos maneret, ni ſe dederent, intelligerent. Quod a Romanâ diſciplinâ Titique clementiâ omnino alienum.

[2] Truncisve manibus] Joſeph. ibid. num. 2.

[3] Sub aggeribus terra] Joſeph. ibid. num. 4. Aggeres illi a legionibus V & XII ad Turrim Antoniam fuerant exſtructi; ut modò obſervatum eſt ſuprà not. 4.

[4] Incensisque materiis] Pice ac bitumine inlitæ fuerant materiæ; ſuccenſiſque ſudibus, penſiles aggeres magno cum ſonitu corruêre. Joſeph. ibid.

[5] Contigerat] Id contigiſſe videtur die primâ menſis Sivan, ſeu 29 Maii.

[6] Biduo post] Joſeph. ibid. num. 5. Id ergo accidit die tertiâ menſis Sivan, ſeu 31 Maii.

[7] Chagiras] Sic cognominatus ex fortunâ, ait Joſeph. ibid. quæ vox claudum ſignificat. חגירא enim Judæis eſt claudus. Tres autem illi viri e periculo non ſe ſubduxere priùs, quàm cùm ignis machinas corripuit. Joſeph. ibid.

[8] Aliis aggeribus] Ii ſunt aggeres, quos legiones X & XV ad Orientalem urbis partem ſtruxerant, ut jam obſervavimus ſuprà not. 4.

[9] Restingui potuerunt] Joſeph. ibid.

[10] Incredibili tridui opere] Joſeph. Bell. Jud. V, 12. num. 2. Τρισὶ δ' ἀνοδομηθὲν τὸ πᾶν ἡμέραις· ὡς τὸ μὲν ἔργον μηνῶν ἄξιον, τὸ δὲ τάχος ἡττῆσθαι πίστεως. *Totum autem opus triduo conſtructum eſt, ut id quidem dignum menſibus videretur, celeritas verò fide careret.* Triduum illud fuit ſanè 2, 3 & 4 Junii. A Tito autem ita deproperatum opus, quòd Judæi ſabbatum & duos dies feſtos Septimanarum, ſeu Pentecoſtes, celebravere diebus 5, 6 & 7 menſis Sivan, id eſt 2, 3 & 4 Junii.

per triginta novem ſtadia [1] muro ac turribus [2] ita circumvallavit, ut nulla effugii ſpes obſeſſos maneret. In hac neceſſitate, multa fuere Judæorum transfugia; haud meliore iis penes Romanos, quàm penes ſuos, ſorte. Multi enim, longâ fame invalidi, oblatis affatim cibis enecabantur [3]: alii, innatâ genti auri cupidine, comperti opes ſuas, antequam transfugerent, voraſſe [4], ab Arabibus Syriſque [5] diſſecti ſunt [6]: ne Romanus [7] quidem miles ab eâ atrocitate penitus integer: Judæorum duo millia [8] ſic periere; indignante quidem Tito, & morte iis, qui tale pòſt ſcelus auderent, intentatâ [9]. Ceteris autem, qui in urbe manſerant, nulla ſalutis cura. Ducibus tantùm furor: Joannes in templi ſpoliationes [10] præceps, in gentilium cædes [11] Simon: tam effrenâ libidine, ut ſi ab oppugnatione deſtitiſſent Romani, Hieroſolyma furialibus ſuorum odiis periiſſent [12].

A. U. C. 823. J. C. 70.

[1] Per triginta novem stadia ] Joſephus, ibid. *Τὸ μὲν οὖν τεῖχος ἑνὸς δέοντος τεσσαράκοντα σταδίων ἦν. Murus uno minus quadraginta ſtadiorum erat.*

[2] Muro ac turribus ] Circuitum muri fusè deſcribit Joſephus, ibid. Hujus ſtruendi initium factum a caſtris Aſſyriorum, ubi tendebat Titus: hinc ad inferiorem Cænopolim ductus; inde per Cedronem ad Olivarum montem pergebat: dein revertens a meridie montem complectebatur uſque ad petram Periſtereonon, proximumque collem, qui valli juxta fontem Siloam imminebat: inde ad vallem fontis deſcendebat, factoque pòſt aſcenſu ad Anani pontificis monumentum, montem circumdabat, ubi Pompeius caſtra olim poſuerat: tum ad Septemtrionale urbis latus redibat, progreſſuſque ad vicum, qui Cicerum domus, Ἐρεβίνθων οἶκος, dicebatur, Herodiſque monumentum complexus, ad Orientem Titi caſtris, unde initium ceperat, conjungebatur. Huic autem muro foris adſtructa ſunt tredecim caſtella, ſeu præſidia, quorum ambitus erat denis ſtadiis. *Ἔξωθεν δὲ αὐτῷ προσῳκοδομήθη τρισκαίδεκα φρούρια, καὶ τούτων οἱ κύκλοι δέκα συνηριθμοῦντο σταδίων.* Facto hoc muro, tunc impletum eſt, quod Jeſus, videns civitatem, & ſuper illam flens, prædixerat: *Venient dies in te: & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te: & coanguſtabunt te undique.* Luc. XIX, 43.

[3] Cibis enecabantur ] Joſeph. Bell. Jud. V, 13. num. 4.

[4] Vorasse ] Joſeph. ibid.

[5] Arabibus Syrisque ] Qui erant auxiliares in exercitu Romano.

[6] Dissecti sunt ] Ut auro, quod voraverant, potirentur Arabes, Syri, ac nonnulli etiam e militibus Romanis.

[7] Ne Romanus ] Joſeph. Bell. Jud. V, 13. num. 5.

[8] Duo millia ] Joſeph. ibid.

[9] Intentata ] Quos etiam, circumfuſo equitatu, jaculis configi ſtatim juſſiſſet Titus, ni reorum multitudine impeditus fuiſſet. Joſeph. ibid.

[10] In templi spoliationes ] Joſeph. Bell. Jud. V, 13. num. 6. Inter donaria, quæ Joannes tunc rapuit, memorat Joſephus urceolos ab Auguſto ejuſque uxore Liviâ olim templo datos.

[11] In gentilium cædes ] Tum Matthiam, Ananiam pontificem, alioſque plurimos interfecit Simon; ut videre eſt apud Joſephum, Bell. Jud. V, 13. num. 1.

[12] Periissent ] Hac in re multus Joſephus, Bell. Jud. V, 13. num. 5. 6. &

A. U. C. 823. J. C. 70.

XXXII. Tædio præſentium, futurorum metu, præfectus turri Antoniæ, Judas nomine [1], cum fidiſſimis Judæis decem, proditionem pepigit. Jam Titus, turrim occupaturus, adventabat, cùm Simon, retectis conſiliis, proditores circumvenit; hiſque ante Romanorum ora jugulatis, diſcerpta eorum membra projecit [2]. At, flagitii loco, Romanis adfuere fortuna & virtus. Ubi enim admotæ machinæ, pars muri a Joanne, ut memoravimus [3], ſuffoſſa, repentè corruit [4]. Juvit hàc inrumpere. Alter tamen adſurgebat murus, quem Joannes, prioris caſu diffiſus, ſtruxerat [5]. Sabinus [6], periculo laudiſque cupidine accenſus, lectis undecim ſociis, tela inter & ſaxa, deſuper vibrata, murum ſuperat; Judæoſque audaciâ ita attonuit, ut in fugam verterentur. At fortè pedem ſaxo inliſus, magno cum armorum ſonitu procidit. Converſi Judæi in eum inruunt. Sabinus, in genu erectus, tectuſque clipeo, eorum impetum fortiter ſuſtinet, & proximum quemque vulneribus adfligit, donec ipſe, telis undique petitus, occubuit: tres, qui eum ſecuti in murum evaſerant, trucidati: reliqui ſaucii, in caſtra ægre retracti [7]. Virtutis exemplum Romanos inflammat; turriſque Antonia ſexto oppugnationis die capta [8]: juſſit Cæſar « eam [9] fundi-

aliàs ſæpe.

[1] Judas nomine ] Joſeph. Bell. Jud. V, 13. num. 2.

[2] Projecit ] Joſephus ibid.

[3] Memoravimus ] Cùm Joannes terram ſub aggeribus Romanis effodit, ut dictum eſt ſuprà cap. 30.

[4] Corruit ] Joſephus, Bell. Jud. VI, 1. num. 3.

[5] Struxerat ] Joſephus, Bell. Jud. VI, 1. num. 4.

[6] Sabinus ] Natione Syrus, γένος ἀπὸ Συρίας. Joſeph. Bell. Jud. VI, 1. num. 6.

[7] Ægre retracti ] Joſeph. ibid. *Id autem contigit die tertiâ menſis Panemi*, id eſt die 30 Junii. Ταῦτα μὲν ὖν τρίτῃ Πανέμου μηνὸς ἐπράχθη. Joſeph. ibid.

[8] Sexto oppugnationis die capta ] Ad expugnandam turrim Antoniam ſtructi ſunt aggeres per dies unum & viginti, μιᾷ καὶ εἴκοσι ἡμέραις, id eſt a die 6 ad diem 27 Junii. Turris oppugnatio cœpta, primo die menſis Panemi, ſeu 28 Junii, νουμηνίᾳ Πανέμου μηνὸς ἡ ἐπιχείρησις ἦν. Biduo poſt infelicem Sabini caſum, μετὰ δὲ ἡμέρας δύο, id eſt die 2 Julii, viginti milites, qui per aggeres excubias agebant, accito quintæ legionis ſignifero, duobus ex alâ equitum, & uno tubicine, horâ noctis nonâ murum ſuperavere: obtruncatiſque, qui primùm occurrerunt, ſomnolentis Judæis cuſtodibus, buccinâ concinunt: reliqui cuſtodes Judæi diffugiunt territi. Titus, audito ſigno, armari properè exercitum jubet: ſtatim ipſe cum ducibus lectâque manu adſtat. Ferme occupatum templum. At illud a Romanis violari perhorreſcentes Judæi, reſumunt animos. Acerrimè certatum a nonâ noctis horâ ad horam diei ſeptimam, quâ cùm templum expugnari non poſſet, occupata tantùm turris Antonia die 3 Julii. Joſeph. Bell. Jud. VI, 1. num. 1, 3. & 7.

[9] Eam ] Septem diebus everſa eſt tur-

»tus everti; tentarique [1] adhuc Judæorum animos, utrùm »deditionem vellent facere»: ipſe pollicitus, « inlæſum inviolatumque fore templum: ſervatâ etiam loci ſanctitate, »quem Romanis adire nefas [2] ».

A. U. C. 823. J. C. 70.

XXXIII. Duratis ad mala animis, nihil ſani ſupererat conſilii. Itaque ſtructi aggeres [3], & templo propinquatum [4]. Titus, ſubitâ inruptione illud occupari poſſe ratus, mittit Sextum Cerealem, qui cum lectiſſimâ militum manu [5] illud noctu invadat. Ii horâ noctis nonâ [6] ſubiere. Judæi, non deditiſed, ut ſperabatur, ſomno, ſtatim adſtiterunt: acriter pugnatum, minore tamen Romanorum, quàm Judæorum clade. Romanus enim miles, belli gnarus, ſeſe ſigno [7] noſcitabat, & inter ſe ſtipatus, conſertiſque ſcutis, haud ita vulneribus patebat. Contrà Judæi, temeritate acti, ſuorumque ob tenebras ignari, plus ſibi, quam hoſtibus, exitii inferebant: valebant tamen numero; nec pugnæ finem nox adtulit. Ortâ luce, cum diſcrimine crevit ardor: certamen ante quin-

ris Antonia. Sic æquus latuſque ad templum aſcenſus munitus eſt. Τῶν Ῥωμαίων δύναμις ἡμέραις ἑπτὰ καταστρεψαμένη τοὺς τῆς Ἀντωνίας θεμελίους μέχρι τοῦ ἱεροῦ πλατεῖαν ἄνοδον εὐτρεπίσατο. Joſeph. Bell. Jud. VI, 2. num. 7. Vide eumdem Joſephum, ibid. num. 1. Septem dies, quibus Antonia turris everſa, numerandi ſunt a die 4 ad 10 Julii diem.

[1] Tentarique ] Miſſuſque adhuc Joſephus, qui Judæos alloqueretur. Joſeph. Ibid. num. 1.

[2] Romanis adire nefas ] Joſephus ibid. num. 4.

[3] Structi aggeres ] Quatuor ſtructi aggeres: unus contra interioris templi angulum, qui ad Septemtrionem Orientemque ſpectabat: alter ad exedram Septemtrionalem, quæ inter duas portas erat: tertius contra porticum Occidentalem exterioris templi: quartus contra Septemtrionalem porticum. In his autem ſtruendis plurimus fuit labor, quòd materiæ a centeſimo uſque ſtadio eſſent comportandæ. Τὴν ὕλην ἀφ' ἑκατὸν σταδίων συγκομίζουσιν. Joſeph. ibid. num. 7. Adeò vicina Hieroſolymis loca fuerant vaſtata. Cùm ad turrim Antoniam ſtruerentur aggeres, de quibus dictum eſt ſuprà cap. 30. not. 4. jam aſportatæ fuerant materiæ a nonageſimo ſtadio, ad id ſpatium attonsâ undique circa Hieroſolyma regione. Κείραντες, ὡς προείρηται, τὴν περὶ τὸ ἄστυ χώραν ἐπ' ἐνενήκοντα σταδίους ἐν κύκλῳ πᾶσαν. Joſephus, Bell. Jud. VI, 1. num. 1.

[4] Propinquatum ] Multaque tentavit Titus, ut Joannem ad deditionem adduceret. Sed is erat in dies obſtinatior. Multa tamen fuere Judæorum transfugia. Joſeph. Bell. Jud. VI, 2. num. 1. 2. & 3.

[5] Lectissima militum manu ] Lecti e ſingulis centuriis triceni milites ſtrenuiſſimi, & attributi per millenos tribuni. Joſeph. Bell. Jud. VI, 2. num. 5.

[6] Hora noctis nona ] Hæc hora non modò inſidiis opportuna, ſed ad pugnam quoque expedita in his cæli terræque ardoribus. Subiere autem Romani, ut ex narratarum rerum ſerie videtur, die 15 Julii.

[7] Signo ] Signum, *le mot du guet*, ut ſæpe dictum eſt.

A. U. C. 823. J. C. 70. tam diei horam[1] haud diremptum; &, ancipiti victoriâ, utrimque diſceſſum. Tum Titus ſtruendis aggeribus acriùs inſtitit [2], ut templi oppugnationem celeraret. Primùm fuit Judæis reſiſtendi impetus; & juxta montem Olivarum [3] erupere: ſed vi Romanâ pulſi fractique [4]. Aucta tantùm inrito conatu ira.

XXXIV. Acerbior tamen in dies urbis ſtatus: ingraveſcebat fames [5]: auditumque enectos pueros [6]; matrem [7] (fœdum dictu & hactenus inauditum [8]) filio ſuo paſtam, inutili ſcelere: nam mortem nefariè dilatam urgebat tetra lues [9], famis comes.

[1] Quintam diei horam ] Joſephus, Bell. Jud VI, 2. num. 6. Τὸ δὲ πέρας ἀρξάμενοι τῆς νυκτὸς ἐννάτης ὥρας, ὑπὲρ πέμπτην τῆς ἡμέρας διελύθησαν.

[2] Acrius institit ] Joſeph. Bell. Jud. VI, 2. num. 8.

[3] Montem Olivarum ] Erupere Judæi alterâ die, poſtquam aſcenderant Romani, μετὰ δὲ μίαν ἡμέραν αὐτῶν τῆς ἀνόδου, circa undecimam diei horam, περὶ ὥραν ἐνδεκάτην τῆς ἡμέρας. Joſeph. loc. cit. Ergo illa eruptio facta die 17 Julii, cùm Sol ad occaſum proximè vergeret. Mons autem Olivarum eſt ad Orientem urbis Jeruſalem, altiſſimus, & unde non in urbem tantùm, ſed in omnes circùm campos latè patet proſpectus. Haud procul a monte Olivarum, ex quo Jeſus Chriſtus in cælos aſcendit, eſt hortus Gethſemani, ubi a Judâ fuit proditus & captus. Matth. XXVI, 36. Joan. XVIII, 2.

[4] Pulsi fractique ] Narrat Joſephus loc. cit. pulſis tunc Judæis, Pedanium ex alâ equitum, currente equo, ita tamen ſe inclinaſſe, ut Judæum fugientem, juvenem quidem, ſed corpore validum, & armis undique ſeptum, talo comprehenderit, captivumque ad Titum tulerit. Quod puerile & hiſtoriâ indignum. Sed, ut aliàs jam monui, multa ſunt in Joſepho, quæ laudaveris, multa quoque quæ arguas. Exemplum adduxiſſe ſit ſatis.

[5] Ingravescebat fames ] Quæ tanta erat, ut eſurientes Judæi cloacas rimarentur, boum ſtercora aliaque horrenda in cibos verterent. Joſeph. Bell. Jud. V, 13. num. 7. Antequam Titus urbem muro circumvallaret, modius frumenti jam venierat talento, Gallicæ monetæ libris 8,700. Joſephus, ibid. Alia plura de hac fame ſi volueris, vide Joſephum Bell. Jud. V, 10 & 12. VI, 3. num. 3.

[6] Enectos pueros ] Joſeph. Bell. Jud. V, 10. num. 3.

[7] Matrem ] Mariam nomine, feminam origine nobilem. Joſephus, Bell. Jud. VI, 3. num. 4. Quod ubi vulgatum, tantus fuit in omnibus horroris ſenſus, ut & Titus urbis, in nefanda ſcelerum monſtra ferocientis, excidium ſanxerit; & ipſi Judæi, fame preſſi, ad mortem properarent, beatoſque prædicarent, qui antè occubuerant, quàm talia aut viſu, aut auditu, acciperent. Joſeph. ibid. Sic adimplebatur quod prædixerat Jeſus Chriſtus, cùm converſus ad filias Jeruſalem dicebat: *Nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros. Quoniam ecce venient dies in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & ventres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite ſuper nos: & collibus: Operite nos.* Luc. XXIII, 28 & ſeqq.

[8] Inauditum ] Joſeph. loc. cit. Poſtea aliquando in recentibus noſtris Hiſtoriis id auditum, ſed ſemper horrendum.

[9] Tetra lues ] Adeò peſtifera, ut a quartodecimo die menſis Xanthici, ſeu 13 Aprilis, ad primum diem menſis Panemi, ſeu 28 Junii, per unam tantùm portam elati fuiſſent mortui 115,880, μυριάδας ἕνδεκα νεκρῶν ἐπὶ πεντακισχιλίοις ὀκτακοσίοις ὀγδοήκοντα. Sic enim a Mannæo, transfugâ, cui hujus portæ cuſtodia fuerat credita, accepit Titus.

A. U. C. 823. J. C. 70.

Ipſâ peſte gravior adhuc neceſſitas, cùm plurimi, aut fame preſſi, aut ejus metu, domos penetrant; &, dum ſi quid edule occultatum rimantur, cuncta latrociniis & cædibus miſcent [1]. Populus, his malis victus, vias pacis tandem iniſſet, ni duces [2], ſcelerum conſcientiâ feroces, fanaticaque vatum turba [3], « quantò inſtantius diſcrimen, tantò propiorem » manifeſtioremque Dei opem » jactitantium, ſalubria avertiſſent conſilia. At mentes, timorem inter ſpemque ancipites, turbabant dira præſagia, ſuprà jam memorata [4], & atroces excidii minæ. Nempe e plebe quidam, Jeſus nomine, quadriennio ante [5] inchoatum bellum acerba in populum, urbem, templumque diu ac noctu fuerat vociferatus [6]: nec minis, nec verberibus a ferali carmine deſtiterat [7]. Cœpto urbis obſidio, quaſi factâ præſagiis fide, mæſtus & in atra cogitationum conditus mœnibus obambulabat, clamitans: « væ, » væ iterum urbi, templo, populo »! Hæc tum ingeminans: « væ, væ mihi »! exclamavit, corruitque exanimis, lapide baliſtâ excuſſo percuſſus [8]. Recens adhuc portentum, & in

Univerſis portis elatos fuiſſe mortuos 600,000, μυριάδας ἑξήκοντα, præter alios innumeros, qui non elati ſunt, proditum eſt. Joſeph. Bell. Jud. V, 13. num. 7.

[1] Latrociniis et cædibus miscent] Joſephus, Bell. Jud. V, 12. num. 3. VI, 3. num. 3.

[2] Ni duces] Joſeph. Bell. Jud. VI, 2.

[3] Vatum turba] Joſeph. Bell. Jud. VI, 5. num. 2.

[4] Memorata] Hiſt. V, 3.

[5] Quadriennio ante bellum] Quadriennio ante bellum, Hieroſolyma venerat ad diem feſtum Scenopegiæ, ſeu tabernaculorum: tum clamare cœpit, & perſtitit ſine raucitate, integriſque viribus, per annos ſeptem & quinque menſes, ἐφ' ἑπτὰ ἔτη, καὶ μῆνας πέντε. Joſeph. Bell. Jud. VI, 5. num. 2.

[6] Vociferatus] *Diu noctuque omnes urbis vicos circuibat, clamitans: Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox a quatuor ventis, vox in Hieroſolyma, & in templum, vox in ſponſos & in ſponſas, vox in univerſum populum.* Φωνὴ ἀπ' ἀνατολῆς, φωνὴ ἀπὸ δύσεως, φωνὴ ἀπὸ τῶν τεσσάρων ἀνέμων, φωνὴ ἐπὶ Ἱεροσόλυμα, καὶ τὸν ναὸν, φωνὴ ἐπὶ νυμφίους καὶ νύμφας, φωνὴ ἐπὶ τὸν λαὸν πάντα. Τοῦτο, μεθ' ἡμέραν καὶ νύκτωρ, κατὰ πάντας τοὺς στενωποὺς περιῄει κεκραγώς. Joſephus, loc. cit. Eadem Hebraicè habet Joſeph Gorionides, VI, 53.

[7] Destiterat] Inde cùm a Judæis fruſtra verberibus fuiſſet affectus, Albino, tum Judææ procuratori, traditus eſt; apud quem ad oſſium uſque nudationem laniatus, nec preces, nec lacrimas effudit, ad ſingula tantùm verbera lugubriter clamabat, Væ, væ Hieroſolymis, Αἰαῖ Ἱεροσολύμοις. Ab Albino interrogatus cur hæc diceret, nihil omnino reſpondebat. Albinus eum, ut amentem, dimiſit. Is ergo in hac ſuâ vociferatione perſtitit, nihil mali imprecatus, cùm in ſingulos dies vapularet; neque cibos impartientibus benedicebat: ſed unum illi ad omnes reſponſum, *Dirum omen*, σκυθρωπὴ κληδών. Joſeph. ibid.

[8] Percussus] Joſeph. ibid.

triſtius interpretatum, ceſſavit juge ſacrificium [1].

A. U. C. 823. J. C. 70.

XXXV. Talibus efferati Judæi per ſuas ſtrages vagantur, ferro, flammâ, tectorum, murorum, aggerum ſubverſionibus Romanos obrui, aut a templo averti poſſe opinati. Has inter ruinas, flammantibuſque porticibus [2], patuit magnifica templi facies. Quaſi religione attonitus [3], ſtetit Romanus exercitus. Opus fuit ut Titus juberet [4] « ulterius audere ; » & per violata jam Judæis ſacra pœnas de gente hominibus

[1] Cessavit juge sacrificium ] Ceſſavit die ſeptimadecimâ menſis Panemi, ſeu 14 Julii; Πανέμου δ' ἦν ἑπτακαιδεκάτῃ. Joſephus, Bell. Jud. VI, 2. num. 1. Eâdem quoque die ceſſaverat in primo templo. Quod adhuc acerbo jejunio ſingulis annis die ſeptimadecimâ menſis Tamuz Judæi recolunt. Immo inter ipſos pii plurimi a die illâ ſeptimadecimâ Tamuz ad diem nonam menſis Ab, quâ ob primi ſecundique templi excidia jejunium eſt, carnibus vinoque abſtinent. Omnes enim illi dies genti fuere luctuoſiſſimi. Errat autem Joſeph Gorionides, VI, 48, cùm hæc retrahit ad diem feſtum Septimanarum, ſeu Pentecoſtes, id eſt, diem 3 menſis Junii. Ipſâ obſidionis deſcriptione ſatis refutatur. Quod autem ſpectat ad juge ſacrificium, Judæis עלת תמיד dictum, ejus leges rituſque docet Moyſes, Num. XXVIII, 3. & ſeqq. *Hæc ſunt ſacrificia, quæ offerre debetis : Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocauſtum ſempiternum. Unum offeretis manè, & alterum ad veſperum, decimam partem ephi ſimilæ, quæ conſperſa ſit oleo puriſſimo, & habeat quartam partem hin. Holocauſtum juge eſt, quod obtuliſtis in monte Sinai in odorem ſuaviſſimum incenſi Domini. Alterumque agnum ſimiliter offeretis ad veſperam, juxta omnem ritum ſacrificii matutini, & libamentorum ejus, oblationem ſuaviſſimi odoris Domino.* Ceſſaſſe ſacrificium *penuriâ virorum*, ἀνδρῶν ἀπορίᾳ, ſcribit Joſephus, loc. cit. Sunt qui pro ἀνδρῶν emendent ἀμνῶν vel ἀρνῶν, id eſt, *agnorum :* ſed minimè probabiliter, ut jam monuit eruditus Relandus. Titus enim Joanni, qui templum tenebat, Judæos obtulit, qui intermiſſa ſacrificia celebrarent; ut videre eſt apud Joſephum ibid. Potiùs crediderim ceſſaſſe ſacrificium, quòd in his ſceleribus, cædibus, impuritatibus, quibus tum fœdabatur templum, nulli fuerint puri ſanctique ſacerdotes, qui illud offerrent.

[2] Flammantibusque porticibus ] Judæi die ſecundo & viceſimo menſis Panemi, id eſt 19 Julii, porticus templi, quæ a Septemtrione & Occaſu turri Antoniæ erant conjunctæ, incenderunt. Biduo pòſt, quarto & viceſimo prædicti menſis, μετὰ δ' ἡμέρας δύο, τετάρτῃ καὶ εἰκάδι τοῦ προειρημένου μηνός, nempe 21 Julii, Romani vicinam porticum incendêre, lætantibus Judæis, ultroque ruinas augentibus, ut a templo Romani averterentur. Joſephus, Bell. Jud. VI, 2. num. 9. Die autem ſeptimo & viceſimo Panemi, τοῦ προειρημένου μηνὸς ἑβδόμῃ καὶ εἰκάδι, ſeu 24 Julii, cùm Romani porticum Occidentalem temere ſubiiſſent, intra cujus culmen & trabes Judæi arida ligna cum ſulphure & bitumine ſuppoſuerant ; iis ſubitò incenſis, miſerè perierunt Romani. Porticus autem exuſta eſt uſque ad turrim Joannis, ſupra portas, quæ ultra Xyſtum ducebant, exſtructam : reliquum verò porticûs Judæi abſciderunt. Sequenti die, τῇ δ' ὑστεραίᾳ, ſive 25 Julii, Romani incenderunt porticum Septemtrionalem uſque ad porticûs Orientalis angulum, qui valli Cedron, hodie quoque *la vallée de Cédron*, imminebat. Joſeph. Bell. Jud. VI, 3. num. 1 & 2.

[3] Religione attonitus ] Dio, LXVI. pag. 747. Διὰ τὸ δεισιδαιμονῆσαι. *Ob religionis pavorem.*

[4] Ut Titus juberet ] Dio, loc. cit. Τοῦ Τίτου σφᾶς καταναγκάσαντος, εἴσω προεχώρησαν. *A Tito adacti ad interiora progreſſi ſunt.*

» deiſque

A. U. C. 823. J. C. 70.

» deiſque inviſâ ejus excidio repeti ». Structi aggeres [1], admotæ validiſſimæ machinæ; inrito tamen labore [2], ob immenſas lapidum moles. Appoſitæ ergo templi porticibus [3] ſcalæ. Nec ſubeuntibus obſtitere Judæi: at, ubi primum in manus venerunt, obvios præcipitare, proximos obruere, ſcalas excutere, deturbare plurimos, in porticus jam egreſſos fodere. Acriter certavere ſigniferi, ſed multitudine oppreſſi, contrucidati ſunt, captaque ſigna Romana [4].

XXXVI. Titus, ſuâ in templum indulgentiâ, periclitari virtutem Romanam, Judæorum audaciam creſcere expertus, juſſit « ejus portas ſuccendi [5] ». Congeſtis accenſiſque materiis, flammæ, inter argentum, quo portæ obducebantur [6], eluctatæ, ligna corripuere. Diſſilientibus foribus, flammiſque erumpentibus, obſtupuere Judæi: iis ne ſatis quidem animi ad arcenda incendia, quæ die nocteque [7] graſſata ſunt. Interim Titus, accitis exercitûs ſui ducibus [8], de templo conſultabat. In diverſum diſtrahebantur [9] ſententiæ. Alii cenſebant « jure belli utendum: Judæis fore contumaciam, dum » ſtaret id monumentum: huc eos undique terrarum convenire:

[1] Structi aggeres ] A duabus legionibus abſoluti ſunt hi aggeres die octavâ menſis Loi, Λώου μηνὸς ὀγδόῃ, id eſt 3 Auguſti. Structi autem erant ad exedram Occidentalem templi interioris. Joſeph. Bell. Jud. VI, 4. num. 1.

[2] Inrito tamen labore ] Sex quoque diebus, antequam aggeres abſolverentur, quatiebatur murus, ſimul fundamenta Septemtrionalis portæ ſuffodiebantur; at irritus ſemper labor recidit, ob eam lapidum immenſitatem, de quâ dictum eſt ſuprà Hiſt. V, 12. not. 2.

[3] Templi porticibus ] Porticibus templi interioris. Joſeph. ibid. Duplex enim templum: aliud exterius, ubi atrium gentium: aliud interius, ubi atrium Judæorum, ubi ara, ubi Sanctum, & Sanctum Sanctorum.

[4] Signa Romana ] Joſeph. ibid.

[5] Succendi ] Joſeph. ibid. Τὰς πύλας προσέταξεν ὑφάπτειν.

[6] Portæ obducebantur ] Joſeph. ibid. num. 2. Eas quoque auri laminis fuiſſe tectas tradit idem Joſephus, Bell. Jud. V, 5. num. 3. Sed hac de re dicetur in Notis & Emendationibus ad Hiſt. V, 8. ubi multa de immenſâ templi opulentiâ.

[7] Die nocteque ] Joſeph. Bell. Jud. VI, 4. num. 2. Ἐκείνην μὲν οὖν τὴν ἡμέραν καὶ τὴν ἐπιοῦσαν νύκτα τὸ πῦρ ἐπεκράτει. Dies illa fuit octava menſis Loi, ſeu 3 Auguſti.

[8] Exercitus sui ducibus ] Acciti duces fuere Tiberius Alexander, totius militiæ præfectus, Sextus Cerealis quintæ legionis legatus, Larcius Lepidus decimæ, Titus Frugi quintædecimæ, Aiternius Fronto duarum Alexandrinarum legionum præfectus, & Marcus Antonius Julianus procurator Judææ: tribuni quoque & alii acciti. Joſeph. loc. cit. num. 3. Id autem actum die nonâ menſis Loi, ſeu 4 Auguſti.

[9] Distrahebantur ] Hæc omnia Joſephus loc. cit.

A. U. C. 823. J. C. 70.

»ſolo ejus excidio paci ſatis conſuli ». Aliis placebat « illud »quidem ſervari, ſi, adeuntibus legionibus, arma deponerent »Judæi : ſin bellarent, exſcindi : jam enim non ſedem numi»nis, ſed belli arcem eſſe : nec penes Romanos, ſed penes »Judæos ad ejus everſionem duratos, fore piaculum ». Titus contrà adſeveravit, « etiamſi reſiſterent Judæi, ſe numquam »commiſſurum, ut in eorum pervicaciæ pœnam adversùs »templum ſæviret: tantæ magnificentiæ opus dirui non poſſe »ſine populi Romani injuriâ : grande verò, ſi ſtaret, fore im»perii & victoriæ ornamentum ». Tito adſenſere Fronto, Alexander & Cerealis; datoque legionibus, ut interquieſcerent, ſpatio, delectæ cohortes, quæ templi incendia reſtinguerent [1], viamque ſternerent, quâ facilis legionibus foret aditus.

XXXVII. Dum templo ita invigilabat clementia Romana, in ejus ruinam præcipites Judæos agit furor [2]. Magno enim impetu per Orientalem portam egreſſi [3], in Romanos, qui in templo exteriore excubias agebant, inrumpunt. Impetum fortiter ſuſtinuere Romani [4], denſis ordinibus, & conſertis ante ora clipeis, immobiles & impenetrabiles. Numero tamen impares ceſſiſſent, ni Titus, e turri Antoniâ [5] pugnam proſpectans, citus opem cum lectis equitibus tuliſſet. Judæi, adversùs Cæſaris vim invalidi, & in fugam acti, ſubitariis velitationibus fruſtra inluſere: ſemper victi, in templum profugiunt.

XXXVIII. Tum Titus, in Antoniam turrim reverſus, poſtero die totâ ſuorum vi inruere, templumque circumſidere deſtinabat. Sed acrior Dei ira Judæos urgebat. Ipſi, ſuas ad pœnas prompti, Romanos reſtinguendis exterioris tem-

[1] Incendia restinguerent ] Joſeph. ibid.

[2] Agit furor ] Hæc geſta die decimâ menſis Loi, ſeu 5 Auguſti; ut patet ex Joſepho, ibid. num 4.

[3] Per Orientalem portam ] Porta hæc ceteras magnificentiâ ſuperabat, ut videre eſt apud Joſephum, Bell. Jud. V, 5. num. 3.

[4] Sustinuere Romani ] Joſephus, Bell. Jud. VI, 4. num. 4.

[5] E turri Antonia ] Ergo non tota funditus everſa; ſed, ut videtur, pars aliqua ſervata. De ejus magnitudine dictum eſt ſuprà Hiſt. V, 11. not. 8.

pli incendiis operatos invadunt. Talem pervicaciam indignatus miles Romanus, tumultuariam Judæorum manum ita perculit, ut fugá converſos in templum uſque inſequeretur. Tum ex iis unus, injuſſus, ſed divino quodam impetu [1] actus, torre correpto, alteroque ſublevante milite, incenſas materias per feneſtram auream, unde ad cellas circa templum [2] poſitas versùs Septemtrionem erat aditus, injicit. Ut flamma erupit, auditus Judæorum, plus quàm pereuntium, clamor. Re Tito, quietem captanti, properè nuntiatâ, e tentorio ſtatim proſilit [3]: adcurrit ut incendia comprimat: comitantur duces: e caſtris omnibus concurrit exercitus. Omnia inconditis clamoribus perſonant. Tito voce manuque [4] « incen»dium reſtingui » ſignificante, nemo auribus oculiſve competere. Victoribus & victis idem impetus. Illi ardent veteres in inviſam gentem iras explere: accenſi inſuper plurimâ auri imagine [5], quâ templum ſplendeſcit; majoremque opum vim intus latere rati. Hi non jam pro vitâ, pro fortunis, ſed pro templo, pro Deo, mortem ſuperbè provocant: quantò propiùs ad extrema ventum, tanto in divinæ opis ſpem erectiores [6]. Judaicis ergo funeribus Romana miſcentur funera: templi atrium [7] exundat ſanguine: circum altare [8], in

A. U. C. 823. J. C. 70.

[1] Divino quodam impetu ] Joſeph. loc. cit. num. 5. Δαιμονίῳ ὁρμῇ τινι χρώμενος.

[2] Circa templum ] Templum illud erat in ſecundo templo incluſum, & appellabatur Sanctum: ibi Sanctum Sanctorum. De hoc templo Joſephus, Bell. Jud. V, 5. num. 4. Αὐτὸς δ' ὁ ναὸς, κατὰ μέσον κείμενος, τὸ ἅγιον ἱερόν. Inferiori parti hujus templi appoſitæ erant cellæ. Joſeph. ibid. num. 5.

[3] Statim prosilit ] Joſeph. Bell. Jud. VI, 4. num. 6.

[4] Voce manuque ] Joſeph. ibid.

[5] Auri imagine ] Vel enim ipſa exterior templi facies graviſſimis auri laminis ita erat obtecta, ut animus & oculi æquè fulgore perſtringerentur. Τὸ δ' ἔξωθεν αὐτοῦ πρόσωπον, οὐδὲν οὔτε εἰς ψυχῆς, οὔτε εἰς ὀμμάτων ἔκπληξιν ἀπέλιπε· πλαξὶ γὰρ χρυσοῦ στιβαραῖς κεκαλυμμένος πάντοθεν. Joſeph. Bell. Jud. V, 5. num. 6.

[6] Erectiores ] In hanc ſpem elati, & quaſi miraculo certi, aut glorioſâ morte oppetendâ ſuperbi, imam templi partem, ſeu Judæorum atrium, tenebat populus, templi gradus ſenatores, in ipſo templo erant Sacerdotes. Ὁ μὲν δῆμος κάτω ἐν τῷ προνάῳ, οἱ δὲ βουλευταὶ ἐν τοῖς ἀναβασμοῖς, οἱ δ' ἱερεῖς ἐν αὐτῷ τῷ μεγάρῳ τεταγμένοι. Dio, LXVI. pag. 748.

[7] Templi atrium ] In quo ſtabat populus Judæus, cùm in templum conveniebat, Deum adoraturus.

[8] Circum altare ] Inter templi atrium & templum, ſeu Sanctum, de quo jam diximus ſuprà not. 2. erat altare altum cubitos quindecim, totidem longum, latum cubitos quinquaginta. Joſeph. Bell. Jud. V, 5. num. 6.

templi gradibus [1] cædes innumeræ [2].

A. U. C. 823. J. C. 70. XXXIX. Has inter ſtrages, incendia ſpargunt Romani [3]. Nondum tamen flagrabat templum; Titus, illud videndi cupidus, pugnantium manus ægre eluctatur: has cum belli ducibus egreſſus, intrat, adit penetrale [4], cuncta luſtrat [5], famâque majora miratur: templum ſervari adhuc poſſe, irâ mutuis cædibus exhauſtâ, confiſus. At militum unus, eum ſecutus, portæ cardinibus ignes clam ſuppoſuerat [6]. Ubi fores [7] templumque corripuere flammæ, ſtupent Judæi: deinde duces, turbarumque auctores, reſumptis animis, quà in ſuperiorem urbem exitus, aufugiunt: ceteri, a conſternatione in furorem verſi, certique, pereunte templo, perire, ultro ſuas in neces ruunt: alii in Romanorum gladios, præcipites incumbere [8]: alii, ne profano ferro caderent, ſe ipſi contrucidare: plurimi ſanctioribus ( tanta genti ſuperſtitio ) templi flammis ſe devovere, hac morte magis, quàm egregio facinore, ovantes. In hoc morientium furore, una Tito cura ne in fœdos inhumanoſque cineres, ipſo invito, abeat victoria. Labor eſt cogere victos vivere, ſuiſque rebus parcere. At incaſſum. Undique gliſcunt incendia: templum exſuperant

[1] In templi gradibus ] Duodecim gradibus ad templum, ſeu Sanctum, aſcendebatur. Joſeph. ibid. num. 4.

[2] Cædes innumeræ ] Joſeph. Bell. Jud. VI, 4. num. 6.

[3] Spargunt Romani ] Et quiſque præcedentem militem hortabatur, ut ignem templo injiceret. Joſeph. ibid.

[4] Adit penetrale ] Joſeph. Bell. Jud. VI, 4. num. 7. Παρελθὼν μετὰ τῶν ἡγεμόνων ἔνδον ἐθεάσατο τοῦ ναοῦ τὸ ἅγιον, καὶ τὰ ἐν αὐτῷ, πολὺ μὲν τοῖς παρὰ τοῖς ἀλλοφύλοις φήμης ἀμείνω, τῶν δὲ κόμπων καὶ τοῖς παρὰ τοῖς οἰκείοις δόξης οὐκ ἐλάττω. Ea enim, ut famâ, quæ apud exteros percrebuerat, majora, ita domeſticâ laude & opinione non minora.

[5] Cuncta luſtrat ] Ante penetrale tria erant opera omnium ſermonibus laudibuſque celebratiſſima, candelabrum, menſa & thuribulum. De vite aureâ aliiſque templi opibus dicetur in Notis & Emendationibus ad Hiſt. V, 5 & 8.

[6] Suppoſuerat ] Joſeph. ibid.

[7] Ubi fores ] Fores illæ aureæ erant in ipſo templo ante Sanctum Sanctorum: nam prima pars templi patebat, teſte Joſepho, Bell. Jud. V, 5. num. 4.

[8] Incumbere ] Nec aliter Dio, LXVI. pag. 748. Οἱ μὲν ξίφεσι σφᾶς τοῖς τῶν Ῥωμαίων περιέπειρον, οἱ δὲ ἀλλήλους ἐφόνευον, ἄλλοι ἑαυτοὺς κατεχρῶντο, οἱ δὲ ἐς τὸ πῦρ ἐσεπήδων· καὶ ἐδόκει πᾶσι μὲν, μάλιστα δὲ ἐκείνοις οὐχ ὅτι ὄλεθρος, ἀλλὰ καὶ νίκη, καὶ σωτηρία, εὐδαιμονία τε εἶναι, ὅτι τῷ ναῷ συναπώλοντο. *Tunc enim ultro gladiis Romanorum alii ſe transfigendos offerebant, alii ſe mutuò trucidabant, alii manus ipſi ſibi afferebant, alii denique in ignem inſiliebant. Et cùm aliis omnibus, tum his inprimis non interitus eſſe videbatur, ſed victoria, ſed ſalus, ſed felicitas quædam; quòd unà cum ipſo templo perirent.*

flammæ: mons [1] totus latè collucet ignibus [2]. Horrens mærenſque Titus diſcedit. Manet ad cædes duratus, theſauris inhians, miles: duplicatiſque Romanorum clamoribus, Judæorum ululatibus, hauſtum incendio conſidit templum. Hæc clades, genti ſuprema, contigit eo ipſo die [3], quo prius templum, majoris adhuc famæ & opulentiæ, a Babyloniis quondam incenſum ferebant [4]. Inter ardentes templi ruinas poſita ſigna [5]; peractiſque ſacris, Titus *imperator* conſalutatus eſt. Tanta autem a milite auri vis rapta, ut dimidiâ pretii parte [6] vilius in Syriâ haberetur.

A. U. C. 823. J. C. 70.

XL. Nondum tamen Judaici belli fœditatibus finis. Victore in gentis reliquiarum ſalutem intento, ignava ſacerdotum turba vitam precari auſa eſt [7]. Titum puduit hos

[1] Mons ] Mons Moria, in quo ædificatum templum.

[2] Collucet ignibus ] Joſeph. Bell. Jud. VI, 5. num. 1.

[3] Eo ipso die ] Id eſt die 5 Auguſti. Joſepho autem Bell. Jud. VI, 4. num. 5. ἡμέρα δεκάτη Λώου μηνός. Peſſimè vertit interpres Latinus *dies erat decìmus quintus Loi menſis*. Lous autem menſis, idem eſt ac quintus menſis, Judæis dictus Ab, cujus dies decimus hoc anno incidebat in diem 5 Auguſti.

[4] Incensum ferebant ] Ac meritò quidem. Sic enim Jeremias, LII, 12. *In menſe autem quinto, decimâ menſis, ipſe eſt annus nonuſdecimus Nabuchodonoſor regis Babylonis: venit Nabuzardan princeps militiæ, qui ſtabat coram rege Babylonis, in Jeruſalem. Et incendit domum Domini.* Utriuſque excidii memoriam annuo jejunio recolunt Judæi die nonâ menſis Ab.

[5] Posita signa ] Joſeph. Bell. Jud. VI, 6. num. 1. Ῥωμαῖοι δὲ ... καιομένου δ' αὐτοῦ τε τοῦ ναοῦ, καὶ τῶν πέριξ ἁπάντων, κομίσαντες τὰς σημαίας εἰς τὸ ἱερὸν, καὶ θέμενοι τῆς ἀνατολικῆς πύλης ἀντικρὺς ἔθυσάν τε αὐταῖς αὐτόθι, καὶ τὸν Τίτον μετὰ μεγίστων εὐφημιῶν ἀπέφηναν αὐτοκράτορα. *Romani, cùm templum & ea, quæ circùm erant, arderent omnia, ſignis in templum illatis, poſitiſque contra portam Orientalem, & illis ibi ſacrificarunt, & Titum cum maximis acclamationibus imperatorem appellarunt.* Paulo pòſt cuſus nummus ex ære mediocri, quem laudat Harduinus, *Selecta Opera* pag. 731. ΑΥΤΟΚΡ. ΤΙΤΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. Titus capite laureato. Ex adverſâ parte ΙΟΥΔΑΙΑΣ ΕΑΛΩΚΥΙΑΣ. Id eſt *Judæâ captâ*. Victoria ſcribit in clypeo palmæ arbori applicato.

[6] Dimidia pretii parte ] Joſeph. loc. cit. Ταῖς δὲ ἁρπαγαῖς οὕτως ἐνεπλήσθησαν οἱ στρατιῶται πάντες, ὥς τε κατὰ τὴν Συρίαν πρὸς ἥμισυ τῆς πάλαι τιμῆς τὸν σταθμὸν τοῦ χρυσίου πιπράσκεσθαι. Porro apud Antiquos auri ad argentum proportio fuit ut 12 ad 1; nunc, cùm auri pretium dimidiâ parte eſſet imminutum, eadem proportio fuit ut 6 ad 1. Ob eam auri abundantiam in urbe Hieroſolymis, duodecim Atticis, etiam dum vigebat obſidium, vendebatur, quod antea quinque & viginti valebat. Πολὺ πλῆθος ἦν ἐν τῇ πόλει χρυσοῦ· δώδεκα γοῦν Ἀττικῶν ὠνοῦντο τὰ πρότερον ἰσχύοντα πέντε καὶ εἴκοσιν. Joſeph. Bell. Jud. V, 13. num. 4.

[7] Precari ausa est ] Quintâ die poſt templi excidium, πέμπτῃ δ' ἡμέρᾳ, id eſt 10 Auguſti, ſacerdotes, qui templi murum conſcenderant, effugium quæritantes, fame confecti deſcendêre, & ad Titum perducti vitam orabant. Reſpondit Cæſar decere ſacerdotes cum templo interire; eoſque ad ſupplicium duci juſſit. Πρέπειν δὲ τοῖς ἱερεῦσι τῷ ναῷ συναπολέσθαι· κελεύει κολάσαι τοὺς ἄνδρας. Joſeph. Bell. Jud. VI, 6. num. 1.

A. U. C. 823. J. C. 70. templo ſuperſtites vivere, turpique morte damnati ſunt. Vitæ uſura, ceteris omnibus oblata, & a ducibus Joanne ac Simone ſpreta [1], victoris iras provocavit, ac tandem urbi excidium adtulit. Succenſa primùm [2] capta jam monumenta: domus quoque, fame enectorum cadaveribus ſqualidæ, ignibus traditæ. Meritas pervicaciâ pœnas effugêre Izatis regis [3] filii [4] fratreſque, ac turba nobilium, qui ſimul Titi miſericordiam oraverant. Tum ſtructi aggeres [5] adversùs ſuperiorem urbem, nomine Sion [6], locis editioribus, & munitiſſimis turribus, defenſam. Sed quaſi fatale eſſet Hieroſolyma inteſtinis potiùs diſcordiis, quàm hoſtium viribus, perire, ne ultimo quidem diſcrimine inita concordia, Idumæis [7] & Judæis inter ſe diſſidentibus. Titus, inſitâ clementiâ, & notâ ducum arte, diſcordiam auget, Idumæis in deditionis ſpem receptis.

XLI. Cum ita ferverent Judæorum odia, redintegratum obſidium [8]. Amentes obſeſſorum duces, unicum, ſed inexpu-

[1] Spreta ] Joſeph. ibid. num. 2. & 3.

[2] Succensa primum ] Die 11 Auguſti, Joſepho ibid. num. 3. τῇ ὑστεραίᾳ, ſuccenderunt Romani Archivum, Acram, Curiam, Ophlam; & ignis progreſſus eſt uſque ad Helenæ regiam, quæ erat in mediâ Acrâ. De colle Acrâ, ubi erat urbs inferior, dictum eſt ſuprà Hiſt. V, 11. not. 3. Poſtridie, τῇ δ' ἑξῆς, ſeu die 12 Auguſti, reliqua urbis inferioris incenſa ſunt uſque ad Siloam, nunc *la fontaine de Siloé*, ad Orientem urbis. Joſeph. Bell. Jud. VI, 7. num. 2.

[3] Izatis regis ] De Izate, Adiabenorum rege, actum eſt ſuprà Annal. XII, 13. not. 4. & 5. Izates ejuſque mater Helena Judaicam religionem erant amplexi. Inde filii fratreſque Izatis in urbem Hieroſolyma conceſſerant. Vide Joſephum Antiq. Jud. XX, 2. & ſeqq.

[4] Filii ] Izates moriens, teſte Joſepho Antiq. Jud. XX, 4. num. 3. reliquerat filios quatuor & viginti, filiaſque totidem. Titus Izatis filios & proquinquos primùm in cuſtodiâ habuit, poſtea vinctos Romam perduxit, ut obſidum fidem præſtarent. Joſeph. Bell. Jud. VI, 6. num. 4.

[5] Structi aggeres ] Die viceſimo menſis Loi, Λώου μηνὸς εἰκάδι, ſeu 15 Auguſti, aggeres illos ſtrui juſſit Titus. Ita verò diviſa ſunt opera, ut in parte Occidentali urbis ex adverſo aulæ regiæ quatuor legiones, auxiliares verò & cetera multitudo versùs Xyſtum, pontem, turrimque Simonis, operarentur: rariſſimâ ſemper materiâ, quæ ob tot aggeres antè ſtructos a centeſimo ſtadio erat aſportanda. Joſeph. Bell. Jud. VI, 8. num. 1.

[6] Nomine Sion ] A colle Sion ita dictam, & a Davide inferiori urbi olim additam. Nunc pars ejus maxima eſt extra recentem urbem *Jeruſalem*, & in campis ſquallet.

[7] Idumæis ] Idumæi, a Zelotis acciti, & in urbem Hieroſolyma recepti, pars magna fuere belli Judaici. At cùm deditionem pararent, & Titus annueret, id reſcivit Simon: unde exorta eſt maxima inter Idumæos & Judæos diſcordia. Joſeph. Bell. Jud. IV, 4. & ſeqq. VI, 8. num. 2.

[8] Redintegratum obsidium ] Agge-

gnabile, præſidium [1], turres indefenſas deſerunt; parſque urbis validiſſima, ne fuſo quidem Romano ſanguine [2], capta [3]. Tantum urbis dedecus veteraque ſcelera univerſo occidio [4] expiata: domus, mutuis civium furoribus antea fœdatæ, novis cruentantur cædibus: dein ſparſa incendia; & abominanda tecta abolevere flammæ, noctis obſcuro prævalidæ [5]. Sic ardentibus Hieroſolymis, inluxit dies ultimus, quarto Nonas Septembris [6]. Hæc fata fuere urbis, quæ cùm per annos bis mille centum ſeptuaginta ſeptem [7] ſummâ per Orientem claritate [8] ſtetiſſet, nunc buſtum eſt [9].

A. U. C. 823. J. C. 70.

ribus intra octodecim dies confectis, ſeptimo die menſis Gorpiæi, ἑβδόμῃ Γορπιαίου μηνός, ſeu 1 Septembris, admotæ machinæ, & redintegratum obſidium. Joſeph. Bell. Jud. VI, 8. num. 4.

[1] SED INEXPUGNABILE, PRÆSIDIUM ] In his enim turribus nullâ vi, ſolâ fame expugnari poterant, teſte Joſepho, loc. cit.

[2] ROMANO SANGUINE ] Joſeph. Ibid. num. 5.

[3] CAPTA ] Romani, muris potiti, ſigna in turribus poſuere; victoriam finemque belli cum plauſu & lætitiâ celebravere. Joſeph. Ibid.

[4] UNIVERSO OCCIDIO ] Tantus autem fuit cæſorum numerus, tanta fuſi ſanguinis copia, ut, teſte Joſepho ibid. anguſtiæ vicorum cadaveribus obſtruerentur, cædibus redundaret tota civitas, & pleraque incenſorum exſtinguerentur cæſorum ſanguine. Τὸν ἐντυχόντα διελαύνοντες, ἀπέφραξαν μὲν τοὺς στενωποὺς νεκροῖς, αἵματι δ' ὅλην τὴν πόλιν κατέκλυσαν, ὡς πολλὰ τῶν φλεγομένων σβεσθῆναι τῷ φόνῳ.

[5] PRÆVALIDÆ ] Ab occidione Romani deſtitere ad veſperam, ſed tum nocte ignis prævaluit. Οἱ μὲν κτείνοντες ἐπαύσαντο πρὸς ἑσπέραν, ἐν δὲ τῇ νυκτὶ τὸ πῦρ ἐπεκράτει. Joſeph. ibid.

[6] QUARTO NONAS SEPTEMBRIS ] Joſeph. ibid. Φλεγομένοις δὲ ἐπανέτειλεν Ἱεροσολύμοις ἡμέρα Γορπιαίου μηνὸς ὀγδόη. Octavus dies menſis Gorpiæi, fuit 2 Septembris, ſeu, ut numerant Romani, quarto Nonas Septembris. Dies ille 2 Septembris incidit in diem Dominicum, *le Dimanche*; Dominicalis enim litera hoc anno fuit G. Pridie autem, ſeu die ſabbati, arietibus quati cœpit urbis Sion murus, parſque rupta, & nemine defendente occupata. Inde Dio LXVI, pag. 748. Οὕτω μὲν τὰ Ἱεροσόλυμα ἐν αὐτῇ τῇ τοῦ Κρόνου ἡμέρᾳ, ἣν μάλιστα ἔτι καὶ νῦν Ἰουδαῖοι σέβουσιν, ἐξώλετο. *Sic Hieroſolyma ipſo die Saturni, quem diem præcipuè Judæi nunc etiam adhuc colunt, exciſa fuere.* Et Frontinus, *Strategem.* II, 1. num. 17. *D. Auguſtus Veſpaſianus* (crediderim olim fuiſſe ſcriptum, *D. Auguſtus T. Veſpaſianus*) *Judæos Saturni die, quo eis nefas eſt quidquam rei ſeriæ agere, adortus ſuperavit.* Judæis quidem licuit laceſſentes ferienteſque hoſtes repellere, ut conſtat ex I. Machab. II, 40. & Joſepho Antiq. Jud. XIV, 4. num. 2. at iis tunc nihil conſilii, furor tantùm & pavor, imminenſque Dei ira, quam Joſephus, Bell. Jud. VI, 8. num. 2. meritò dixit potentiam Dei in ſceleratos, τήν τε τοῦ Θεοῦ δύναμιν ἐπὶ τοῖς ἀνοσίοις.

[7] SEPTUAGINTA SEPTEM ] Joſeph. Bell. Jud. VI, 10. Ἀπὸ δὲ τῆς πρώτης κτίσεως ἔτη μέχρι τῆς ἐσχάτης ἁλώσεως δισχίλια ἑκατὸν ἑβδομήκοντα καὶ ἑπτά.

[8] CLARITATE ] Vide ſuprà Hiſt. V, 8. pag. 306. not. 1. ubi a Plinio dicitur *longè clariſſima urbium Orientis.*

[9] BUSTUM EST ] Inde Plinius V, 17. *Engadda oppidum fuit, ſecundum ab Hieroſolymis, fertilitate, palmetorumque nemoribus: nunc alterum buſtum.* Sic adimpletum eſt, quod tantò antè prædixerat Daniel IX, 26. *Occidetur Chriſtus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt. Et civitatem & ſanctuarium diſſipa-*

A. U. C. 823. J. C. 70.

XLII. Titus, urbis ruinas ingreſſus, & inexpugnabilem turrium vim admirans, « ſe quidem exercitûs ducem, Deum » autem victoriæ auctorem fuiſſe » profeſſus eſt [1]. Milites, cædis feſſos, juſſit « occidione abſtinere, ni fortè qui adhuc » reſiſterent: duces, in cuniculis latitantes, quæri [2]: juvenes, » formâ & proceritate præſtantes, reſervari triumpho [3]: natu » majores in Ægyptum ad metalla mitti ». Lecti quoque plurimi, qui per theatra ferro beſtiiſque perirent [4]: minores annis ſeptemdecim ſub coronâ venumdati [5]. Vulgatum apud Judæos in hoc obſidio capta fuiſſe nonaginta ſeptem millia hominum; undecies centena millia [6] occubuiſſe. Nihil autem urbis manſit, præter tres turres [7] in victoriæ monumentum relictas: ſimul ſervata pars muri Occidentalis [8], cui impoſitum præſidium; præfectuſque Terentius Rufus. Cetera

*bit populus cum duce venturo: & ſinis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio.* Judæi autem, perpetui oraculorum teſtes, ab hoc templi excidio annos computant, vocantque *Æram deſolationis*. Hæc autem omnia eorumque tempora apertè dilucidéque ſignificaverat Jeſus Chriſtus. Luc. XXI, 20 & ſeqq. *Cùm autem videritis circumdari ab exercitu Jeruſalem, tunc ſcitote quia appropinquavit deſolatio ejus... Et cadent in ore gladii: & captivi ducentur in omnes gentes, & Jeruſalem calcabitur a Gentibus.... Non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.* Nec certè præterierat hæc generatio, cùm is annus ſit a morte Jeſu Chriſti quadrageſimus ſecundus, vel, ut aliis placet, trigeſimus octavus.

[1] Professus est] Eodem ſenſu Joſephus, Bell. Jud. VI, 9. num. 1. Σὺν Θεῷ γ' ἐπολεμήσαμεν, ἔφη, καὶ Θεὸς ἦν ὁ τῶνδε τῶν ἐρυμάτων Ἰουδαίους καθελὼν, ἐπεὶ χεῖρές τε ἀνθρώπων ἢ μηχαναὶ τί πρὸς τούτους τοὺς πύργους δύνανται; *Deo, inquit, favente bellavimus. Deus eſt qui Judæos ex iſtis munimentis detraxit: nam humanæ manus & machinæ quid contra tales turres valeant?*

[2] Quæri] Fame victi inde exiere, captique Simon & Joannes.

[3] Reservari triumpho] Joſephus, ibid. num. 2. Reſervatos autem ſeptingentos, ἑπτακοσίους ἄνδρας, prodit idem Joſephus, Bell. Jud. VII, 5. num. 3.

[4] Ferro bestiisque perirent] Ut intelligatur quot ſic perierint, ſatis ſit monuiſſe in ludis, quos Titus die 24 Octobris Cæſareæ edidit ob diem natalem fratris ſui Domitiani, periiſſe ſuprà duo millia & quingentos: plures adhuc cecidiſſe in ludis, quos Beryti die 17 Novembris ob natalem patris ſui Veſpaſiani celebravit. Joſeph. Bell. Jud. VII, 3. num. 1. Cæſareæ Philippi, & alibi, plures adhuc cæſi.

[5] Sub corona venumdati] De hoc uſu dictum eſt ſuprà Annal. XIII, 39.

[6] Undecim centena millia] Joſeph. Bell. Jud. VI, 9. num. 3. Sed de captivorum mortuorumque numero dicetur in Notis & Emendationibus ad Hiſt. V, 13.

[7] Tres turres] Tres illæ turres nominabantur Phaſaelus, Hippicus & Mariamne. Joſeph. Bell. Jud. VII, 1. num. 1. De earum præſtantiâ ſtructurâque mirabili plura habet idem Joſephus, Bell. Jud. V, 4. num. 3.

[8] Pars muri Occidentalis] Qui urbem Occidentem verſùs cingebat. Joſeph. Bell. Jud. VII, 1. num. 1.

omnia

omnia verſa [1], aratroque fœdata [2].

XLIII. Tum Titus, laudatâ, pro concione, militum virtute, ſtrenuiſſimum quemque laudibus præmiiſque attollit [3]. Mox victrices legiones ita diſtribuit, ut decima in Judæâ maneret, duodecima peteret Melitenen [4], quinta & quintadecima ſibi præſto eſſent, donec in Ægyptum veniret. Deinde Cæſaream [5] diſceſſit, Orientem luſtraturus. Miſſus poſtea Lucilius Baſſus [6], qui, quæ in Judæâ ſupererant, expugnaret. Captâ Machærunte [7], alterâ Judææ arce, tota regio venumdata [8]. Judæi autem juſſi « ſingulis annis Jovi Capitolino bi-

A. U. C. 823. J. C. 70.

[1] Cetera omnia versa ] Cetera omnia urbis ita verſa ſunt, ut ne umquam quidem habitatam fuiſſe vix fidem ampliùs faceret eò accedentibus. *Τὸν δ' ἄλλον ἅπαντα τῆς πόλεως περίβολον οὕτως ἐξωμάλισαν οἱ κατασκάπτοντες, ὡς μηδὲ πώποτ' οἰκηθῆναι πίστιν ἂν ἔτι παρασχεῖν τοῖς προσελθοῦσι.* Joſeph. Bell Jud. VII, 1. num. 1. Templum quoque adeò everſum, ut paucis poſt captam urbem diebus, cùm Simon, fame victus, e cuniculis exiſſet, emerſerit in locum ubi templum antè fuerat. *Κατ' αὐτὸν ἐκεῖνον τὸν τόπον ἐν ᾧ τὸ ἱερὸν ἦν πρόσθεν ἐκ γῆς ἀνεφάνη.* Joſeph. Bell. Jud. VII, 2. Sic adimpletum quod de templo prædixerat Jeſus Chriſtus : *Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.* Matth. XXIV, 2.

[2] Aratroque fœdata ] Ex uſu Romano. Inde ſanè R. Moſes Maiemonides, Kalaka תעניות cap. 5. num. 3. quintam jejunii quinti menſis, ſeu menſis Ab, cauſam affert, quòd *impius Turnus Rufus ex regibus Idumæis aravit templi ſolum & per circuitum ejus.* Ex more Rabbinorum, qui vulgò nomina omnia depravant, Turnum Rufum pro Terentio Rufo, de quo Joſeph. Bell. Jud. VII, 2. dixit Maiemonides. Regum quoque Idumæorum nomine Imperatores Romanos deſignavit.

[3] Præmiisque attollit ] Hanc Romanorum conſuetudinem laudat plurimùm Joſephus Bell. Jud. VII, 1. num. 3. Ait Titum eos donaſſe coronis aureis, torquibus aureis, haſtis longis aureis, ſigniſque argento factis, & uniuſcujuſque ordinem in melius mutaſſe : iis etiam ex manubiis aurum, argentum, veſtes, reliquamque prædam largiter diſtribuiſſe : tum fauſta omnia exercitui precatum, pro victoriâ ſacrificaſſe : magnam boum multitudinem ad aras mactatam, quam deinde exercitui ad epulas diviſit : eum demum cum exercitu in conviviis per triduum eſſe verſatum.

[4] Melitenen ] Joſeph. Bell. Jud. VII, 1. num. 3. Ad Euphraten in confinio Armeniæ & Cappadociæ ſita eſt Melitene, hodie *Malatia*.

[5] Cæsaream ] Primùm Cæſaream maritimam, ſeu Cæſaream Paleſtinæ, nunc *Céſarée*, deinde Cæſaream Philippi, dictam antè Paneam, nunc *Banias*, adiit. Joſeph. Bell. Jud. VII, 2.

[6] Lucilius Bassus ] Joſeph. Bell. Jud. VII, 6. num. 1. Is primò Herodium, Plinio V, 14, *oppidum illuſtre*, haud procul ab urbe Jeruſalem, deinde Machæruntem cepit.

[7] Machærunte ] Machærus, caſtrum oppidumque in tribu Ruben ab Herode in rupe munitum : ibi cæſus Joannes Baptiſta. Plinius V, 16. *Machærus*, nunc *Maſera*, *ſecunda quondam arx Judææ, ab Hieroſolymis.*

[8] Venumdata ] Joſeph. Bell. Jud. VII, 6. num. 6. Cæſar ad Lucilium Baſſum, & Liberium Maximum, Judææ procuratorem, ſcripſit ; & juſſi ſunt omnem Judæorum terram vendere. Nullam in eâ urbem condidit, proprium ſibi agrum reſervans : octingentis tantum veteranis Emmauntem, hodie quoque *Emmaus*, incolendam dedit.

A. U. C. 823. J. C. 70.

» nos denarios [1] ſolvere ». Cæſaream autem, Romanis fidam, ducta colonia [2]; primóque remiſſum capitis tributum: dein ſolum etiam immune factum [3]. Emmaus in perennem victoriæ memoriam Nicopolis appellata [4].

XLIV. Interea Veſpaſianus Alexandriam liquerat, non eâdem, quâ venerat, famâ. Querebantur Alexandrini [5] « ignotam Principi liberalitatem [6]: priſca renovari vectigalia: nova addi [7]: haſtæ ſubjici regia monumenta: ſacra ipſa in fiſci partes trahi ». Hæc occultis primùm, dein publicis, conviciis famoſiſque carminibus arguebat verboſa dicteriiſque ſueta gens [8]: auſa etiam Veſpaſianum *Cybioſacten* cognominare [9]. Is, contumeliæ inſolens, & facili in iras Principum

[1] Binos denarios ] Joſeph. Ibid. Φόρον δὲ τοῖς ὅπου δήποτ' οὖσιν Ἰουδαίοις ἐπέβαλε, δύο δραχμὰς ἕκαστον κελεύσας ἀνὰ πᾶν ἔτος εἰς τὸ Καπιτώλιον φέρειν, ὥσπερ πρότερον εἰς τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις νεὼν συνετέλουν. *Tributum Judæis ubicumque degentibus indixit, & quotannis binas quemque drachmas in Capitolium inferre juſſit, quemadmodum in templum Hieroſolymitanum priùs conferebant.* Idem habet Dio, LXVI. pag. 748. Judæi autem templo Hieroſolymitano dimidium ſicli, *Gallicæ monetæ libram* 1 *cum aſſibus* 9, ſolvebant. Duæ verò drachmæ, aut duo denarii valent *Gallicæ monetæ libram* 1 *cum aſſibus ferme* 12.

[2] Ducta colonia ] Hæc eſt Cæſarea Palæſtinæ de quâ modò dictum. Plinius V, 13. *Stratonis turris, eadem Cæſarea, ab Herode rege condita; nunc colonia prima Flavia, a Veſpaſiano Imperatore deducta.* In nummis frequens COLONIA PRIMA. FLAVIA. AVGVSTA. CAESARIENSIS.

[3] Immune factum ] Paulus in Digeſt. L. Tit. 15. *de Cenſibus.* Leg. 8. *Divus Veſpaſianus Cæſarienſes colonos fecit, non addito ut & juris Italici eſſent: ſed tributum his remiſit capitis: divus Titus etiam ſolum immune factum interpretatus eſt.*

[4] Nicopolis appellata ] Inde quibuſdam quoque dicta *Nicopol.*

[5] Querebantur Alexandrini ] Has omnes querelarum cauſas habet Dio, LXVI, pag. 748 & 749.

[6] Liberalitatem ] Cùm primi omnium Veſpaſianum Imperatorem feciſſent, ſe inſigni liberalitate dignos putabant. Nihil verò iis largitus eſt Veſpaſianus. Dio, loc. cit.

[7] Nova addi ] Ut in Ægypto, ſic poſtea in toto imperio, atque etiam in ipſâ urbe, Veſpaſianus nova vectigalia addidit, ita ut ne mendici quidem a tributo immunes viverent. Dio, ibid. Quod tamen factum avaritiâ ne credideris, ſed publicæ magnificentiæ ſtudio, & ob immenſa imperii onera, Neronis libidinibus, bellorum civilium rapinis penitus exhauſti.

[8] Sueta gens ] Verè graviterque de Alexandrinis Herodianus, IV. pag. 98. Πεπρύκασι δέ πως εἶναι φιλοσκώμμονες, καὶ λέγειν εὐστόχως ὑπογραφὰς ἢ παιδιάς· ἀπορριπτοῦντες εἰς τοὺς ὑπερέχοντας πολλὰ χαρίεντα μὲν αὐτοῖς δοκοῦντα, λυπηρὰ δὲ τοῖς σκωφθεῖσι· τῶν γὰρ τοιούτων κνίζει μάλιστα ὅσα ἐλέγχει τῶν ἁμαρτημάτων τὴν ἀλήθειαν. *Sunt enim homines ſuâpte naturâ dicaces, atque ad deſcribendum illudendumque maximè facti, jactantes in optimum quemque & potentiſſimum dicteria quædam, ut quidem ipſi putant, feſtiva; ut autem videntur iis in quos dicuntur, longè graviſſima: quippe hujuſmodi jocorum vel maximè illa permovent, quibus delicti veritas arguitur.*

[9] Cybiosacten cognominare ] Sueton. in Veſpaſ. XIX. Nomine ducto ab uno e ſuis regibus, ſordido homine, qui filiam Ptolemæi Auletæ uxorem duxerat; ut videre eſt apud Strabonem XVII, pag. 796.

naturâ, convicium [1] in tributum vertit; graviores pœnas repetiturus, ni motos patris animos Titus ſedaſſet [2].

A. U. C. 823. J. C. 70.

XLV. DATA licèt veniâ, Alexandriæ infenſus, Romam profectus eſt [3]. Reipublicæ egregium donum, renaſcentis libertatis augurium, antè erat elargitus: Majeſtatis enim damnatos [4] Neronis ſævitiâ ſequentiumve Principum calamitate, quotquot ſuperſtites, abſolverat; & extentâ ultra fata æquitate, famam mortuis reſtituerat [5]. Tanto decore ſupra victorias præfulgens, Brundiſium venit [6], ubi a Muciano Urbiſque primoribus publicos inter plauſus exceptus eſt [7]. At Beneventum [8] progreſſus, Domitianum reperit, ſolutioris libidinis, dum pater aberat, tum vitia ſimplicitatis ſtultitiæve [9] imitamine excuſantem. Remedio pariter ac malo anxius Veſpaſianus, domeſticum dolorem, ut decebat, intus condidit, ne privata publicis anteferre videretur. Lætus ergo, populis in novi ac diu deſiderati Principis conſpectum venerationemque undique occurrentibus, Romam perrexit [10]. Ubi eò ventum, a pietate orſus, cœpta Capitolii ædificia inviſit; &, ut operas incenderet, ipſe, elatis collo ſuo ruderibus [11], in

[1] CONVICIUM IN TRIBUTUM] Viritim ſex obolos, τοὺς ἓξ ὀβολοὺς κατ' ἄνδρα, exigi juſſit. Dio, LXVI, pag. 749. Sex oboli efficiunt *Gallicæ monetæ aſſes ferme ſedecim.*

[2] SEDASSET] Dio, ibid.

[3] PROFECTUS EST] Extremo Maio, aut ineunte Junio, profectus eſt, cùm cœpiſſent æſtivi flatus, de quibus dictum eſt ſuprà Hiſt. IV, 81. Onerariâ nave aſcensâ, Alexandriâ Rhodum, nunc *Rhodes*, trajecit: inde vectus triremibus, Ioniam, mox Græciam, ibique omnes urbes, quas ſubter navigavit, inviſit: poſtea ſolvens Corcyrâ, nunc *l'iſle de Corfou*, appulit promontorium Japygium, hodie *le cap de Leuca*, unde terrâ iter egit. Joſeph. Bell. Jud. VII, 2. num. 1. Hujus itineris ratio paulo fuſiùs fuit explicanda, ut pateret Veſpaſianum Româ abfuiſſe, cùm ſpatium Capitolii die 21 Junii dicaretur.

[4] DAMNATOS] Dio, LXVI, pag. 749.

[5] RESTITUERAT] Dio, ibid.

[6] BRUNDISIUM VENIT] Proximo Japygio promontorio Brundiſium, nunc *Brindiſi*, venit. De Brundiſio jam dictum ſuprà Annal. III, 1.

[7] EXCEPTUS EST] Dio, ibid.

[8] BENEVENTUM] Nunc *Benevent.*

[9] STULTITIÆVE] Dio loc. cit. Καὶ μωρίαν.

[10] ROMAM PERREXIT] Quantâ ordinum omnium lætitiâ fuerit exceptus fusè deſcribit Joſephus, Bell. Jud. VII, 4. num. 1.

[11] RUDERIBUS] Sueton. in Veſpaſ. VIII. *Ipſe reſtitutionem Capitolii aggreſſus, ruderibus purgandis manus primus admovit, ac ſuo collo quædam extulit.* Fuſiùs Dio LXVI, pag. 749. Operas verò Veſpaſianus exemplo ſuo ita incendit, ut ſequenti anno triumphans cum Tito filio Capitolium adire potuerit, & brevi ſuo principatu illud abſolutum viderit, teſte Plutarcho in Poplicolâ, pag. 104.

partem laboris ſe immiſit, omnibus, ut quiſque dignitate & fortunâ præcipuus, Principis exemplum certatim æmulantibus.

A. U. C. 823. J. C. 70.

XLVI. Eadem in Ægypto adversùs Titum ſtudia. Luſtrato Oriente Zeugma uſque [1], acceptâque a Vologeſo [2] coronâ aureâ, Hieroſolyma reviſerat; dein, urbis ruinas miseratus [3], Memphim venit [4]. Gens, religionibus dedita, per has gratificari Principibus ſolet. Igitur ut Veſpaſianum miraculis auxerat [5] Alexandria, ſic Memphis Titum Apidis conſecratione (quod ſummum eſt apud eos ſacrum) evectum voluit. Itaque, priſco de more, Apis, cùm præſcripta legibus ſpatia vitæ impleviſſet, ſacro fonte demerſus eſt [6]. Alter, cui divina inerant macularum inſignia [7], publico cum luctu

[1] Zeugma usque ] Joſeph. Bell. Jud. VII, 5. num. 4. *Zeugma ... tranſitu Euphratis nobile.* Plin. V, 24. Ibi caſtrum fuit Romanorum, quod adhuc dicitur *Roum-Cala.*

[2] A Vologeso ] Vologeſus, Parthorum rex, ad Titum miſit legatos, qui coronam auream ei ferrent, & Judaicam victoriam gratularentur. Hos cùm excepiſſet Titus, Antiochiam, inde Hieroſolyma, ac tandem Alexandriam regreſſus eſt. Joſeph. Bell. Jud. VII, 5. num. 2. Antea, auctore Philoſtrato, *Vit. Apollonii*, VI, 29. coronis aureis, quas finitimæ Judæis gentes poſt Hieroſolymorum excidium obtulerant, indignum ſe pronuntiaverat Titus, dictitans: *ſe talia non patraſſe, ſed Deo iram exerenti manus ſuas commodaſſe.* Τὰ ὅμορά τε ἔθνη ἐστεφάνουν αὐτὸν, ὁ δὲ οὐκ ἠξίου ἑαυτὸν τούτου· μὴ γὰρ αὐτὸς ταῦτα εἰργάσθαι, Θεῷ δὲ ὀργὴν φήναντι ἐπιδεδωκέναι τὰς ἑαυτοῦ χεῖρας.

[3] Ruinas miseratus ] Multaque imprecatus Judaicæ defectionis auctoribus, qui in pulcherrimam urbem tantum vaſtitatis induxerant: iterum profeſſus ſe minime velle ex punitorum calamitate virtutem ſuam clareſcere. Joſeph. loc. cit.

[4] Memphim venit ] De hac urbe jam dictum ſuprà Hiſt. IV, 84. not. 7.

[5] Miraculis auxerat ] Hæc miracula memorata ſunt ſuprà Hiſt. IV, 81.

[6] Demersus est ] Hujus ſuperſtitionis ſacra accuratè proſecutus eſt Ammianus Marcellinus, XXII, 13. *Eſt enim Apis, bos diverſis genitalium notarum figuris expreſſus, maximéque omnium corniculantis lunæ ſpecie latere dextro inſignis: qui cùm poſt vivendi ſpatium præſtitutum ſacro fonte immerſus e vita abierit (nec enim ultrà eum trahere licet ætatem, quàm ſecreta librorum præſcribit auctoritas myſticorum: nec niſi ſemel in anno bos femina inventa cum notis certis offertur) alter cum publico quæritur luctu: & ſi omnibus ſignis conſummatus reperiri potuerit, defertur Memphim, urbem præſtantem, præſentiâque numinis Æſculapii claram. Cùmque initiante antiſtitum numero centum, inductus in thalamum eſſe cœperit ſacer, conjecturis apertis ſigna rerum futurarum dicitur demonſtrare, & adeuntes quoſdam indiciis averti videtur obliquis, ut offerentem cibum aliquando Germanicum Cæſarem, ſicut lectum eſt, averſatus, portenderat paulo pòſt eventura.* Eâdem de re plura vide apud Herodotum, III, 28. Diodorum Siculum, I, 85. Ælianum XI, 10. Quædam jam dicta ſunt ſuprà Hiſt. V, 4.

[7] Macularum insignia ] Pomponius Mela I, 9. *Apis populorum omnium* (Ægypti) *numen eſt; bos niger, certis maculis inſignis, & cauda linguaque diſſimilis aliorum. Raró naſcitur, nec coitu pecoris (ut aiunt) ſed divinitus & cœleſti igne conceptus.* Plin. VIII, 46. *Bos in Ægypto*

quæſitus repertuſque, & Memphim ingenti pompâ deductus. Ibi cærimoniis ritè paratis, totâque gente ad ſpectaculum excitâ, conſecrationem orſa eſt longa ſacerdotum turba: Titus adſtitit, evinctus caput diademate [1], utì regibus olim fuerat ſolitum. Sacer Apis ſuas in ædes [2] ductus, unde auguria populorum, & privatis reſponſa. Hæc viſa Ægyptiis miræ religionis, ſed e quibus orta in Urbe invidiæ materia: quod ſuo loco dicetur anno ſequente.

A. U. C. 823. J. C. 70.

XLVII. Cœpit hic annus fauſtis nominibus Veſpaſiani Auguſti III & Cocceii Nervæ, conſulum [3], quos imperii Romani fortuna conjunxiſſe videtur, ut ille imperare doceret, hic diſceret [4]. Hiſpaniæ, unde primi annorum motus eruperant [5], jus Latii [6] tributum, ne quid maneret veteris

A. U. C. 824. J. C. 71.

*etiam numinis vice colitur, Apim vocant. Inſigne ei, in dextro latere candicans macula, cornibus Lunæ creſcere incipientis. Nodus ſub linguâ quem cantharum appellant. Non eſt fas eum certos vitæ excedere annos, merſumque in ſacerdotum fonte enecant, quæſituri luctu alium, quem ſubſtituant: & donec invenerint, mærent, deraſis etiam capitibus: nec tamen unquam diu quæritur. Inventus deducitur Memphim a ſacerdotibus.* Nave, ubi cella erat aurata, tranſportabatur, teſte Diodoro Siculo I, 85.

1 Caput diademate ] Sueton. in Tit. V.

2 Suas in ædes ] De his ædibus plura habet Ælianus XI, 10. Earum ædium delubra memorat Plinius VIII, 46. *Delubra ei gemina, quæ vocant thalamos, auguria populorum. Alterum intraſſe lætum eſt, in altero dira portendit. Reſponſa privis dat, e manu conſulentium cibum capiendo. Germanici Cæſaris manum averſatus eſt, haud multò poſtea exſtincti.*

3 Consulum ] Flavius Veſpaſianus Auguſtus tertiùm & M. Cocceius Nerva conſules fuere anno Urbis conditæ dcccxxiv, J. C. 71. Inſignem eorum memoriam habet tabula marmorea, eruta e puteo in æde novâ D. Petri, *S. Pierre du Vatican*, anno 1596, quam exhibet Gruterus, pag. ccc. Eam ex Mſſ. Schedis Sirmondi, quæ paulo accuratiores mihi videntur, afferam.

DEC. XXVIII.
ADIECTVS AD NVMERVM EX S. C.
T. CAESAR. AVG. F. IMPERATOR.
IMP. CAESARE. VESPASIANO. AVG. III.
M. COCCEIO NERVA COS.
P. R. C. AN. DCCCXXIIII.

Id eſt, *poſt Romam conditam anno* 824. Ut alia ſileam, ſic in eâdem Inſcriptione ubi Gruterus habet:

Q. PI. . . . . IIVM. MELIO . . M.
. . OPTATVM
. . . . . . . . C. DCCCCLXXXVI.

Sirmondus habet:

Q. PETRONIVM. MELIOREM
. . . OPTATVM
P. R. C. ANN. DCCCCLXXXIII.

4 Hic disceret ] Nerva poſt Flaviam domum imperavit: Princeps, & ſuo principatu, & ob adoptatum Trajanum, de republicâ optimè meritus.

5 Eruperant ] Cùm Galba factus eſt Princeps. Vide Supplementum Annal. XVI, 67 & ſeqq.

6 Jus Latii ] Plin. III, 3. *Univerſæ Hiſpaniæ Veſpaſianus Imperator Auguſtus, jactatus procellis reipublicæ, Latii jus tribuit.* De jure Latii diximus ſuprà in Notis & Emendationibus ad Annal. XI, 23. Antea immunitatem vel capitis, vel ſoli, fortè utriuſque, conſecuti

A. U. C. 824. J. C. 71. diſcordiæ. Poſt Veſpaſianus, externorum civiliumque bellorum victor, ad Urbana negotia totum ſe convertit: rem quidem publicam luxu perditam circumſpexit, nullâ patriæ caritate, ſolâ lucri privatique commodi cupidine flagrantem. At gnarus a Principibus ad populos vitia deſcendiſſe; invidioſum vanumque fore, ſi, vigentibus Principum vitiis, publicam cenſuram tentaret, ab ipſo Principe emendandi initium fecit. Circumciſis igitur principatûs libidinibus, quæ uſu in dignitatis naturam ornamentave ceſſerant, id maximè ex auctoritate uſurpavit, quo ipſe foret legum præſidium & exemplum [1].

XLVIII. Itaque, ut popularis fieret, rarus in palatio, frequens in hortis Salluſtianis [2]: nec fores a ſatellitibus obſeſſæ, ſed facilis cuivis aditus [3]. Amoti etiam armorum ſcrutatores [4], quorum uſus ſub prioribus Principibus, & inter civilium diſcordiarum motus invaluerat. Conſcientiâ tutus, ceteris ſecuritatem addidit, ſublatis majeſtatis criminibus [5]. In hac publicâ tranquillitate, principatûs munia obire occœpit: maturiùs ſemper, ac de nocte vigil, epiſtolas officiorumque omnium breviaria perlegere [6]: mox amicos admittere [7], & inter ſalutantium obſequia calceare ipſe ſe ſe & amicire [8]: pòſt in ſenatu de republicâ conſultare, vel in foro [9] jus dicere: remiſſo inde [10] paullulum animo, facilis

erant Hiſpani, ut intelligere eſt ex Senecâ, *de Benefic.* VI, 29.

[1] Et exemplum] Bene Aurelius Victor, in Epitome. *Legibus æquiſſimis monendo, quodque vehementius eſt, vitæ ſpecie, vitiorum plura aboleverat.*

[2] Frequens in hortis Salluſtianis] Dio, LXVI, pag. 750. De hortis Salluſtianis jam dictum ſuprà Hiſt. III, 82.

[3] Cuivis aditus] Dio, ibid.

[4] Armorum scrutatores] Ne quis ferro accinctus Principem adiret. Quàm acerbos ſcrutatores adhibuerit Claudius, vide apud Suetonium in Claud. XXXV. Contrà Veſpaſianus, conſuetudinem ſalutantes ſcrutandi, manente adhuc bello civili, omiſerat. Sueton. in Veſpaſ. XII.

[5] Majestatis criminibus] Dio, LXVI, pag. 749.

[6] Breviaria perlegere] Sueton. in Veſpaſ. XXI.

[7] Admittere] Sueton. ibid. Inter Veſpaſiani amicos fuit Plinius ſenior, de quo junior Plinius, Ep. III, 5. *Ante lucem ibat ad Veſpaſianum Imperatorem: nam ille quoque noctibus utebatur.*

[8] Et amicire] Sueton. loc. cit.

[9] Post in senatu . . . vel in foro] Dio, LXVI, pag. 750. Sueton. loc. cit.

[10] Remisso inde] Aurelius Victor in Epitome. *Exerceri vectatione, deinde requieſcere: poſtremò ubi laviſſet, remiſſiore animo convivium curabat.* Vide & Suetonium loc. cit.

civiliſque [1] cum ſenatoribus aliiſque, ſeu domi, ſeu foris [2] cena; quam ſuper jocoſa [3] & indulgens [4] hilaritas. Hic communis vitæ tenor [5].

A. U. C. 824. J. C. 71.

XLIX. Eadem, & anxia magis, erga liberos cura, cùm reipublicæ amore, tum domûs gloriâ. Paternum enim animum angebat Domitianus, præferoce indole, & in omnes fortunæ ſuæ libidines præceps: cum pater privatim objurgationibus [6], in publico honoribus ad meliora revocabat. Titus, patris deliciæ, ſpes columenque imperii: ipſe tamen inquietæ etiam ſollicitudinis cauſa, non ſuſpicaci Principis ingenio (id enim vitii a generosâ mente aberat) ſed recentium adhuc reipublicæ procellarum memoriâ, & occultis ſermonibus: « Titi fidem vacillare: favere legiones: nec religione, ſed » explorandi animos causâ, inter Apidis ſacra [7], in maximâ » Ægypti celebritate, regni cupidum [8], regio uſum diademate ». Titus, hæc in Urbe jactitari impatiens, quod conſcientiâ integer, feſtinans Romam proficiſcitur. Legiones, quæ Hieroſolyma, eo duce, ceperant, « aut remaneret, aut ſecum omnes pariter abduceret [9] » fruſtra oravere: quinta in Mœſiam, quintadecima in Pannoniam remiſſæ [10]. Argis [11] tan-

[1] Facilis civiliſque ] In his epulis nec luxus, nec ganea, ſed *ſuper cænam, & ſemper aliàs communiſſimus, multa joco tranſigebat.* Sueton. in Veſpaſ. XXII. Convivabatur ſæpe & lautiſſimè, qualiter decet Principem, & ut annonam adjuvaret. Inde Sueton. in Veſpaſ. XIX. *Sed & convivabatur aſſiduè ac ſæpius rectâ & dapſili, ut macellarios adjuvaret.* Hac in re, ut in aliis plurimis Auguſtum imitatus, de quo Suetonius in Aug. LXXIV. eadem iiſdem verbis memorat; & addit: *Cænam trinis ferculis, aut cùm abundantiſſimè, ſenis* (Gallicè *trois ou ſix ſervices*) *præbebat, ut non nimio ſumptu, ita ſummâ comitate.*

[2] Seu domi, seu foris ] Dio, loc. cit.

[3] Jocosa ] *Erat enim dicacitatis plurimæ.* Sueton. ibid.

[4] Et indulgens ] Sueton. in Veſpaſ. XXI. A balneo *in triclinium tranſibat. Nec ullo tempore facilior, aut indulgentior traditur: eaque momenta domeſtici ad aliquid petendum magnopere captabant.*

[5] Vitæ tenor ] Sueton. ibid. & Aurel. Victor. in Epitome. *Inſtitutum verò uniforme omni imperio tenuit.*

[6] Objurgationibus ] Elatoſque ejus ſpiritus deprimebat, teſte Dione, LXVI, pag. 749. Vide & Sueton. in Domitian. II.

[7] Inter Apidis sacra ] De quibus dictum ſuprà cap. 46.

[8] Regni cupidum ] Hos rumores memorat Suetonius in Tit. V.

[9] Pariter abduceret ] Hæc omnia Suetonius ibid.

[10] Remissæ ] Joſeph. Bell. Jud. VII, 5. num. 3.

[11] Argis] Argos, urbs Ciliciæ, quam Stephanus, *de Urbibus*, ait ætate ſuâ appellari Ἀργειόπολιν. Hujus urbis nummos publicavit Cl. Pellerin, *Mélange de diverſes Médailles.* Tom. I. pag. 22.

A. U. C. 824. J. C. 71.

tum ſubſtitit Titus, Apollonium [1], ſapientiæ famâ tunc inſignem, viſurus; & ut ex ejus præceptis ad virtutes, quæ Principis filium decent, ſe formaret. Apollonius, certus non volucribus verbis, ſed multâ exemplorum documentorumque experientiâ Principes inſtitui, conſulenti reſpondit: « Hoſtibus bello ſuperatis, patrem virtutibus ſupera [2]: Demetrium [3] philoſophum auſculta ». Brevi monito, in virtutes fecundo, imbutus, curſum celeravit [4]; & patri, qui obviam proceſſerat [5], inopinus occurrit: ſalutanſque, ſed rumorum memor, « veni », inquit, « pater, veni [6] ». Simul ruunt in amplexus; pater incertum an filius probatâ fide lætior.

L. URBS totaque Italia pro Titi reditu in lætitiam effuſa [7]. Senatus duplicem triumphum Principi & Cæſari decrevit [8]. At ipſi unico contenti, ne inani impenſâ gravaretur reſpublica. Tum primum ab Urbe conditâ pater filiuſque viſi in eâdem triumphali pompâ. At, ut nova, ſic magnifica fuere triumphi decora. Plurimâ adhuc nocte, milites ſtetere prope Iſidis templum [9]. Ibi Veſpaſianus Tituſque noctem egerant [10]: primo diluculo, caput lauro redimiti, & purpureis induti veſtibus, in Octaviæ porticum [11] proceſſerunt: eos ſenatus, præcipuus quiſque magiſtratuum, & equeſter ordo

[1] APOLLONIUM ] Apollonium Tyaneum. Philoſtrat. Vit. Apollon. VI, 30.

[2] VIRTUTIBUS SUPERA ] Philoſtr. ibid. cap. 32.

[3] DEMETRIUM ] Philoſtrat. ibid. cap. 31. Demetrium, Cynicum philoſophum, non ita conſtantem virum fuiſſe vidimus ſuprà Hiſt. IV, 40. Sed in Apollonio & Demetrio plus fuit oſtentationis, quàm virtutis.

[4] CELERAVIT ] *Rhegium*, nunc *Rhegio*, *dans la Calabre ultérieure*, *dehinc Puteolos*, nunc *Pozzuolo*, onerariâ nave appulit, *Romam inde contendit expeditiſſimus*. Sueton. in Tit. V.

[5] OBVIAM PROCESSERAT ] Joſephus, Bell. Jud. VII, 5. num. 3.

[6] PATER, VENI ] Sueton. ibid.

[7] EFFUSA ] Joſeph. Bell. Jud. VII, 5. num. 3.

[8] DECREVIT ] Hæc & ſeqq. Joſeph. ibid.

[9] ISIDIS TEMPLUM ] Templum illud fuit in Campo Martio, haud procul Pantheo, *le Pantheon*, & æde Minervæ, nunc *Santa Maria ſopra Minerva*. Ibi repertum Oſiridis ſimulacrum, quod exhibet Donatus, *de Urbe Româ*, I, 21.

[10] NOCTEM EGERANT ] Relicto palatio, noctem ibi egerant. Triumphaturi enim ex Urbe egrediebantur, ut eam poſtero die ingrederentur triumphantes.

[11] IN OCTAVIÆ PORTICUM ] Octaviæ, ſororis Auguſti, porticus fuit ubi nunc S. Angeli eccleſia, *Chieſa di S. Angiolo in Peſcheria*. Manentque adhuc rudera in vicinis locis. Exſtat autem ejus memoria in veteribus Urbis ichnographiæ fragmentis, quæ in templo Romuli reperta ſunt, nunc in ædibus Capitolinis adſervantur .... CVS OCTAVIAE.

excepit.

excepit. Ut in tribunali[1] eburneiſque ſellis conſedêre, laureati & ſericati milites[2] ſolitis adclamationibus imperatorum virtutes attollunt: mox, facto ſilentio, Veſpaſianus, velato capite, ſollemnes preces concipit; idem quoque precatus eſt Titus. Tum Veſpaſianus, adſiſtentem concionem paucis adlocutus, milites ad paratum prandium[3] dimittit. Ipſe cum filio ad triumphalem portam[4] regreſſus: ibi poſt levem cibum, triumphales veſtes[5] induunt; cæſiſque ante deos, ad portam adſtantes[6], victimis, cœpit pompa, apparatu maxima.

A. U. C. 824. J. C. 71.

LI. In hac enim imperii pace, ſubacti orbis opes, artium miracula, naturæ rara quæque oſtentata[7]: prævectæ quoque immenſæ purpurearum Babylonicâve arte[8] pictarum veſtium, gemmarum, in coronas aliaque id genus ornamenta compoſitarum, ſtrues[9]: præfulgebant deorum ſimulacra, magnitudine & arte ſtupenda; ipſaque animalia[10], ſuis quæque naturis expreſſa. Cuncta autem auro, argento, ebore ſplendida[11]: bajuli quoque purpureis aureiſque radiabant indumentis: ipſa captivorum deformitas ornamentorum varietate inluſtrata. Tantas inter opes conſpicuæ in primis immanes fer-

[1] In tribunali ] Quod ante Octaviæ porticum fuerat exſtructum. Joſeph. ibid. num. 4.

[2] Sericati milites ] Joſeph. ibid. Χωρὶς ὅπλων ἦσαν ἐσθῆσι σηρικαῖς, ἐστεφανωμένοι δάφναις. *Milites ſine armis erant induti veſtibus ſericis, coronati lauro.*

[3] Paratum prandium ] De more militibus paratum ab imperatoribus prandium. Joſeph. ibid.

[4] Triumphalem portam ] Quâ e campo Martio in Urbem ſubibant triumphantes. Porta illa fuit in veteri Urbis muro, inter Capitolium & Tiberim, prope Carmentalem portam. Poſtea cùm Aurelianus muros Urbis dilatavit, tunc trans Tiberim noctem agebant triumphantes; pons portaque triumphalis fuere paulo ſupra molem, ſeu tumulum, Adriani, nunc *le Château S. Ange*. Italis *Caſtel S. Angiolo*.

[5] Triumphalis veſtis ] Auro purpurâque intextæ triumphales veſtes. Vide ſuprà Annal. I, 15. not. 7.

[6] Ad portam adſtantes ] Joſeph. loc. cit. Τοῖς τε παριδρυμένοις τῇ πύλῃ θύσαντες θεοῖς.

[7] Oſtentata ] Joſeph. ibid. num. 5.

[8] Babylonicave arte ] Id eſt veſtium in accuratiſſimas picturas arte Babyloniorum diſtinctarum. Joſeph. ibid. Καὶ τὰ μὲν ἐκ πορφύρας ὑφάσματα τῆς σπανιωτάτης φερόμενα, τὰ δ' εἰς ἀκριβῆ ζωγραφίαν πεποικιλμένα τῇ Βαβυλωνίων τέχνῃ. Veſtes illas arte Babylonicâ pictas referre mihi videntur pictæ veſtes, quibus Imperator Sinarum & imperii Sinenſis primores adhuc utuntur.

[9] Strues ] Tantæ gemmarum fuere ſtrues, ut fateatur Joſephus fruſtra ipſos earum aliquid rarum eſſe exiſtimaſſe. Μάτην εἶναί τι τούτων σπάνιον ὑπειλήφαμεν.

[10] Animalia ] Joſeph. ibid. Ζώων τε πολλαὶ φύσεις παρήγοντο, κόσμον οἰκεῖον ἁπάντων περικειμένων. Maximè animalia Judææ propria. Vide triumphum Germanici Annal. II, 41.

[11] Splendida ] Joſeph. ibid.

culorum moles, in tres quatuorque tabulatorum ordines [1]
A. U. C. 824. J. C. 71.
exſtructæ: inde patebant intuentium oculis mirâ arte expreſſa ſingula Judaici belli eventa, prœlia, transfugia, captivorum agmina, urbium, caſtellorum oppugnationes, tectorum excidia, templi incendia, flumina [2], non in virentes, ſed in torridos campos, immiſſa: in ſingulis autem ferculis oſtentui erant Judæorum duces [3], eodem loci corporiſque habitu [4], quo fuerant capti: geſtatæ quoque naves plurimæ [5]. Poſt viſebantur templi monumenta [6], quæ inter eminebat menſa aurea, aureum candelabrum [7], & ultimum ſpolium, Judaica

[1] Tabulatorum ordines ] Joſeph. ibid. Τετραώροφα γὰρ αὐτῶν (πηγμάτων) καὶ τριώροφα πολλά.

[2] Flumina ] Joſeph. ibid. Μετὰ πολλὴν ἐρημίαν καταληφθῇ ποταμοὺς ῥέοντας οὐκ ἐπὶ γῆν γεωργουμένην, οὐδὲ ποτὸν ἀνθρώποις ἢ βοσκήμασιν, ἀλλὰ διὰ τῆς ἔτι πανταχόθεν φλεγομένης. Nempe poſt illatam bello Judaico vaſtitatem, Jordanis, Arnon, Cedron, aliique torrentes, non agrorum culta, ſed fumantes ruinas interfluebant.

[3] Judæorum duces ] Ac maximè Simon & Joannes.

[4] Loci corporisque habitu ] Joſeph. ibid. Joannes quidem, cum fratribus in cavernis eſuriens, ſe Romanis dedidit. Joſeph. Bell. Jud. VI, 9. num. 4. Simon autem in cuniculis diu delituit: at furioſus fanaticuſque dux, cùm deficerent alimenta, ratus ſe adhuc poſſe Romanorum manus evadere, ſi iis terrorem incuteret, ſubitò emerſit e loco, ubi templum fuerat, candidâ tunicâ indutus, purpureâ infibulatus chlamyde. Primùm obſtupuere, qui eum intuiti ſunt. Pòſt ad eum acceſſere, & quis eſſet interrogaverunt. Nomen non prodidit Simon, ſed ducem vocari juſſit. A Terentio Rufo comprehenſus, vinctuſque, ad Titum, qui tunc Cæſareæ maritimæ erat, miſſus eſt. Joſeph. Bell. Jud. VII, 2. Inde intelligere eſt quomodo Judæorum duces eodem loci corporiſque habitu, quo fuerant capti, in triumphalibus ferculis oſtentarentur.

[5] Naves plurimæ ] Joſeph. Bell. Jud VII. 5. num. 5. Πολλαὶ δὲ καὶ νῆες εἵποντο. Naves illæ ſanè Judaicas bello captas referebant. Certè fuit in Muſeo Domûs Profeſſæ Pariſienſis, Societatis Jeſu, nummus ære mediocri: IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. COS. III. Veſpaſianus capite laureato. In aversâ parte, VICTORIA NAVALIS. SC. Victoria cum palmâ & coronâ. Titi quoque ſimiles nummi habentur.

[6] Templi monumenta ] Pars illa egregia triumphi Judaici exſtat adhuc Romæ, marmore expreſſa, in Titi arcu, inter clivum montis Palātini & eccleſiam ſanctæ Franciſcæ. Ibi primùm videtur titulus, qui ante menſam auream præferebatur; deinde menſa aurea, ſupra quam poſita duo vaſa: ad latus menſæ ſunt prælongæ duæ tubæ Judaicæ decuſſatæ: pòſt titulus candelabri aurei; mox candelabrum aureum. Demum titulus, qui ante legem Judaicam præferebatur: ipſa lex non videtur, quòd in anaglypho locus non ſupererat. Præſtantiſſimum monumentum accuratiſſimè delineatum exhibet eruditus Villalpandus, *in Ezechiel.* Tom. II. pag. 587. Arcus autem, poſt Titi mortem aut ſtructus, aut inſcriptus.

SENATVS
POPVLVSQVE ROMANVS
DIVO TITO DIVI VESPASIANI F
VESPASIANO AVGVSTO

[7] Candelabrum ] Hecatæus, apud Joſephum contra Apionem I, 22, memorat aram, ſeu menſam, & candelabrum, utrumque aureum, pondus talentorum duum. Gallicæ monetæ libræ

A. U. C. 824. J. C. 71.

lex [1]. Inde ſequebantur longo ordine victoriarum tituli: mox triumphales Veſpaſiani Titique currus [2], quibus adequitabat Domitianus conſul [3]. Circumductâ per theatra [4] pompâ, ut irruenti undique plebi fieret ſatis, ventum ad Capitolium. Tum ſubſtitit pompa: præcipuus belli dux Simon, laqueo [5] in clivum, foro imminentem [6], tractus, virgiſque cæſus, interfectus eſt [7]. Sic expiato ſcelere, victoribus adclamatum: cæſæ victimæ; & imperatores in Jovis Capitolini gremio lauream [8] poſuere, neglecto victoriæ cognomento [9]. Inde publi-

ſunt 251,250. Βωμός ἐςι καὶ λυχνίον, ἀμφότερα χρυσᾶ, δυο τάλαντα την ὁλκήν.

[1] Judaica lex] Joſeph. ibid. Sanè in auratâ, quâ includebatur, arculâ lata eſt lex, ſeu præſtantiſſimus legis liber. Neque enim obvium quodque exemplar oſtentatum.

[2] Vespasiani Titique currus] Joſeph. ibid. Bene quidem, ut conſtat ex veteribus monumentis. At falsò Oroſius VII, 9, unum triumphalem currum memorat. *Veſpaſianus & Titus imperatores, magnificum agentes de Judæis triumphum, urbem ingreſſi ſunt. Pulchrum & ignotum antea cunctis mortalibus inter trecentos viginti triumphos, qui a conditione Urbis, uſque ad id tempus acti erant, hoc ſpectaculum fuit, patrem & filium, uno triumphali curru vectos, glorioſiſſimam ab his qui patrem & filium offenderant, victoriam reportaſſe.* In aureo Veſpaſiani nummo, quem e Theſauro Regio laudat Harduinus, *Selecta Opera*, pag. 731, ſolus triumphali curru vehitur Veſpaſianus. IMP. CAESAR VESPASIANVS AVG. TR. P. capite laureato. In averſâ parte, TRIVMP. AVG. *Triumphus Auguſti.* Veſpaſianus, curru triumphali vectus, retro a Victoriâ coronatus, balſami ramum, devictæ Judææ ſymbolum, tenet. Sic quoque in triumphali arcu Titi, de quo jam dictum ſuprà, ſolus Titus curru ſuo & quadrigis vehitur, pariter a Victoriâ retro ſtante coronatus. Perperam interpres Latinus Joſephi Titum equitantem exhibet.

[3] Adequitabat Domitianus consul] Joſeph. ibid. Suetonius quoque in Domitian. II. *Triumphum utriuſque* (Veſpaſiani & Titi) *Judaicum equo albo comitatus eſt.* Conſul autem ſuffectus tunc erat Domitianus.

[4] Per theatra] Joſeph. Bell. Jud. VII, 5. num. 4. Διὰ τῶν θεάτρων. Unde mihi videtur triumphalem pompam non ſtatim Urbem ſubiiſſe. Sed, peractis ante triumphalem portam ſacris, pompa per Pompeii, Balbi, & Marcelli theatra, quæ erant in campo Martio, circumducta eſt, ut multitudini, quam immenſam exhibet Joſephus, facilior eſſet aſpectus. De hac pompæ tarditate intelligendus videtur Suetonius, in Veſpaſian. XII. *Adeoque nihil ornamentorum extrinſecus cupidè appetivit, ut triumphi die fatigatus tarditate & tædio pompæ, non reticuerit: meritò ſe plecti, qui triumphum, quaſi aut debitum majoribus ſuis, aut ſperatum umquam ſibi, tam ineptè ſenex concupiſſet.*

[5] Simon, laqueo] Joſeph. Bell. Jud. VII, 5. num. 6.

[6] Foro imminentem] In eo clivo erat Carcer Mamertinus, hodie *S. Pietro in carcere*: ibi quoque, ut quidam volunt, ſcalæ Gemoniæ. Vide jam dicta ſuprà Hiſt. III, 74.

[7] Interfectus est] Joſeph. ibid. Joannes autem reſervatus eſt vinculis ſempiternis, δεσμοῖς αἰωνίοις. Joſeph. Bell. Jud. VI, 9. num. 4.

[8] Grimio lauream] De hoc uſu jam dictum ſuprà Annal. II, 26. not. 4.

[9] Victoriæ cognomento] Dio LXVI. pag. 748. Ob inviſam deſpectamque gentem, neque Veſpaſianus, neque Titus dictus eſt *Judaicus.* Inde Pompeius, cùm irrideretur a Cicerone Ep. ad Attic. II, 9, appellatus *noſter Hieroſolymarius* tra-

cos inter plauſus in palatium diceſſere: reliquum diei lætitiæ
A. U. C. datum, totâ Urbe in epulas effusâ [1].
824.
J. C. **LII.** TUM ſilentibus bellis, clusus eſt Janus [2]. Ut pacis,
71. qualis a divi Auguſti temporibus haud contigerat, monumentum exſtaret, Veſpaſianus Pacis templum [3], maximum pulcherrimumque [4] Urbis opus, ædificavit: ibi præter cetera ornamenta [5], opes vaſaque templi Hieroſolymitani dicata: lex, velaque [6] in palatio repoſita. Cùm ita factum ſatis religionibus, in morum emendationem converſa ſunt ſtudia, conſpirantibus Principis Titique votis, ipsâ Urbe vitiorum mole feſſâ [7].

*ductor.* Ceterùm Judaica Veſpaſiani Titique victoria quàm plurimis celebrata eſt monumentis: quæ cùm hìc referre longiùs foret, de obſidio Hieroſolymitano & belli Judaici monumentis commodiùs poſt Notas & Emendationes ad librum V. Hiſtoriarum in peculiari diſſertatione dicemus.

[1] IN EPULAS EFFUSA ] Joſeph. Bell. Jud. VII, 5. num. 6.

[2] CLUSUS EST JANUS ] Paulus Oroſius VII, 9. *Continuò* ( poſt Judaici belli triumphum ) *omnibus bellis ac tumultibus domi foriſque compreſſis, pacem totius orbis pronuntiaverunt, & Janum geminum obſeratis cohiberi clauſtris, ſextò demum ipſi poſt Urbem conditam cenſuerunt.* Inde in multis Veſpaſiani nummis, cuſis anno ſequenti, cùm Veſpaſianus eſſet COS. III. id eſt *conſul tertiùm*, reperitur inſcriptum: PACI ORBIS TERR. AVG. Id eſt *Paci orbis terrarum Auguſtæ*, vel AVGVSTAE PACI. vel PAX POPVLI ROMANI. In nummis Titi PAX AVG.

[3] PACIS TEMPLUM ] Templum illud fuit *foro proximum*, teſte Suetonio in Veſpaſian. IX. Templo addita erant multa opera; quæ memorat Plinius XXXIV, 8. num. 24. & XXXVI, 4. num. 8. Videntur adhuc ejus rudera haud procul ab eccleſiâ Sanctæ Franciſcæ & arcu Titi, ante montem Palatinum.

[4] MAXIMUM PULCHERRIMUMQUE ] Herodianus libr. I. pag. 482. Εἰρήνης τέμενος. . . . μέγιστον καὶ κάλλιστον γενόμενον τῶν ἐν τῇ πόλει ἔργων. Ejus quoque egregias laudes vide apud Plinium XXXVI, 15. & Joſephum Bell. Jud. VII, 5. num. 7.

[5] ORNAMENTA ] Hæc Templi decora ſæpe memorat Plinius. Exſtat adhuc eximium ejus magnificentiæ monumentum, ingens nempe columna marmorea, quam Paulus V, ſummus Pontifex, ante eccleſiam Sanctæ Mariæ Majoris tranſtulit & erexit.

[6] LEX VELAQUE ] Liber legis Judaicæ, & vela purpurea tabernaculi, τὰ πορφυρᾶ τῆς σκηνῆς καταπετάσματα. Joſeph. Bell. Jud. VII, 5. num. 7. De his velis plura habet idem Joſephus, Bell. Jud. V, 5. num. 4 & 5.

[7] FESSA ] Hæc & reliqua Veſpaſiani tempora vide in Appendice Chronologicâ, Tom. IV.

# NOTÆ
*ET*
# EMENDATIONES
*AD QUINQUE LIBROS*
## HISTORIARUM
## C. CORNELII TACITI.

# NOTÆ ET EMENDATIONES

## *AD LIBRUM PRIMUM*

# HISTORIARUM

# *C. CORN. TACITI.*

---

LIBRUM PRIMUM HISTORIARUM ] Ita Lipſius & Recentiores. Nullus in editione principe titulus. Olim hi quinque Hiſtoriarum libri Annalium ſeries habebantur. Inde eos inſcripſerat Puteolanus, CORNELII TACITI ACTORVM DIVRNALIVM HISTORIAE AVGVSTAE LIBER XVII INCIPIT. Sic quoque ad calcem libri III Hiſtoriarum in Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. adſcriptum : *Cornelii Taciti Actorum Diurnalium Hiſtoriæ Auguſtæ liber XVIIII explicit. Incipit viceſimus feliciter.* Nec aliter dividit Mſ. Flor. in quo ad calcem libri II Hiſtoriarum adjectum : *Cornelii Taciti liber octavus decimus explicit. Incipit nonus decimus.* Vetus quidem illa partitio, ſiquidem D. Hieronymus, quem vide inter *Teſtimonia Veterum*, poſt Auguſtum uſque ad mortem Domitiani vitas Cæſarum triginta voluminibus a Tacito ſcriptas memorat. Periere ergo ferme decem Hiſtoriarum libri, qui vel ampliſſimi fuere, vel Tacitus non eâ, quâ cœperat abundantiâ res horum temporum erat proſecutus. Minor certè caſuum copia ; neque in iis tantum momenti.

CAP. I. INITIUM MIHI ] Sic vulgò Mſſ. & libri omnes editi. In Mſ. Vatic. 1864. & in Mſ. Corb. *mei.*

T. VINIUS ] Perperam Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & veteres editiones, *T. Junius.* In veteri laminâ æneâ apud Cl. Muratori, *Novus Theſaurus*

*veterum Inſcriptionum*, Tom. I. pag. CCCVII, num. 5. T. VINIO COS. & apud Gruterum, *Inſcript. Antiq.* pag. CLXXXIX, num. 3. SER. GALBA. II. T. VINIO COS.

OCTINGENTOS ET VIGINTI ] Ita Mſſ. editio princeps & recentiores. Malè Puteolanus, *ducentos & viginti.* Nec bene Beroaldus *DCC & XX*; quaſi de iis tantùm, qui ante Actiacum bellum ſcripſere, ageret Tacitus. At omnes omnino complectitur, qui ab Urbe conditâ ad Galbæ & Vinii conſulatum ſcripſere per annos DCCCXXII, aut, ne minuta ſectetur, per annos DCCCXX.

OMNEM POTESTATEM ] Ita Puteolanus, Erneſtus, aliique plurimi, quibus ſuffragantur nonnulli libri Mſſ. At in Mſſ. Flor. Corb. Agr. & editione principe, ut & Ryckius & Jac. Gronovius, *omnem potentiam.* Mſ. Reg. *omnium potentiam.* Mſſ. Bud. & Daneſ. *omnium poteſtatem.*

AMBITIONEM SCRIPTORIS FACILE ADVERSERIS ] In Mſſ. Farneſ. & Corb. *ambitionem ſcriptionis.* Mſ. Reg. & editiones veteres ante Rhenanum, *ambitioni ſcriptoris*: quod plurimùm placet. Ni fortè, cùm multus eſſet in hac ætate quarti caſûs uſus, præpoſitionem *adversùs* intellexeris. Sic Plautus, *Mercator*, II, 3.

*Nos adverſari tuam adversùs ſententiam.*

Pro *adverſeris* mallet Muretus *adverteris.* Erneſtus *averſeris.* Et certè frequens in hoc librariorum error, dum *adverſari* pro *averſari* ſcribunt. Vide infrà cap. 38.

FIDEM PROFESSIS, NEC AMORE ] Mſ. Corb. *Fidem profeſſo, neque amore.* Habet & editio princeps *neque.*

CAP. II. OPIMUM CASIBUS ] Bene Mſſ. Reg. Corb. Agr. editio princeps & recentiores. Sic quoque notatum in margine Mſſ. Harl. & Vatic. Non ita bene Mſ. Guelf. & Puteolanus, *plenum variis caſibus.*

TRIA BELLA ] Ita Puteolanus; deinde ceteri omnes. In Mſſ. Flor. Reg. Corb. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & editione principe, *trina.* Mſ. Agr. *terna.*

STATIM MISSA ] Fortè omiſſa. Sic Annal. VI, 36, *omiſſa Armenia.*

COORTÆ IN NOS SARMATARUM ] Bene Mſ. Flor. & recentiores editiones. Nec ferme aliter, licèt corrupte, Mſ. Corb. *cohorte in nos.* Sic quoque emendatum in Mſ. Harl. Perperam vulgò Mſſ. & veteres editiones *cohorte in Sarmatarum*, vel *cohorte in Rhoxolanos Sarmatarum.*

ET URBS ] Copulam malè omiſit Pichena.

AGERENT FERRENT CUNCTA ] Ita Rhenanus & Recentiores. Vulgò Mſſ. & veteres editiones, *agerent : verterent cuncta odio & terrore : corrupti* &c. Quod quoque non diſplicet. In Mſ. Reg. *verterent cuncta. Odio*, &c.

CAP. III. NECESSITATES ] Exiſtimat Cl. Erneſtus hìc deſiderari aliquid, unde virtus eluceat, ac fortè olim fuiſſe ſcriptum: *Supremæ*

*clarorum*

*clarorum virorum neceſſitates fortiter toleratæ.* Ego verò nihil omiſſum ſentio. Nonnihil enim eſt exempli in ſupremis clarorum virorum neceſſitatibus, plurimùm in neceſſitate fortiter toleratâ.

MAGISVE JUSTIS INDICIIS ] Malè Mſſ. & veteres editiones, *Magis vetuſtis.* Bene autem, *indiciis.* In Mſ. Reg. & mediis quibuſdam editionibus, *judiciis.*

CAP. IV. AUT POPULUM, AUT URBANUM MILITEM ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. editiones veteres & recentiores. Rhenanus, *apud populum, apud Urbanum militem.* Eleganter quidem; ſed non favent libri.

MAGNIS DOMIBUS ADNEXA, CLIENTES ] Ita Mſſ. & libri editi, præter Pichenam, qui, Lipſii conjecturam ſecutus, emendavit *annexi clientes.*

CAP. V. QUEM IN BELLO ] Bene Mſſ. editio princeps & recentiores. Malè Puteolanus, *qui in bello.*

AGITATUR ] Gronovius mallet, *agitatus.*

SED QUAMVIS ] Bene Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. veteribuſque editionibus, *& quamvis.*

NEC DEERANT ] In Mſſ. Bodl. Jeſ. & mediis quibuſdam editionibus, *neque deerant.*

INCREPANTIUM ] Mſ. Corb. *increpantes.*

ASPERNANTES ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. editio princeps & recentiores In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *coaſpernantes.*

VEREBANTUR ] Mſ. Agr. & Ryckius, *venerabantur.* Alii tentant, *reverebantur.* Eodem ſenſu accipi, *verebantur*, rectè obſervat Cl. Erneſtus.

CAP. VI. TAMQUAM INNOCENTES PERIERANT ] Fruſtra tentat Muretus, *tamquam nocentes.* Acidalius, *quamquam innocentes.* Innocentes vulgò habentur, qui inauditi & indefenſi pereunt.

MULTI AD HOC NUMERI ] Bene Mſ. Flor. editio princeps & recentiores. Mſ. Corb. *multi ad hoc numero.* Puteolanus, *multi ad hæc innumeri.* Quidam Mſſ. & libri editi, *multi ad hoc & innumeri.*

CAP. VII. HAUD DUBIE TURBANTEM ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *res haud dubiè turbantem.*

INVISO SEMEL PRINCIPE ] Fruſtra tentat Gruterus, *inviſum Principem.* In Mſſ. Flor. Reg. *inviſo ſemel Principi.*

FACTA PREMUNT ] Bene Puteolanus. Sic quoque Mſ. Bodl. in margine. Malè Mſ. Reg. & editio princeps *præminuit.* Mſ. Corb. *præmuniit.*

Jam adferebant ] Solus Ryckius e ſuo Mſ. Agr. edidit, *offerebant.*

Ac fastidio ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. ac Puteolanus, *& faſtidio.* A Mſ. Reg. abeſt & ante *inriſui.*

CAP. VIII. Pacis artibus ] Faernus & Mſ. Agr. *pacis artibus clarus.* Heinſius, *pacis par artibus.* At retineri poteſt vulgata ſcriptura. Nempe ob pacis artes erat bellis inexpertus.

Bellis inexpertus ] Ita Mſſ. editiones veteres & recentiores. Rhenanus, *belli inexpertus.*

Germanis exercitibus ] Bene Mſſ. Reg. Corb. Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. Harl. Jeſ. & veteribus editionibus, *Romanis exercitibus.* In margine Mſ. Harl. emendatum *Germanis.* In Mſ. Agr. *Germanicis.*

Germani exercitus ] Sic Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & editiones veteres. In recentioribus, *Germanici exercitus.* Cùm jam editum ſit ſuprà *Germanis exercitibus*, hìc ferri poteſt *Germani exercitus.* Si quis tamen utrumque locum mutatum vellet, ut emendaret *Germanicis exercitibus & Germanici exercitus;* minimè repugnarem : atque id foret ex communi uſu.

Etiam qui queri ] Malebat Muretus, *etiamſi queri.*

CAP. IX. Regimen ] Bene Mſſ. Reg. Corb. & libri omnes editi. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. *regenti.*

Ultro accendebantur ] Ita Mſſ. & veteres editiones ac recentiores. Beroaldus, *ultro etiam accendebantur.*

Missu Galbæ ] Mſ. Corb. *juſſu Galbæ.*

A. Vitellius aderat ] Ita Mſſ. editio princeps & recentiores. Puteolanus prænomen omiſerat. Cùm autem frequens ſit apud Tacitum, maximè in Hiſtoriarum libris, Vitelliorum mentio, eorum ſtemma hìc propoſuiſſe erit commodum. Antè præmonuerim hoc ſtemma deſinere in Vitellii Imperatoris filiam, cui gener deſtinatus fuerat Valerius Aſiaticus, ut vidimus ſuprà Hiſt. I, 59. Poſtea Veſpaſianus Imperator, offenſarum inimicitiarumque minimè memor, eam ſplendidiſſimè maritavit dotavitque etiam & inſtruxit. Vide Sueton. in Veſpaſian. XIV. Vide quoque Aurelium Victorem in Epitome.

## *STEMMA VITELLIORUM.*

Publius Vitellius, eques Romanus. Sueton. in Vitell. II.

- Aulus Vitellius. Sueton. in Vitell. II.
- Quintus Vitellius. Sueton. in Vitell. II. Tacit. Annal. II, 48.
- Publius Vitellius. Sueton. in Vitell. II. Tacit. Annal. I, 70. & V, 8. *Uxor* Acutia. Tacit. Annal. VI, 47.
- Lucius Vitellius, cenſor, ter conſul. Sueton. in Vitell. II. Tacit. Annal. XI. & Hiſt. I, 9. *Uxor* Sextilia. Sueton. in Vitell. III. Tacit. Hiſt. II, 64.
  - AULUS VITELLIUS, IMPERATOR. Sueton. in Vitell. III. Tacit. Hiſt. I, 9. *Uxores*
    - Petronia Sueton. in Vitell. VI.
      - Petronianus. Sueton. in Vitell. VI.
    - Galeria Fundana. Sueton. in Vitell. VI. Tacit. Hiſt. II, 64.
      - Germanicus Sueton. in Vitell. VI. Tacit. Hiſt. II, 59.
      - N. Filia. Sueton. in Vitell. VI. Tacit. Hiſt. III, 78.
  - Lucius Vitellius Tacit. Hiſt. I, 88. & IV, 2. *Uxor* Triaria. Tacit. Hiſt. II, 63 & 77.

Nihil irarum ] Mſſ. Harl. Jeſ. *nihil iratum.*

CAP. X. Attritis opibus ] Ita omnes ferme Mſſ. & libri editi. Pichena tamen e Mſ. Flor. edidit *atteritis*. Sic quidem Tibullus, I Eleg. IV, 42.

*Nec te pœniteat duros ſubiiſſe labores,*
*Aut operi inſuetas atteruiſſe manus.*

Repositus ] Mallet Acidalius, *ſepoſitus*. Sic certè infrà cap. 13. *ſepoſuit*, uſurpatum videbimus.

CAP. XI. Ac legiones in ea ] Hæc fortè redundant. Certè *in ea* abeſt a Mſ. Corb. Et mox in Mſſ. Flor. Guelf. Agr. & editione principe, non legitur *contentæ*, ſed *contenta*. Præterea in Africâ unica erat legio, ut diximus ſuprà in Notis, Annal. IV, 5. & videbimus infrà Hiſt. IV, 48. Inde Lipſius emendabat, *ac legio in ea*. Poſſet

tamen retineri vulgata ſcriptura, ſi indubitata Macri nummorum, quos memorat Harduinus, *Selecta Opera*, pag. 729, conſtaret fides. Tunc fuiſſent in Africâ duæ legiones: vetus altera, altera a Macro recèns conſcripta. In argenteo Macri nummo e Gazâ Regiâ, C. CLOD. MACRI. LIBERĀ. Id eſt *C. Clodii Macri. Libertas.* Caput Africæ tectum elephantinâ pelle, ex quâ proboſcis cum dentibus eminet. Infrà S C. In averſâ parte LEG. III. AVG. Aquila legionaria inter duo ſigna cohortium. En vetus legio, de quâ plura infrà in Notis & Emendationibus ad Hiſt. II, 6. In altero Macri argenteo nummo apud Occonem, pag. 136, L. CLODI. MACRI. S C. Libertas, ſtolata ſtans, dextrâ pileum, ſiniſtrâ pateram tenet. In poſticâ parte, LIB. LEG. I. MACRIANA. Aquila inter duo ſigna cohortium. En legio altera a Macro conſcripta. Favere quoque fortè videretur ipſe Tacitus, Hiſt. II, 97, *In Africâ legio cohorteſque delectæ a Clodio Macro, mox a Galba dimiſſæ, rurſus juſſu Vitellii militiam cepere.* At in his nummis diſplicet prænominis varietas. Alios circumferunt aureos æreoſque nummos, ſed ſpurios, licèt eos Triſtanus & Patinus laudaverint.

DOMINI MINORIS ] Fruſtra tentat Cl. Erneſtus, *domini prioris*, ut de Nerone intelligatur.

PROCURATORIBUS COHIBENTUR ] Mſ. Corb. *procurationibus.*

SERVITIO EXPOSITA ] Bene omnes ferme Mſſ. Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Reg. editione principe, aliiſque plurimis, *expoſitæ.*

CESSURÆ ERANT ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & libri editi. Malè Mſſ. Flor. Agr. *Ceſſura.*

CAP. XII. SACRAMENTI REVERENTIA ] Mſ. Bud. *licentiâ*: quod immeritò defendit Rhenanus.

DEIN FESSA JAM ÆTATE ] Sic jam dictum ſuprà Annal. I, 46. Perperam ergo eum locum vexant nonnulli, ut emendent, *feſſo jam ætate Galbâ.*

MULTI OCCULTA SPE ] Ita Puteolanus & Recentiores omnes. In Mſ. Agr. *multis occulta ſpes.* Corruptè Mſſ. Corb. Reg. & editio princeps, *multis ſtulta ſpe.* Malè tentat Jac. Gronovius, *multis occulta ſpei.*

AMBITIOSIS RUMORIBUS ] Bene Mſ. Agr. Sic quoque volebat Lipſius, quem Recentiores ſunt ſecuti. In Mſſ. & veteribus editionibus, *ambitionis.*

IN T. VINII ODIUM DIVERTERANT ] Optimè hunc locum emendarunt Puteolanus & Rhenanus. Perperam Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps, *in Tito Junio diverterant.* Mſ. Harl. *in T. Junii odium*; & in margine, *diverterant.* Fruſtra tentat Lipſius, *in T. Vinii odium diverſi ierant.*

EODEM ACTU INVISIOR ] Ita libri omnes. Vix tamen credibile eſt Tacitum ſcripſiſſe, *eodem actu.* Inde emendabat Lipſius, *eidem invisior*

*erat*, vel, *eo dein faſtu inviſior*. Pichena, *eo cunctis inviſior*. Erneſtus, *eodem factis inviſior*. Melius ſanè Jac. Lectius, *eodem auctu*.

CAP. XIII. Et rumoribus ] Bene Mſſ. Flor. Corb. & editio princeps. Malè Puteolanus, *ex rumoribus*; qui hæc quoque cum ſuperioribus conjungit. Unde nata in ſequentibus editionibus obſcuritas.

Et, donec bellum fuit, inter præsentes ] Mallet Acidalius, *donec bellum fuit, & inter præſentes*, &c.

CAP. XIV. Arcessi jubet ] Bene Cl. Erneſtus. Vulgò Mſſ. & libri editi, *accerſiri*. Emendatum in Mſ. Harl. *accerſi*.

Propria electione ] Bene veteres ac recentiores editiones. In mediis quibuſdam, *dilectione*.

Tradiderunt ] Rectè Freinshemius e Mſ. Flor. Sic quoque Mſſ. Reg. Harl. & Jeſ. In veteribus editionibus, *crediderunt*.

M. Crasso et Scribonia ] Ut Piſonis nobilitas innoteſcat, ejus Stemma hìc proponetur.

## *PISONIS STEMMA.*

M. Licinius Craſſus, M. Craſſi, Agelaſti, nepos,
Romanorum ditiſſimus, a Parthis interemptus.
Plin. VII, 19.

M. Licinius Craſſus.

M. Licinius Craſſus M. F. M. N. conſul anno U. C. DCCXXIII.
proconſul triumphavit ex Thraciâ & Getis anno U. C. DCCXXV.
Faſt. Capitolin.

M. Licinius Craſſus, conſul anno U. C. DCCXXXIX.
Inſcript. Collegii Romani. Vide Piraneſi, Faſt. Capitol. pag. 34.

M. Licinius Craſſus Frugi, conſul anno U. C. DCCLXXX,
bis triumphalia ornamenta adeptus, a Claudio cæſus.
Tacit. Annal. IV, 62. Sueton. in Claud. XVII.
Senec. in Apocolocynt.
*Uxor*,
Scribonia, a Claudio cæſa.
Tacit. Hiſt. I, 14. Senec. in Apocolocynt.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Cn. Pompeius magnus, a Claudio cæſus. Tacit. Hiſt. I, 48. Senec. in Apocoloc. Vide & Supplementum Annal. XI, 5. *Uxor* Antonia. Dio, LX. pag. 668. Vide & Stemma Cæſarum, num. 105 & 106. | M. Licinius Craſſus conſul anno U. C. DCCCXVII, a Nerone cæſus. Tacit. Hiſt. I, 48. | Licinius Craſſus Scribonianus ab Othone cæſus. Tacit. Hiſt. I, 47. | Piſo Frugi Licinianus, primùm a Piſone, deinde a Galbâ adoptatus, ab Othone cæſus. Tacit. Hiſt. I, 14 & 48. Sueton. in Galbâ, XVII. *Uxor* Verania. Tacit. Hiſt. I, 47. | Licinia Magna, Craſſi Frugi, pontificis filia, L. Piſonis, pontificis, *Uxor*. Inſcript. apud Gruterum pag. CCCVI. num. 1. |
| | | | Calpurnius Galerianus. Tacit. Hiſt. IV, 11. | |

Scribonia autem, mater Piſonis, adhuc nobilior: poterat enim, ut Libo Druſus, e familiâ Scriboniorum, de quo ſuprà Annal. II, 27, *proavum Pompeium, amitam Scriboniam, Auguſti conjugem, conſobrinos Cæſares, & plenam imaginibus domum oſtentare.* Quæ autem Plutarchus, in Galbâ, pag. 163, habet de Piſonis parentibus, corrupta ſunt, ut alia multa in hac Galbæ vitâ. *Πείσωνα Κράσσυ καὶ Κρητίωνος*, (corrige *Σκριβωνίας*,) *ἔκγονον, ὃς Κλαύδιος* (*Νέρων*, corrige) *ἀνῃρήκει.*

Quo suspectior ] Ita Puteolanus, ac deinde, ceteri, præter Ryckium, qui e Mſ. Agr. & editione principe, emendavit, *quæ.* Sic etiam habent Mſſ. Reg. & Harl. Sed in Mſ. Harl. poſtea emendatum, *quò.*

CAP. XV. Egregium erat ] Mſ. Guelf. *eſſet.* In Mſ. Harl. additum, *erat*, primâ manu omiſſum.

Cn. Pompeii ] Sic emendandum optimè monuit Freinshemius. Perperam Mſſ. & veteres editiones, *nunc Pompeii.* Malè Beroaldus emendavit, *tunc Pompeii.*

Sulpiciæ ac Lutatiæ ] Cl. Erneſtus vult a librariis fuiſſe omiſſum, *gentis.* At intelligi poteſt *nobilitatis.*

Non, quia ] Mallet Cl. Erneſtus, *non, quin ... ſocios belli habeam;* vel *non, quo ... non habeam.* At ferri poteſt vulgata ſcriptura.

Ambitione accepi ] Mſ. Corb. *recepi.*

Et judicii mei ] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Rhenanus, *ut judicii mei.* Sed in Mſſ. Harl. Bodl. rectè poſtea emendatum *&.*

Sed et tuæ ] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. ac Puteolanus omiſere, *&.*

Animos explorant ] Ita Mſſ. Flor. Corb. editio princeps, & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *animum.*

Per obsequium imminuent ] Mſ. Jeſ. *qui obſequium.* Malè Rhenanus, *alii licèt per obſequium annuant.*

Inrumpet adulatio ] Bene Mſ. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *irrumpent.*

CAP. XVI. Depulere ] Mſ. Corb. *depulerit.*

Ne tamen territus ] Bene Mſſ. Reg. Corb. Guelf. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *nec.*

Utilissimus idem ] Bene Mſſ. Corb. Bodl. Bud. quibus ſuffragantur Mſſ. Reg. Flor. & editio princeps. In Mſſ. Harl. Jeſ. & Puteolanus, *utiliſſimus quidem.* Pichena & Recentiores, *utiliſſimuſque idem.*

Aut volueris.... aut nolueris ] Ita Mſ. Flor. Pichena & Recentiores. In ceteris Mſſ. & veteribus editionibus, inverſo ordine, *aut nolueris ... aut volueris.*

Hæc atque talia ] Sic Mſſ. Corb. & Bodl. In Mſſ. Harl. Jeſ. necnon editione principe, *hæc & talia.* Puteolanus, *hæc ac talia.*

CAP. XVIII. Vitarentur ] Ita Mſſ. Harl. Guelf. & Erneſtus: appoſitè quidem ad temporum rationem. In Mſ. Jeſ. *viterentur.* Mſ. Bodl. & Puteolanus *vitentur.* In Mſ. Bodl. emendatum poſtea, *vitantur*, quod habent recentiores editiones plurimæ. Mſſ. Corb. Reg. & editio princeps, *vertantur.*

More divi Augusti, et exemplo militari ] Ita quidem libri omnes. Invertendum tamen multis videtur, *exemplo divi Auguſti, & more militari.* Sic vertit Cl. Davanzati, quem optimus quiſque interpres ſecutus eſt, *che adottava Piſone ad eſempio d'Auguſto, e uſò di Milizia che uno elegga un altro;* & Cl. Gordon, *That he adopted Piſo, after the precedent of the deified Auguſtus, and according to the cuſtom of an army, where every man chuſes his man.* Sunt tamen qui & vulgatam ſcripturam defendant. Nec repugnat, licèt dura ſit.

Duoetvicesimam ] Bene Pichena e Mſ. Flor. Idem vide infrà cap. 55. Perperam multi Mſſ. & veteres ac recentiores editiones, *duodevicesſimam.* In Mſ. Corb. *IIItam & XXam.* De legionibus dicetur ſatis in Notis & Emendationibus ad Hiſt II, 6.

Addit, aut pretium ] Sic Pichena & Recentiores, e Mſ. Flor. in quo *addita ut pretium.* Mſſ. Reg. Agr. editio princeps & Beroaldus, *additum, aut pretium.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *addidit, aut pretium.*

Grata auditu respondent ] Bene Mſſ. Harl. Jeſ. & Puteolanus ac Recentiores. Sic quoque in Mſ. Guelf. emendatum alterâ manu. In Mſſ. Flor. Reg. Corb. & editione principe, *grata audito reſpondent.* Mſ. Bodl. & Rhenanus, *gratabundi reſpondent*, & ita notatum in margine Mſſ. Harl. & Jeſ.

Quantulacumque ] Ita Mſſ. & libri editi. Rhenanus e ſolo Mſ. Bud. in quo *q. parva lib.* perperam conjicit *quantumcumque parva libet*, aut *quantacumque.*

CAP. XIX. Apud militem ] Bene Mſſ. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *milites.*

Medie, at plurimi ] Sic volebat Ryckius e ſuo Mſ. Agr. Verùm cùm adverbium *mediè* non occurrat, niſi apud Firmicum alioſque recentioris latinitatis ſcriptores, emendabat Freinshemius, *medii, ac plurimi.* Sic vertit Cl. Gordon, *While the indifferent, and the major part. Mediè* tamen habent omnes Mſſ. & ferme omnes *ac*, non *at.* Tueri etiam *mediè* utcumque videbitur, quod mox ſequitur, *agitantes:* nam poſt *medii*, rectiùs ſcriberetur, *agitabant*; ut rectè obſervat Cl. Erneſtus.

In publico ] Bene Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. Guelf. Pichena & Recentiores. In Mſ. Reg. & veteribus editionibus, *in publicum.*

Majore prætextu ] *Majore* immeritò ſuſpectum habet Lipſius.

Major enim prætextus, ſeu plus dignitatis & auctoritatis erat, ſi Piſo proficiſceretur.

Remanendi ] In Mſ. Agr. *retinendi*; unde tentabat Heinſius, *renitendi*.

CAP. XX. Unde inopiæ ] Bene Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps. In Mſſ. Flor. Guelf. & Puteolanus ac Recentiores, *ubi inopiæ*.

Bis et vicies millies sestertium ] Verè Lipſius & Recentiores. Perperam Mſſ. & veteres editiones, *bis & vicies mille ſeſtertiûm*. Fortè natus error ex librariorum vel incuriâ, vel ignorantiâ, cùm olim ſcriptum eſſet *bis & vicies M̄ Seſtertium*, vel X̄X̄ĪĪ M. HS.

Auctionibus ] Mſſ. & veteres editiones, *actionibus*. Rectè in margine Mſ. Bodl. & recentioribus editionibus, *auctionibus*. Jam enim haſtæ, ſectores priùs memorati.

Antonius Naso ] Mſ. Farneſ. *Aurelius Naſo*. Et quidem probabiliter. Aliter enim dixiſſet Tacitus, *Antonii Taurus & Naſo*.

CAP. XXI. Et alterius ] Sic Mſſ. veteres & recentiores editiones. Perperam Rhenanus, *aut alterius*.

Proinde agendum ] Ita Mſſ. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *proin*. In Mſ. Jeſ. *proinde audendum agendumque*.

Coaluisset ] Optimè dictum, nondum coaluerat, id eſt nondum firma erat Piſonis auctoritas. Fruſtra tentat Acidalius, *convaluiſſet*.

Acrioris viri ] *Acrioris* ſuſpectum habet Freinshemius. Certè abeſſe poteſt.

CAP. XXII. Non erat Othonis mollis, et corpori similis ] Mſ. Corb. *corporis*. At me majora vocant. Egregium imitationis exemplum in tragœdiâ Cl. Joannis Racine, quam *Britannicum* inſcripſit, propoſui in Notis & Emendationibus ad Annal. XIII, 2. Alterum æquè nobile hìc ſuppeditabit tragœdia Cl. Petri Corneille, cui *Othoni* nomen fecit. Si qui autem mirentur nos in hæc diverticula ſecedere, meminerint id dari viris in re literariâ ſummis, qui iſtud operis efflagitavere; & in hoc ipſo argumento plurimum eſſe publicæ utilitatis.

## De OTHONE, Tragœdiâ Cl. Petri Corneille.

Ut apud Gallos Petrus Corneille fuit tragœdiæ parens, ita vir divini ingenii, quantum in Taciti imitatione poſſet eſſe emolumenti primus edocuit. Hac in re, ut in aliis plurimis, ejus veſtigia ſecutus Joannes Racine, aliquot pòſt annis tragœdiam *Britannicum* ſcripſit, ibique ad ingenii ſui modulum, nec adultas virtutes, nec adulta

vitia,

vitia, multâ cum laude expreſſit. Petrus Corneille, animoſior, vividoque pectore Romanorum animorum vim ſenſuſque complexus, *Othonem*, grandius argumentum, ſelegerat. In totâ tragœdia nihil niſi Romanum. Unde hos ſpiritus poeta hauſerit manifeſtum facit ipſa tragœdiæ præfatio, quâ & Tacitum egregiè commendat, & ſe interpretem potiùs, quàm imitatorem profitetur. *Le ſujet* de cette tragédie *eſt tiré de Tacite, qui commence ſes hiſtoires par celle-ci .... Les caractères de ceux que j'y fais parler y ſont les mêmes que chez cet incomparable Auteur, que j'ai traduit tant qu'il m'a été poſſible.* Verùm ut hæc egregia artis ſpecimina pateant, primùm ipſe Petrus Corneille proponendus, Taciti deinde loca ſubdentur.

# ACTE I.

## *SCENE PREMIERE.*

### OTHON, ALBIN.

### ALBIN.

On s'étonne de voir qu'un homme tel qu'Othon,
Othon, dont les hauts faits ſoutiennent le grand nom,
Daigne d'un Vinius ſe réduire à la fille, [1]
S'attache à ce conſul, qui ravage, qui pille,
Qui peut tout, je l'avoue, auprès de l'Empereur,
Mais dont tout le pouvoir ne ſert qu'à faire horreur, [2]
Et détruit d'autant plus, que plus on le voit croître,
Ce que l'on doit d'amour aux vertus de ſon maître. [3]

### OTHON.

Si-tôt que de Galba le Sénat eut fait choix,
Dans mon gouvernement j'en établis les loix,
Et je fus le premier qu'on vit au nouveau prince
Donner toute une armée & toute une province:
Ainſi je me comptois de ſes premiers ſuivans. [4]
Mais déja Vinius avoit pris les devants;
Martian l'affranchi, dont tu vois les pillages,
Avoit avec Lacus fermé tous les paſſages;
On n'approchoit de lui que ſous leur bon plaiſir; [5]
J'eus donc pour m'y produire un des trois à choiſir.
Je les voyois tous trois ſe hâter ſous un maître,
Qui, chargé d'un long âge, a peu de tems à l'être; [6]

1 Vinius pro Othone .... Vinio vidua filia, cælebs Otho, gener ac ſocer deſtinabantur. *Tacit. Hiſt. I*, 13.

2 *Vinius* in dies quantò potentior, eodem actu inviſior erat. *Tacit. Hiſt. I*, 12.

3 Invalidum ſenem T. Vinius & Cornelius Laco, alter deterrimus mortalium, alter ignaviſſimus, odio flagitiorum oneratum, contemptu inertiæ deſtruebant. *Tacit. Hiſt. I, 6.*

4 Otho, comiter adminiſtratâ provinciâ, primus in partes tranſgreſſus, nec ſegnis, &, donec bellum fuit, inter præſentes ſplendidiſſimus. *Tacit. Hiſt. I, 13.*

5 Potentia principatûs diviſa in T. Vinium conſulem, & Cornelium Laconem, prætorii præfectum. Nec minor gratia Icelo, Galbæ liberto, quem anulis donatum, equeſtri nomine Martianum vocitabant. *Tacit. Hiſt. I*, 13.

6 Jam adferebant venalia cuncta præpotentes liberti. Servorum manus ſubitis avida, & tam-

Et tous trois à l'envi s'empreſſer ardemment
A qui dévoreroit ce regne d'un moment. [1]
J'eus horreur des appuis qui reſtoient ſeuls à prendre,
J'eſpérai quelque tems de m'en pouvoir défendre :
Mais quand Nymphidius dans Rome aſſaſſiné [2]
Fit place au favori qui l'avoit condamné,
Que Lacus par ſa mort fut préfet du prétoire,
Que pour couronnement d'une action ſi noire, [3]
Les mêmes aſſaſſins furent encor percer
Varron, Turpilian, Capiton, & Macer,
Je vis qu'il étoit tems de prendre mes meſures,
Qu'on perdoit de Néron toutes les créatures,
Et que demeuré ſeul de toute cette cour,
A moins d'un protecteur, j'aurois bien-tôt mon tour. [4]

## *SCENE TROISIEME.*

### VINIUS, OTHON.

### VINIUS.

Galba vieil & caſſé, qui ſe voit ſans enfans,
Croit qu'on mépriſe en lui la foibleſſe des ans; [5]
Et qu'on ne peut aimer à ſervir ſous un maître,
Qui n'aura pas loiſir de le bien reconnoître.
Il voit de toutes parts du tumulte excité : [6]
Le ſoldat en Syrie eſt preſque révolté.
Vitellius avance avec ſa force unie,
Des troupes de la Gaule & de la Germanie.
Ce qu'il a de vieux corps le ſouffre avec ennui,
Tous les prétoriens murmurent contre lui,
De leur Nymphidius l'indigne ſacrifice
De qui ſe l'immola leur demande juſtice;
Il le fait, & prétend par un jeune Empereur
Ramener les eſprits & calmer leur fureur.
Il eſpere un pouvoir, ferme, plein, & tranquille,
S'il nomme pour Céſar un époux de Camille. [7]
Mais il balance encor ſur ce choix d'un époux,
Et je ne puis, Seigneur, m'aſſurer que ſur vous.
J'ai donc pour ce grand choix vanté votre courage,
Et Lacus à Piſon a donné ſon ſuffrage.
Martian n'a parlé qu'en termes ambigus;
Mais ſans doute il ira du côté de Lacus. [8]

quam apud ſenem feſtinantes. *Tacit. Hiſt. I*, 7.

1 Precarium ſeni Imperium, & brevi tranſiturum. *Tacit. Hiſt. I*, 52.

2 Nymphidius quidem in ipſo conatu oppreſſus. *Tacit. Hiſt. I*, 5.

3 Interfectis Cingonio Varrone, conſule deſignato, & Petronio Turpiliano, conſulari. Ille, ut Nymphidii ſocius, hic ut Neronis, inauditi atque indefenſi, tanquam innocentes perierant. *Tacit. Hiſt. I*, 6. ... Macrum in Africâ ... juſſu Galbæ ... Capitonem in Germaniâ ... interfecerant. *Tacit. Hiſt. I*, 7.

4 *Otho* fingebat & metum, quo magis concupiſceret. *Tacit. Hiſt. I*, 21.

5 Ipſa ætas Galbæ & irriſui ac faſtidio erat. *Tacit. Hiſt. I*, 7.

6 Poſt nuntios Germanicæ ſeditionis ... anxius quonam exercituum vis erumperet, ne Urbano quidem militi confiſus, quod remedium unicum rebatur, comitia imperii tranſigit. *Tacit. Hiſt. I*, 14.

7 Auditâ adoptione, deſinam videri ſenex, quod nunc mihi unum objicitur. *Tacit. Hiſt. I*, 16.

8 Vinius pro Othone; Laco atque Icelus, non tam unum aliquem fovebant, quàm alium. *Tacit. Hiſt. I*, 13. .. Laco Piſonem *fovebat*. *Tacit. Hiſt. I*, 14.

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
Seigneur, quand pour l'empire on s'eſt vû déſigner,
Il faut, quoi qu'il arrive, ou périr, ou régner. [1]
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
Hé bien, ſi cet amour a ſur vous tant de force,
Regnez: qui fait des loix, peut bien faire un divorce.
Du trône on conſidere enfin ſes vrais amis;
Et, quand vous pourrez tout, tout vous ſera permis. [2]

OTHON.

Non, Seigneur, mais Poppée étoit une infidelle,
Qui n'en vouloit qu'au trône, & qui m'aimoit moins qu'elle.
Ce peu qu'elle eut d'amour ne fit du lit d'Othon
Qu'un degré pour monter à celui de Néron.
Elle ne m'épouſa qu'afin de s'y produire,
D'y ménager ſa place au hazard de me nuire.
Auſſi j'en fus banni ſous un titre d'honneur;
Et pour ne me plus voir, on me fit gouverneur. [3]

# ACTE III.

## *SCENE TROISIEME.*

## GALBA, CAMILLE, ALBIANE.

GALBA.

Quand la mort de mes fils déſola ma famille,
Ma niece, mon amour vous prit dès lors pour fille,
Et regardant en vous les reſtes de mon ſang,
Je flattai ma douleur en vous donnant leur rang.
Rome, qui m'a depuis chargé de ſon empire,
Quand ſous le poids de l'âge à peine je reſpire,
A vû ce même amour me le faire accepter,
Moins pour me ſeoir ſi haut, que pour vous y porter. [4]
Non que, ſi juſques-là Rome pouvoit renaître,
Qu'elle fût en état de ſe paſſer de maître,
Je ne me cruſſe digne en cet heureux moment
De commencer par moi ſon rétabliſſement. [5]

[1] Suſpectum ſemper inviſumque dominantibus, qui proximus deſtinaretur. *Tacit. Hiſt. I*, 21.

[2] Adulteria, matrimonia, ceteraſque regnorum libidines, avido talium, ſi auderet, ut ſua oſtentantes. *Tacit. Hiſt. I*, 22.

[3] Erat in civitate Sabina Poppæa... Huic mulieri cuncta alia fuere, præter honeſtum animum... Sermo comis, nec abſurdum ingenium: modeſtiam præferre, & laſcivia uti.... Famæ numquam pepercit, maritos & adulteros non diſtinguens: neque affectui ſuo, aut alieno obnoxia, unde utilitas oſtenderetur, illuc libidinem transferebat... Igitur eam.... Otho pellexit juventa ac luxu, & quia flagrantiſſimus in amicitiâ Neronis habebatur.. Accepto ad *Neronem* aditu, Poppæa primùm per blandimenta & artes valeſcere, imparem cupidini, & formâ Neronis captam ſimulans... Dejicitur familiaritate ſuetâ, pòſt congreſſu & comitatu Otho; & poſtremò, ne in urbe æmulatus ageret, provinciæ Luſitaniæ præficitur. *Tacit. Annal. XIII*, 45 & 46.

[4] *Hæc Cl. Corneille ex* Tacit. Hiſt. I. 15. *imitatus eſt.*

[5] Si immenſum imperii corpus ſtare, ac librari ſine rectore poſſet, dignus eram, a quo reſpublica inciperet. *Tacit. Hiſt. I*, 16.

Mais cet Empire immenſe eſt trop vaſte pour elle,
A moins que d'une tête, un ſi grand corps chancelle;
Et pour le nom des rois ſon invincible horreur
S'eſt d'ailleurs ſi bien faite aux loix d'un Empereur,
Qu'elle ne peut ſouffrir, après cette habitude,
Ni pleine liberté, ni pleine ſervitude. [1]
Elle veut donc un maître, & Néron condamné
Fait voir ce qu'elle veut en un front couronné.
Vindex, Rufus, ni moi, n'avons cauſé ſa perte,
Ses crimes ſeuls l'ont faite, & le ciel l'a ſoufferte. [2]
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
Juſques à ce grand coup, un honteux eſclavage
D'une ſeule maiſon nous faiſoit l'héritage.
Rome n'en a repris, au lieu de liberté,
Qu'un droit de mettre ailleurs la ſouveraineté; [3]
Et laiſſer après moi, dans le trône un grand homme,
C'eſt tout ce qu'aujourd'hui je puis faire pour Rome. [4]
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
Jule, & le grand Auguſte ont choiſi dans leur ſang,
Ou dans leur alliance, à qui laiſſer ce rang.
Moi, ſans conſidérer aucun nœud domeſtique,
J'ai fait ce choix comme eux, mais dans la république; [5]
Je l'ai fait de Piſon, c'eſt le ſang de Craſſus,
C'eſt celui de Pompée, il en a les vertus;
Et les fameux héros, dont il ſuivra la trace,
Joindront de ſi grands noms aux grands noms de ma race. [6]

*Ne longior ſim, alia multa omiſerim, egregia tamen; ea maximè, quibus Camilla, ad Othonis, quàm ad Piſonis amorem pronior, utriuſque mores ex Tacito Annal. XIII, 46. & Hiſt. I, 13 & 14 vividè exprimit. De reliquâ tragœdiâ pauca tantum ac præcipua ſeligam.*

*Vinius Othonem ad capeſſendum imperium hortatur*, Act. IV. Scen. 2.

Saiſiſſez-vous d'un trône où le ciel vous deſtine:
Et, pour choiſir vous-même avec qui le remplir,
A vos heureux deſtins aidez à s'accomplir. [7]
L'armée a vû Piſon, mais avec un murmure
Qui ſembloit mal goûter ce qu'on vous fait d'injure; [8]
Galba ne l'a produit qu'avec ſévérité,
Sans faire aucun eſpoir de libéralité. [9]

[1] Neque enim hic, ut in ceteris gentibus quæ regnantur, certa dominorum domus, & ceteri ſervi: ſed imperaturus es hominibus, qui nec totam ſervitutem pati poſſunt, nec totam libertatem. *Tacit. Hiſt. I*, 16.

[2] Sit ante oculos Nero, quem longâ Cæſarum ſerie tumentem, non Vindex cum inermi provinciâ, aut ego cum unâ legione; ſed ſua immanitas, ſua luxuria cervicibus publicis depulere. *Tacit. Hiſt. I*, 16.

[3] Sub Tiberio & Caio & Claudio, unius familiæ quaſi hereditas fuimus: loco libertatis erit, quòd eligi cœpimus. *Tacit. Hiſt. I*, 16.

[4] Nunc eò neceſſitatis jam pridem ventum eſt, ut nec mea ſenectus conferre plus populo Romano poſſit, quàm bonum ſucceſſorem; nec tua plus juventa, quàm bonum Principem. *Tacit. Hiſt. I*, 16.

[5] Auguſtus in domo ſucceſſorem quæſivit; ego in republicâ. *Tacit. Hiſt. I*, 15.

[6] Mihi egregium erat Cn. Pompeii & M. Craſſi ſobolem in penates meos adſciſcere; & tibi inſigne Sulpiciæ ac Lutatiæ decora nobilitati tuæ adjeciſſe. *Tacit. Hiſt. I*, 15.

[7] Novos motus, & clarum Othoni annum obſervatione ſiderum adfirmant. *Tacit. Hiſt. I*, 22.

[8] Per ceteros mæſtitia & ſilentium. *Tacit. Hiſt. I*, 18.

[9] Nec ullum orationi aut lenocinium addit, aut pretium. *Tacit. Hiſt. I*, 18.

Il pouvoit, ſous l'appas d'une feinte promeſſe,
Jetter dans les ſoldats un moment d'allégreſſe; [1]
Mais il a mieux aimé hautement proteſter
Qu'il ſavoit les choiſir, & non les acheter. [2]
Ces hautes duretés à contre-temps pouſſées
Ont rappellé l'horreur des cruautés paſſées,
Lorſque d'Eſpagne à Rome il ſema ſon chemin
De Romains immolés à ſon nouveau deſtin;
Et qu'ayant de leur ſang ſouillé chaque contrée,
Par un nouveau carnage, il y fit ſon entrée. [3]

*Diſcordes verò Vinii & Laconis ſententiæ, quibus infelix Galba præceps in exitium agitur, quantâ vi expreſſæ!* Act. V. Scen. 2.

GALBA.

Hé bien, quelles nouvelles?
Qu'apprenez-vous tous deux du camp de nos rébelles?

VINIUS.

Que ceux de la marine & les Illyriens
Se ſont avec chaleur joints aux prétoriens; [4]
Et que des bords du Nil les troupes rappellées
Seules par leurs fureurs ne ſont point ébranlées. [5]

LACUS.

Tous ces mutins ne ſont que de ſimples ſoldats,
Aucun des chefs ne trempe en leurs vains attentats:
Ainſi ne craignez rien d'une maſſe d'armée,
Où déja la diſcorde eſt peut-être allumée. [6]
Si-tôt qu'on y ſaura que le peuple à grands cris
Veut que de ces complots les auteurs ſoient proſcrits,
Que du perfide Othon il demande la tête, [7]
La conſternation calmera la tempête;
Et vous n'avez, Seigneur, qu'à vous y faire voir,
Pour rendre d'un coup d'œil, chacun à ſon devoir.

GALBA.

Irons-nous, Vinius, hâter par ma préſence
L'effet d'une ſi douce & ſi juſte eſpérance? [8]

VINIUS.

Ne haſardez, Seigneur, que dans l'extrémité, [9]
Le redoutable effet de votre autorité.

[1] Conſtat potuiſſe conciliari animos quantulâcumque parci ſenis liberalitate. *Tacit. Hiſt. I*, 18.

[2] Acceſſit Galbæ vox, pro republicâ honeſta, ipſi anceps, legi a ſe militem, non emi. *Tacit. Hiſt. I*, 5.

[3] Tardum Galbæ iter & cruentum... Introitus in Urbem, trucidatis tot millibus inermium, infauſtus omine. *Tacit. Hiſt. I*, 6.

[4] Legio claſſica, nihil cunctata, prætorianis adjungitur. Illyrici exercitûs electi Celſum infeſtis pilis proturbant. *Tacit. Hiſt. I*, 31.

[5] Germanica vexilla diu nutavere, invalidis adhuc corporibus, & placatis animis, quòd eos a Nerone Alexandriam præmiſſos, atque inde rurſu longâ navigatione ægros, impenſiore curâ Galba refovebat. *Tacit. Hiſt. I*, 31.

[6] Gregarius miles caveri inſuper præpoſitos jubebat. *Tacit. Hiſt. I*, 36.... Nullo tribunorum centurionumve adhortante, ſibi quiſque dux & inſtigator: & præcipuum peſſimorum incitamentum, quòd boni mærebant. *Tacit. Hiſt. I*, 38.

[7] Univerſa jam plebs palatium implebat, mixtis ſervitiis, & diſſono clamore cædem Othonis, & conjuratorum exitium (*ſed tempore Petri Corneille edebatur* exilium) poſcentium. *Tacit. Hiſt. I*, 32.

[8] Galbam duæ ſententiæ diſtinebant. *Tacit. Hiſt. I*, 32.

[9] Titus Vinius manendum intra domum, opponenda ſervitia, firmandos aditus... cenſebat...

Alors qu'il réuſſit, tout fait jour, tout lui cede ;
Mais auſſi, quand il manque, il n'eſt plus de remede.
Il faut pour déployer le ſouverain pouvoir,
Sûreté toute entiere, ou profond déſeſpoir ;
Et nous ne ſommes pas, Seigneur, à ne rien feindre,
En état d'oſer tout, non plus que de tout craindre.
Si l'on court au grand crime avec avidité,
Laiſſez-en rallentir l'impétuoſité.
D'elle-même elle avorte, & la peur des ſupplices
Arme contre le chef ſes plus zélés complices.
Un ſalutaire avis agit avec lenteur. [1]

### LACUS.

Un véritable prince agit avec hauteur :
Et je ne conçois point cet avis ſalutaire,
Quand on couronne Othon, de le regarder faire.
Si l'on court au grand crime avec avidité,
Il en faut réprimer l'impétuoſité,
Avant que les eſprits, qu'un juſte effroi balance,
S'y puiſſent enhardir ſur notre nonchalance ;
Et prennent le deſſus de ces conſeils prudens,
Dont on cherche l'effet, quand il n'en eſt plus temps. [2]

### VINIUS.

Vous détruirez toujours mes conſeils par les vôtres : [3]
Le ſeul ton de ma voix vous en inſpire d'autres,
Et, tant que vous aurez ce rare & haut crédit,
Je n'aurai qu'à parler pour être contredit.
Piſon, dont l'heureux choix eſt votre digne ouvrage,
Ne ſeroit que Piſon, s'il eût eu mon ſuffrage :
Vous n'avez ſoulevé Martian contre Othon,
Que parce que ma bouche a proféré ſon nom ;
Et verriez, comme un autre, une preuve aſſez claire
De combien notre avis eſt le plus ſalutaire,
Si vous n'aviez fait vœu d'être juſqu'au trépas
L'ennemi des conſeils que vous ne donnez pas. [4]

*Inde Vinius ac Laco, cùm in mutuas objurgationes exarſiſſent, Galbæ autem miſeram Principum, inter diverſa ſentientium odia, ſortem queſto, taliter proſequuntur :*

### VINIUS.

J'oſe donc vous redire en ſerviteur ſincere,
Qu'il fait mauvais pouſſer tant de gens en colere, [5]
Qu'il faut donner aux bons, pour s'entre-ſoutenir,
Le tems de ſe remettre, & de ſe réunir,

Placuit perentari animum cohortis, quæ in palatio ſtationem agebat : nec per ipſum Galbam, cujus integra auctoritas majoribus remediis ſervabatur. *Tacit. Hiſt. I*, 32 & 29.

[1] Scelera impetu, bona conſilia morâ valeſcere. *Tacit. Hiſt. I*, 32.

[2] Feſtinandum ceteris videbatur, antequam creſceret invalida adhuc conjuratio paucorum. Trepidaturum etiam Othonem, qui furtim digreſſus, ad ignaros illatus, cunctatione nunc & ſegnitiâ terentium tempus, imitari Principem diſcat. *Tacit. Hiſt. I*, 33.

[3] Hi diſcordes .... Vinius pro M. Othone.... *Piſonem a Galbâ electum* quidam crediderunt, Lacone inſtante. *Tacit. Hiſt. I*. 13 & 14.

[4] Laco... conſilii, quamvis egregii, quod non ipſe adferret, inimicus, & adversùs peritos pervicax. *Tacit. Hiſt. I*, 27.

[5] *Cenſebat Vinius* non eundum ad iratos. *Tacit. Hiſt. I*, 32.

Et laiſſer aux méchans celui de reconnoître
Quelle eſt l'impiété de ſe prendre à ſon maître. [1]
Piſon peut cependant amuſer leur fureur, [2]
De vos reſſentimens leur donner la terreur,
Y joindre avec adreſſe un eſpoir de clémence
Au moindre repentir d'une telle inſolence;
Et, s'il vous faut enfin aller à ſon ſecours,
Ce qu'on veut à préſent, on le pourra toujours. [3]

LACUS.

J'en doute, & crois parler en ſerviteur ſincere,
Moi, qui n'ai point d'amis dans le parti contraire. [4]
Attendrons-nous, Seigneur, que Piſon repouſſé
Nous vienne enſevelir ſous l'état renverſé?
Qu'on deſcende en la place en bataille rangée, [5]
Qu'on tienne en ce palais votre cour aſſiégée,
Que juſqu'au Capitole Othon aille à vos yeux,
De l'Empire uſurpé rendre graces aux dieux;
Et que le front paré de votre diadême,
Ce traître trop heureux ordonne de vous-même?
Allons, allons, Seigneur, les armes à la main,
Soutenir le ſénat & le peuple Romain:
Cherchons aux yeux d'Othon un trépas à leur tête,
Pour lui plus odieux, & pour nous plus honnête. [6]

*Hæc quidem egregia. Non ita feliciter Tacitum invertit.* Act. V. Scen. 6.

Et Camille tient mal ce qu'elle vient de dire,
Ou rend graces pour vous aux dieux d'un autre empire;
Et fatigue le ciel par des vœux ſuperflus,
En faveur d'un parti qu'il ne regarde plus. [7]

*Plurimâ autem arte Tacito uſus eſt, ut miſerabiliorem Galbæ mortem faceret.* Act. V. Sc. 8.

Et Lacus auſſi-tôt étincelant de rage
De voir qu'Othon partout leur ferme le paſſage,
Lance ſur Vinius un furieux regard,
L'approche ſans parler & tirant un poignard . . . . [8]
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
Ce lâche, ſur Galba portant même fureur:
Mourez, Seigneur, dit-il, mais mourez Empereur;
Et recevez ce coup comme un dernier hommage
Que doit à votre gloire un généreux courage. [9]

*Hic in tragœdiæ hiſtoriæve laudes nihil addiderim. Satis ſit tam egregia*

[1] Detur malorum pœnitentiæ; detur bonorum conſenſui ſpatium. *Tacit. Hiſt. I*, 32.

[2] Præmiſſus in caſtra Piſo. *Tacit. Hiſt. I*, 34. *Vide quoque Piſonis orationem.* Hiſt. I, 29 & 30.

[3] Denique eundi ultro, ſi ratio ſit, eamdem mox facultatem: regreſſus, ſi pœniteat, in alienâ poteſtate. *Tacit. Hiſt. I*, 32.

[4] Repugnantem huic ſententiæ Vinium, Laco minaciter invaſit. *Tacit. Hiſt. I*, 33.

[5] Non exſpectandum, ut compoſitis caſtris, forum invadat, & proſpectante Galba, Capitolium adeat. *Tacit. Hiſt. I*, 33.

[6] Proinde intuta, quæ indecora: vel ſi cadere neceſſe ſit, occurrendum diſcrimini. Id Othoni invidioſius, & ipſis honeſtum. *Tacit. Hiſt. I*, 33.

[7] Ignarus interim Galba, & ſacris intentus, fatigabat alieni jam imperii deos. *Tacit. Hiſt. I*, 29.

[8] Agitaſſe Laco, ignaro Galbâ, de occidendo T. Vinio dicitur, ſive ut pœna ejus animos militum mulceret, ſeu ut conſcium Othonis credebat, ad poſtremum vel odio. *Tacit. Hiſt. I*, 39.

[9] Obvius e Germanicis militibus Vitellium infeſto ictu, per iram, vel quò maturiùs ludibriis eximeret . . . appetiit. *Tacit. Hiſt. III*, 84.

*ſpecimina propoſuiſſe, & illuſtriſſimis Petri Corneille atque Joannis Racine exemplis, doctæ imitationis rationes & utilitates adprobaviſſe.*

Adulteria, matrimonia ] Fruſtra Gronovius tentat, *adulteria, pædagogia*: Ryckius, *adulteria matronarum.* Hìc Othonis intimi ipſam Neronis in matrimoniis licentiam arguunt. In Mſ. Bud. *adultera matrimonia;* quod probabat Lipſius. Mox mallet *ceteraque regnorum;* quaſi gloſſam præferret, *ceteraſque regnorum libidines.*

Computantium ] Tentat Cl. Erneſtus, *comparantium.* Sed minimè neceſſariò, ut ipſe fatetur.

Libentius obscura credentis ] In Mſſ. & veteribus editionibus, *credi.* Erneſtus, e conjecturâ Pichenæ, edidit, *credendi.* Meliùs *credentis*, ut rerum ſeries, ac verborum junctura poſtulat. Sic quoque volebant eruditi viri, Petavius & Huetius.

CAP. XXIII. Eniterentur ] Optimè Mſſ. editio princeps & recentiores. Malè Puteolanus, *emitterentur.* Unde Pichena tentabat, *emetirentur.*

CAP. XXIV. Speculatori ] Malè Puteolanus, *ſpiculatori.*

CAP. XXV. Tesserarium ] Malè Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *teſſeranum.* Mox Mſſ. Bodl. Guelf. & Puteolanus, peſſimè habent *octonem eodem* pro *optionem eorumdem.*

Pauci adsciti ] Bene veteres & recentiores editiones. In mediis quibuſdam, *paucis aſcitis.*

Accenderet ] Mſ. Corb. *accenderent.*

In commune ] Ita Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. & veteribus editionibus, *in communi.*

Militiæ terrebantur ] Pichena edidit, *exterrebantur;* at non ſatis favet Mſ. Flor. in quo primâ manu fuit ſcriptum *militi ētrebantur;* & recentiore tantùm manu ſuperpoſitum *exterrebantur*, ut obſervat Jac. Gronovius.

CAP. XXVI. Auxiliorum ] Sic ferme omnes Mſſ. Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Reg. & editione principe, *auxiliariorum.*

Postero Iduum die ] Ita libri editi, ac omnes ferme Mſſ. In Mſ. Flor. *poſtero Iduum dierum.* At apud Romanos inſolens omnino eſt loquendi genus, *poſtero Iduum die*, aut *poſtero Kalendarum die.* Ideo tentabat Cl. Erneſtus, *poſtero ſtatim die*, ita ut ſenſus ſit, *poſtero adoptionis die.* Quod quidem durum videtur: remotior enim eſt adoptionis memoria. Itaque exiſtimo ſcriptum fuiſſe olim, *pr. Id.* inde conſictum fuiſſe librariorum errore, *poſtero Iduum die*, cùm legendum foret, *pridie Idus.* Idque innuit Suetonius, in Othon. VI, *Erat animus*

poſt

*poſt adoptionem ſtatim caſtra occupare, cœnantemque in palatio Galbam aggredi.* Piſo adoptatus fuerat die decimâ Januarii. Dies verò duodecima erat pridie Idus. Citò ergo parata apud malos ſeditio, apud integros diſſimulatio.

CAP. XXVII. MILLIARIUM AUREUM ] Præcipua fuit Romanorum in ſternendis muniendiſque viis magnificentia, quas milliariis diſtinxere. De illo uſu pauca diſſeram.

## *De Milliario aureo.*

PRIMUS C. Gracchus, circa annum Urbis conditæ DCXXV, vias per milliaria dimenſus, columnas lapideas, diſtantiarum ſigna, locavit, κίονας λιθίνους σημεῖα τοῦ μέτρου κατέστησεν, Plutarch. in Gracch. pag. 838. Milliaria illa conſtabant mille paſſibus, ſeu quinque millibus pedum Romanorum, menſuræ noſtræ Gallicæ 756. *toiſes.* A pomerio, portiſve Urbis numerabantur. Deinde Auguſtus, optimi cujuſque inſtituti æmulator & perfector, novam in reficiendis dirigendiſque viis operam poſuit, &, anno U. C. DCCXXXIV, milliarium aureum fecit, τὸ χρυσοῦν μίλιον κεκλημένον ἔστησε, Dio, LIV, pag. 526. Aureis literis ei inſcripta fuiſſe præcipuarum urbium intervalla exiſtimat P. Eſchinardi, *Agro Romano*, cap. 3. Alii aureum totum fuiſſe volunt. Illud in capite fori Romani, ac proinde in celeberrimâ Urbis parte, poſuit Auguſtus, ut, ſplendido ſuperboque aſpectu, Urbis victricis & Italiæ terrarum orbi dominantis memoria ſemper occurreret. In hoc milliarium vias militares Italiæ omnes deſiiſſe teſtatur Plutarchus, in Galbâ, pag. 1064, Ἐβάδιζεν εἰς ἀγορὰν, οὗ χρυσοῦς εἱστήκει κίων, εἰς ὃν αἱ τετμημέναι ὁδοὶ πᾶσαι τελευτῶσιν. Unde patet, non ab illo milliario, ſed ab Urbis pomerio, ſeu veteri portarum ſitu ante productionem mœniorum ab Aureliano factam, itinerum menſuras incœpiſſe, ut optimè advertit eruditus Fabretti, *de Aquis & Aquæductibus veteris Romæ*, pag. 136. Idem plurimis experimentis conſtat. Labentibus tamen ſæculis, quidam ſcriptores itinerum menſuras ab aureo milliario repetiere, utì videre eſt apud Cl. de la Nauze, *Mémoires de l'Académie Royale des Inſcriptions*, Tom. XXVIII, pag. 388 & ſeqq. Alia eſt menſura, apud Juriſconſultos pervulgata, & in judiciis uſurpata, quæ neque ab Urbis pomerio, neque a milliario aureo initium ducebat, ſed a continentibus ædificiis, Gallicè *l'extrémité des fauxbourgs.* De hac menſurâ Macer, Digeſt. libr. L. Tit. 16. *de Verborum ſignificatione*, Leg. 154, *Mille paſſus non a milliario Urbis, ſed a continentibus ædificiis numerandi ſunt.*

Nunc verò, cùm jam dudum Romanos in ſternendis viis ſimus æmulati, eos nunc in ſignandis milliariis imitemur, id unum ſupereſt, ut ante Pariſienſem B. V. MARIÆ ædem, unde ducta itinerum initia,

exſurgat milliarium aureum, nomine LUDOVICI XV inſigne, cujus providentià magnificentiàque factum, ut viarum multitudine, amplitudine, commoditate & umbraculis Romanos vicerimus.

SUB ÆDEM SATURNI ] Ita vulgò Mſſ. Puteolanus & reliqui omnes. In Mſ. Reg. & editione principe, *ſub æde.* Sic quoque Suetonius in Othone, VI, *in foro ſub æde Saturni.*

TOTIDEM FERME ] Mſ. Reg. *totidem non.* Editio princeps, *totidem e.*

CLAMORE ET GLADIIS ] Muretus aliique mallent, *& gaudiis*, vel *& gaudio.* Sed de ſtrictis criſpantibuſque gladiis rectè intelligitur.

CAP. XXIX. FORMIDINEM AUGENTES ] Ita vulgò Mſſ. & libri omnes editi, præter Jac. Gronovium, qui e Mſ. Flor. edidit, *formidine.*

PERTENTARI ANIMUM ] Ita Mſſ. Puteolanus & Recentiores. In editione principe, *prætentari*, ut & volebat Lipſius: nec ſanè foret abſurdum. Rhenanus, *tentari.*

REIPUBLICÆ FATO ] Bene Puteolanus. Perperam in Mſſ. Flor. Reg. Agr. & editione principe, *fatum.*

ADVERSAS RES EXPERTUS ] Bene Ryckius e Mſ. Flor. In Mſſ. Bodl. Jeſ. omiſſum, *res.* Additum in Mſ. Harl. Malè Mſ Reg. & editio princeps, *adverſam remp.* Mox habent, *ſecundas.* In mediis quibuſdam editionibus, *adverſa .... ſecunda.*

CUM MAXIME DISCAM ] Optimè Freinshemius. In Mſſ. Flor. Reg. Agr. Corb. & editione principe, *cum maxime dicam.* Mſſ. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *tum maximè.* Rhenanus, *ducam.*

CAP. XXX. SOLIS GLORIATUR ] Mſſ. Harl. Jeſ. *ſolus gloriatur.*

MULIEBRI ORNATU ] Mſ. Corb. *muliebri animo.*

MERERETUR ] Acidalius, Erneſtus mallent, *meretur.*

SPECIE LIBERALITATIS ] Mſſ. Harl. Bodl. & editiones veteres, *ſpeciem.* In Mſ. Jeſ. *ſpē.* Rhenanus rectè emendavit *ſpecie.*

DONARE NESCIET ] Mſ. Reg. & editio princeps, *donare neſcius.* Quod plurimùm placet.

COMESSATIONES ] Ita vulgò Mſſ. & veteres editiones. In recentioribus, *comiſſationes.*

VANA NOMINA SUNT ] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Corb. Puteolanus & Recentiorum plurimi. Mſſ. Flor. Reg. Bud. Agr. editio princeps, Ryckius & Gronovius, *vacua nomina ſunt.*

AD NOS SCELERUM .... BELLORUM AD VOS ] Ita vulgò Mſſ. Puteolanus & Recentiores omnes; ac bene quidem. In editione principe bis repetitum *ad nos.* Mſ. Harl. *ad vos ſcelerum ... bellorum ad nos.*

QUOD INNOCENTIBUS ] Mſ. Reg. & editio princeps, *quod pro innocentibus.*

Perinde a nobis ] Bene Mſ. Harl. & recentiores editiones. Malè in veteribus, *proinde*.

CAP. XXXI. Forte magis ] Optimè Pichena & Recentiores e Mſ. Flor. in quo corruptè, *eventior te* pro *evenit forte*. In Mſ. Corb. & editione principe, *evectior re*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *timore magis*.

Nullo adhuc consilio ... quam quod ] Peſſimè libri ſcripti & editi, *nonnullo adhuc conſilio ... quod*. Locum hunc optimè reſtituit Illuſt. Huetius, quem ultro ſequor. Huetianam emendationem ſubolfecerat Freinshemius, qui totum hunc locum ita refingebat, *more magis, & nullo adhuc conſilio ... quam ut poſtea creditum eſt*.

Parat signa ] Ita libri omnes editi, & vulgò Mſſ. At cùm habeant Mſſ. Flor. Bud. *par ſignas*, Erneſtus, ut & alii, tentant, *pars ingens*. Atque quidem ſic legitur in Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Sed in Mſ. Harl. emendatum, *parat ſigna*.

Vipsania in porticu ] Bene Mſ. Flor. & recentiores editiones. In Mſ. Reg. & editione principe, *Vipſano*. Puteolanus, *Vipſanii*.

Arcesserent ] Bene Mſ. Jeſ & recentiores editiones. Editio princeps, *accerſirent*. Mſſ. Harl. Bodl. & Puteolanus, *accerſerent*.

Diffidebatur ] Bene Erneſtus e Mſ. Guelf. in quo ita ſcriptum primâ manu; poſtea *ur* eraſum; communi errore Mſſ. & veterum editionum, quæ habent, *diffidebat*. Mſ. Jeſ. *diſfidebant*. Sed *n* cenſorio puncto notatum.

Cetrius Severus ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Guelf. Corb. & editio princeps. Puteolanus, ac deinde ceteri omnes, *Cerius*. At mox ipſe Puteolanus habet, *Cetrium*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *Cerrius*. Emendatum in Mſ. Harl. *Cetrius*.

Et necdum adulta ] Ita Mſ. Flor. Gronovius & Recentiores. In Mſſ. Corb. Reg. & editione principe, *& nedum*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *& nondum*.

Ingestis pilis ] Sic Mſſ. Reg. Bud. Agr. editio princeps & Erneſtus. Mſſ. Flor. & Corb. *inceſtis*. Mſſ. Harl. Bodl. & Puteolanus, *infeſtis*.

CAP. XXXII. Conjuratorum exitium ] In Mſſ. & veteribus editionibus, *exilium*. Acidalius rectè monuit emendandum, *exitium*: quod Erneſtus & Recentiores meritò recepere. Nam mox cap. 37. Otho, milites adloquens, ait: *Auditiſne, ut pœna mea, & ſupplicium veſtrum ſimul poſtulentur*.

CAP. XXXIII. Non exspectandum ] Ita libri omnes. Tentat tamen Freinshemius, *an exſpectandum*. Jac. Gronovius, *num exſpectandum*.

Domum cludit ] Sic Mſ. Reg. Lipſius & Recentiores. In Mſ. Corb. & editione principe, *excludit.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *claudit.*

Indignatio languescat ] Mſ. Flor. *indignatione langueſcat.* Inde volebat Jac. Gronovius, *indignatio elangueſcat.* Mſ. Corb. *langueſcit.*

CAP. XXXIV. Et incuriosos ] Mſ. Corb. *& curioſos.*

Falso vulgaverint ] Ita libri omnes, præter Beroaldum, qui edidit, *vulgaverant.*

CAP. XXXV. Ruere intus, ac se ] Optima diſtinctio. Fruſtra tentant Acidalius ac Ryckius, *ruere, intus ac ſe &c.*

Querentes. Ignavissimus quisque ] Hæc conjungit Heinſius. Conjuncta quoque habet editio princeps, ut & Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf. Non malè diſtinxit Puteolanus, quem omnes ſunt ſecuti.

Nimii verbis ] Mſſ. Guelf. & Reg. *nimiis.*

Linguæ feroces ] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Reg. *ferocis.*

Irruenti turbæ ... sistens ] In Mſ. Bud. quem ſecutus eſt Rhenanus, *irruente turbâ.* In Mſſ. Reg. Agr. Corb. & editione principe, *irruenti turbæ ... inſiſtens.* Unde Faerno, Lipſio, aliiſque non immeritò placet, *reſiſtens.*

Exclamavit ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. editiones veteres & recentiores. Beroaldus, *clamavit.*

CAP. XXXVI. Caveri ] Muretus malebat, *cavere.*

Prensare manibus ] Mſſ. Flor. Reg. Corb. & editio princeps, *preſſare.* In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *prehenſare.* Vera ac genuina Taciti ſcriptura, ut rectè obſervant Gronovius & Erneſtus, *prenſare.*

Complecti armis ] Emendâbat Muretus, *complecti arctius.* Sed optimè, *complecti armis.* Eos enim, militari more, *admotos pectori*, ſcuto armiſque tectos amplexabantur. Sic Virgilius, Æneid. XII, 433.

*Aſcanium fuſis circùm complectitur armis.*

Classicorum ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. Bud. Agr. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *claſſiariorum.* Inde patet inanem eſſe Pichenæ & eruditi Fabretti, *de Columnâ Trajani*, cap. III. pag. 84. obſervationem, milites iſtos *claſſiarios* appellari, non verò *claſſicos*, quia ex eâ legione erant, *quam e claſſe Nero conſcripſerat*, non autem legio Claſſica.

CAP. XXXVII. Vocare sustineo ] Bene Mſſ. veteres ac recentiores editiones. Rhenanus, *vocari.*

Cujus lenitatis est ] Bene Mſſ. Flor. Bodl. Harl. Jeſ. Agr. Guelſ. Ryckius & Recentiores. In Mſ. Reg. & veteribus editionibus, *levitatis*. Acutiùs dictum, *lenitatis*, & ad ſequentia magis accommodatum.

Innocentissimorum militum ] Ita Mſ. Corb. editio princeps & Pichena. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *innocentiſſimorum civium*. At hìc de militibus agitur. Sic ſuprà cap. 6. *trucidatis tot millibus inermium militum.*

Obultronii Sabini ] De quo jam ſuprà Annal. XIII, 28. Corruptè. Mſ. Corb. *Abultroniis Abini*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *Obultronii Albini.*

Cornelii Marcelli ] Bene Mſ. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & a Puteolano omiſſum, *Cornelii.* Cornelius Marcellus jam memoratus eſt ſuprà Annal. XVI, 8.

Betui Chilonis ] Bene Mſſ. Flor. Corb. Bodl. In Mſ. Reg. & editione principe, *Bethui Chilonis*. Corruptè Puteolanus, *Bervichilonis.* Perperam Rhenanus emendavit *Vettii Chilonis*. In Inſcriptione vetere apud Gruterum, pag. CCCLXXV. num. 4.

C. BETVO. C. F. TRO<br>
CILONI. MINVCIANO<br>
VALENTI. &C.

Et Helii et Haloti ] Helius jam memoratus ſuprà Annal. XIII, 1. Haloti quoque facta mentio Annal. XII, 66. & apud Suetonium in Galbâ, XII. Locum hunc optimè reſtituit Ryckius. Corruptè antea *& Egi & alii;* aliudve pejus.

Ac licentia ] Ita Mſſ. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *aut licentiâ.*

CAP. XXXVIII. Infaustam adoptionem aversantes ] Bene Mſ. Agr. Muretus & Pichena. Sic ſuprà Tacitus Annal. I, 28. *Sibi æternum laborem portendi, ſua facinora averſari deos lamentantur*; & infrà Hiſt. III, 25, *parricidam averſarentur*. Mſſ. & libri ferme omnes editi, *adverſantes.*

Nec una cohors ] Mallet Erneſtus, *nec illa cohors.*

Aperire. ] Pichena emendavit *aperiri*. Latinè quidem. Sed & *aperire* retineri poteſt, ſi intelligatur *eos*. In omnibus Mſſ. *aperire.*

CAP. XXXIX. Ad postremum ] Bene Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. & veteribus editionibus, *ad poſterum.*

CAP. XL. Vologesen ] Ita Beroaldus & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & veteribus editionibus, *Vologeſum.*

Rapidis equis ] Mſ. Flor. *rapidi equis.*

CAP. XLI. Comitantis Galbam cohortis ] Non malè Rhenanus. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *Comitantes Galbæ cohortis.* In Mſ. Bodl. emendatum, *comitantis.* In Mſ. Flor. *comitatæ Galbam coh.* Unde Erneſtus recepit, *comitatæ.* In Mſ. Reg. & veteribus editionibus, *comitatus Galbæ cohortis.*

Atilium Vergilionem ] In Mſ. Reg. *Adilium Virgilionem.* Idem prænomen habet Mſ. Flor. In editione principe, *adillum.* Inde tentabat Gronovius *A. Dilium Vergilionem.* In Mſ. Corb. *Acilium Virgilionem.* Puteolanus emendavit *Atilium.* Plutarcho, in Galbâ, pag. 1065, dicitur. Αἰτίλλιος Σερκέλλων.

Dereptam ] Bene Rhenanus & Recentiores. In veteribus editionibus, *direptam.*

Adflixit ] Ita Puteolanus. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. & editione principe, *affixit.* Emendatum in Mſ. Harl. *afflixit.*

Destricta ] Bene Mſ. Reg. editiones veteres & Ryckius. In mediis editionibus, *diſtricta.*

Curtii lacum ] Ita Mſſ. Flor. Agr. editio princeps & recentiores. In Mſ. Reg. *Curti lacum.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *Curtium lacum.*

Si ita e republica videretur ] Sic emendavit Puteolanus, quem ceteri omnes ſunt ſecuti. In Mſ. Flor. *ſi ita rep. videretur.* In Mſſ. Corb. Agr. & editione principe, *ſi ita reip. videretur.* Tentabant Ryckius & Jac. Gronovius, *ſi id e republica videretur.*

Alii Lecanium ] Ita vulgo Mſſ. & Puteolanus. In Mſ. Reg. & editione principe, *Decanium.* Arcadius quoque & Fabius Fabulus interfectores ab aliis memorantur, teſte Plutarcho in Galbâ, pag. 1067.

Nam pectus tegebatur ] Mſ. Corb. *tegebat.* Inde fortè in Mſ. Agr. *nam pectus thorax tegebat.*

Corpori adjecta ] Mallet Groſlotius, *adacta.*

CAP. XLII. Conscientia conjurationis ] Ita libri omnes. Fruſtra tentant Acidalius & Erneſtus, *conſcientiam.*

Julio Caro ] Sic Mſſ. Flor. Guelf. Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Reg. Corb. & editionibus veteribus, *Julio Cario.*

CAP. XLIII. A Galba custodiæ Pisonis additus ] Optimè emendavit Lipſius; & ſuffragatur vel corrupta Mſ. Flor. ſcriptura: *Galba Cuſtodi & a Piſonis additus.* Mſſ. Farneſ. Reg. Corb. & editio princeps, *ac Galbæ cuſtodiæ a Piſone additus.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *ad Galbæ cuſtodiam a Piſone additus.* At Galbæ erat, non Piſonis, addere cuſtodiam. Exiſtimo errorem a ſciolo aliquo profectum, qui, cùm in Plutarcho pag. 1065, in Dione, LXIV, pag. 730, legeret Galbam a Sempronio Denſo, quem Plu-

tarchus perperam appellat ἴνδιςρον, fuiſſe defenſum, Sempronium ad Galbæ cuſtodiam a Piſone additum credidit. Porro Galbam, an Piſonem, defendit Sempronius? Certè potior videtur Taciti auctoritas. Nec ullum Galbæ defenſorem memorat Suetonius.

OCCURRENS ARMATIS ] Bene Mſſ. Reg. Corb. Guelf. Harl. Bodl. Jeſ Rhenanus & Recentiores. In editione principe, *armis*. Puteolanus, *armatus*.

CUM ADVENERE ] In Mſ. Reg. & editione principe, *cùm advenirent*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. & Puteolanus, *tum advenere*. Rhenanus & Recentiores, *cùm advenere*.

MISSU OTHONIS ] Ita Mſſ. Flor. Guelf. Harl. Bodl. Jeſ. & editiones veteres ante Rhenanum, qui edidit *juſſu*. In Mſſ. Reg. & Corb. *miſſi Othonis*.

CAP. XLIV. VACARE GAUDIO ] Sic veteres & recentiores editiones. Lipſius e Mſ. Vatic. emendaverat, *vagare*. Idem habet Mſ. Flor. & quidem elegantiſſimè. In Mſ. Corb. *vagari*. Ceteri Mſſ. *vacare*.

CAPITA GESTABANTUR ] Ita Beroaldus & Recentiores. In veteribus editionibus, *geſtantur*. In Mſſ. Harl. Bodl. Guelf. omiſſum verbum. In margine Mſ. Bodl. additum, *geſtabantur*.

QUI VERE, QUI FALSO ] Bene editio princeps & recentiores. Sic quoque Mſ. Corb. aliique a Lipſio laudati. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *quive verè*, *qui falsò*.

PRÆMIA EXPOSCENTIUM ] Mſſ. & editio princeps, *præmium*. Puteolanus, ac deinde ferme omnes, *præmia*.

TRADITO PRINCIPIBUS ] Fruſtra tentat Lipſius, *traditâ Principibus more*, *munimentum ad præſens*, *in poſterum ultione*. Nihil eſt difficultatis in vulgatâ Mſſ. & librorum editorum ſcripturâ. Intelligendum tantummodo *eſſe*: nempe ultionem in poſterum eſſe munimentum ad præſens.


CAP. XLV. EXOSCULARI OTHONIS ] Bene Mſ. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *& oſculari*.

AD PROHIBENDUM SCELUS; JUBERE JAM POTERAT ] Hæc deſunt in Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Addita ſunt margini Mſ. Harl. Ea habent libri omnes editi.

CAP. XLVI. FLAVIUM SABINUM ] Cùm plurima ſit in horum temporum hiſtoriis Flavii Sabini, Veſpaſiani, & Flaviorum memoria, eorum ſtemma hìc proponam, tantò illuſtrius, quòd imperio ſimul ac ſanctitate inclaruit.

## *STEMMA FLAVIORUM,*

*imperio & ſanctitate nobile.*




## *STEMMA FLAVIORUM ILLUSTRATUM.*

1. TITUS FLAVIUS PETRONIUS, municeps Reatinus, *Rieti*; bello civili Pompeianarum partium centurio. Sueton in Veſpaſian. I.

2. TERTULLA, uxor T. Flavii Petronii, avia Veſpaſiani, Imperatoris, quem educavit. Sueton. in Veſpaſian. II.

3. TITUS FLAVIUS SABINUS, Petronii & Tertullæ filius: publicum quadrageſimæ in Aſiâ egit tantâ integritatis famâ, ut imagines a civitatibus ei ponerentur ſub hoc titulo ΚΑΛΩΣ ΤΕΛΟΝΗΣΑΝΤΙ. Sueton. in Veſpaſian. I.

4. VESPASIA POLLA, uxor T. Flavii Sabini. Sueton. in Veſpaſian. I.

5. N. filia T. Flavii Sabini & Veſpaſiæ Pollæ, intra primum annum mortua. Sueton. in Veſpaſian. V.

6. TITUS FLAVIUS SABINUS, filius T. Flav. Sabini & Veſpaſiæ Pollæ, frater Veſpaſiani, Imperatoris, præfectus Urbis. Sueton. in Veſpaſian. I & X. Tacit. Hiſt. I, 46. III, 64 & 65.

7. N. uxor Titi Flavii Sabini. Nomen ejus ignoratur. Videtur fuiſſe ex familiâ Arretini Clementis. Tacit. Hiſt. IV, 68.

8. TITUS FLAVIUS SABINUS, T. Flav. Sabini filius, patruelis Domitiani,

Domitiani, qui eum occidit. Sueton. in Domitian. X.

9. JULIA, Titi, Imperatoris, filia, uxor T. Flavii Sabini. A Domitiano primum neglecta, deinde ardentiſſimè dilecta. Sueton. in Domitian. XXII. In nummis IVLIA IMP. T. AVG. F. AVGVSTA. Id eſt, *Julia Imperatoris Titi Auguſti filia Auguſta* IVLIA AVGVSTA DIVI TITI FILIA.

10. PLAUTILLA, T. Flav. Sabini filia, Chriſtianâ religione & ſanctitate inſignis. Ejus memoriam recolit Eccleſia die XX Maii. Vide Acta Sanctorum ad hunc diem.

11. N. Conjux Sanctæ Plautillæ. Nomen ejus ignoratur.

12. FLAVIA DOMITILLA, Sanctæ Plautillæ filia, virginitate & martyrio illuſtris: ejus feſtum diem Eccleſia peragit XII Maii. Euſeb. Hiſt. Eccleſiaſtic. III, 18. Acta Sanctórum ad diem XII Maii.

13. TITUS FLAVIUS CLEMENS, T. Flavii Sabini filius, conſul, collegâ Domitiano Imperatore, anno Urbis conditæ DCCCXLVIII, Jeſu Chriſti 95, poſtea martyrii laureâ, falſo impietatis crimine, a Domitiano donatus. Dio, LXVII. pag. 766. Ob Chriſtianam pietatem *contemptiſſimæ inertiæ* accuſatus a Suetonio in Domitian. XV. Huc ſpectat Tacitus, Vit. Agricol. XLV. Corpus ſanctiſſimi martyris inventum eſt Romæ die 22. Januarii, anno 1725, in baſilicâ S. Clementis, papæ & martyris, in Cælio monte. Illud tranſtulit Benedictus XIII; cuſuſque Pontificis maximi nummus, in averſâ parte inſcriptus:

CORPORE
SANCTI FLAVI
CLEMENTIS
EXCONSVLIS
ET. MARTYRIS
TRANSLATO
M DCCXXVII.

Vide elegantiſſimam & eruditam P. de Vitry diſſertationem, *Titi Flavii Clementis viri conſularis & Martyris tumulus illuſtratus*, Urbini editam anno 1727.

14. FLAVIA DOMITILLA, filia Flaviæ Domitillæ, Veſpaſiani Imperatoris neptis, uxor S. T. Flavii Clementis, ipſa ob Chriſtianam religionem, ſed falſo impietatis nomine, in Pandatariam inſulam a Domitiano relegata. Dio, LXVII. pag. 766. Huc quoque ſpectat Tacitus, Vit Agric. XLV. Gruterus, pag. CCXLV. num. 5. inſigne ejus monumentum habet, olim in baſilicâ S. Clementis, nunc in ædibus Capitolinis, adſervatum.

FLAVIA. DOMITILLA. FILIA. FLAVIAE. DOMITILLAE
IMP. CAES. *Veſpaſi*ANI. NEPTIS. FECIT. GLYCERAE. L. ET
LIBERTIS. LIBERTABVSQVE. POSTERISQVE. EORVM. CVRANTE
T. FLAVIO. ONESIMO. CONIVGI. BENEMER.

Philoſtratus, Vit. Apollon. VIII, 25. eam appellat Domitiani ſororem, ἀδελφὴν; ſed mendosè, aut fortè librariorum errore: emendandum ἀδελφιδῆν, ut rectè monuit Olearius.

15. VESPASIANUS, Sancti T. Flavii Clementis & Flaviæ Domitillæ filius, quem Domitianus, Imperator, ſucceſſorem deſtinavit, & Quintiliano erudiendum tradidit. Sueton. in Domit. XV. Quintilianus, Inſtitut. Orator. IV. in procem. Rariſſimum Veſpaſiani nummum Græcum, a Smyrnæis cuſum, protulit Harduinus, *Selecta Opera*, pag. 733. Ex unâ parte, ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ ΝΕΩΤΕΡΟΣ, id eſt *Veſpaſianus junior*, capite nudo. Ex alterâ, ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. Victoria ſtans coronam offert. Alii multi poſtea hunc nummum publicavere.

16. DOMITIANUS, Sancti T. Flavii Clementis & Flaviæ Domitillæ filius, Veſpaſiani frater, & ipſe imperii ſucceſſor deſtinatus, ac Quintiliani diſciplinæ traditus. Sueton. Quintilianus, loc. cit.

17. TITUS FLAVIUS VESPASIANUS, IMPERATOR, cujus fortunam factaque memorat Tacitus in Hiſtoriarum libris V. Sueton. in Veſpaſ. aliique. In nummis IMP. CAESAR VESPASIANVS. AVGVSTVS.

18. FLAVIA DOMITILLA, Flavii Liberalis filia; primùm Statilii Capellæ, equitis Romani, delicata, deinde Veſpaſiani, Imperatoris, uxor. Sueton. in Veſpaſian. III. In nummis DIVA DOMITILLA AVGVSTA.

19. TITUS, IMPERATOR, Veſpaſiani, Imperatoris, & Flaviæ Domitillæ filius: *amor ac deliciæ generis humani* meritò dictus. Sueton. in Tit. I. In nummis, IMP. TITVS CAESAR VESPASIANVS AVGVSTVS.

20. ARRICIDIA, Tertulli, equitis Romani filia, Titi, Imperatoris, uxor. Sueton. in Tit. IV.

21. MARCIA FURNILLA, ſplendidi generis, Titi, Imperatoris, uxor. Sueton. in Tit. IV.

9. JULIA, Titi, Imperatoris, & Marciæ Furnillæ filia, uxor Titi Flavii Sabini. De quâ dictum eſt ſuprà num. 9.

22. DOMITIANUS, IMPERATOR, Veſpaſiani, Imperatoris, & Flaviæ Domitillæ filius, Titi frater. Sueton. in Domit. In nummis IMP. CAESAR DOMITIANVS AVGVSTVS GERMANICVS.

23. DOMITIA LONGINA, Cn. Domitii Corbulonis filia, primùm L. Ælio Plautio Lamiæ nupta, deinde in Domitiani, Imperatoris, matrimonium abducta. Sueton. in Domitian. I. Dio, LXVI. pag. 746. Fragmenta Fratrum Arvalium, apud eruditum Philippum a Turre, *Monumenta veteris Antii*, pag. 96. In nummis DOMITIA AVGVSTA IMP. DOMIT. Id eſt *Domitia Auguſta Imperatoris Domitiani conjux*. In Herculanenſibus ruinis reperta inſcriptio, quam publicavit eruditus Eques de Venuti. *Deſcrizione delle prime ſcoperte dell' antica città d'Ercolano*, pag. 83.

DOMITIAE. CN. F.
DOMITIANI. CAESARIS
D. D.

24. N. Domitiani, Imperatoris & Domitiæ Longinæ filius, puer mortuus, & inter deos relatus. Sueton. in Domitian. III. Silius Italicus, III. verſ. fin. In nummo apud Triſtanum, *Commentaires Hiſtoriques*, Tom. I. pag. 348, puer orbi inſidet inter ſtellas. DIVVS CAESAR IMP. DOMITIANI F. Id eſt, *Divus Cæſar Imperatoris Domitiani filius.*

25. FLAVIA DOMITILLA, Veſpaſiani, Imperatoris, & Flaviæ Domitillæ filia, Titi & Domitiani, Imperatorum, ſoror: mortua ante patris ſui principatum. Sueton. in Veſpaſian. III.

26. N. Flaviæ Domitillæ, Veſpaſiani filiæ, conjux. Nomen ejus ignoratur.

14. FLAVIA DOMITILLA, Flaviæ Domitillæ filia, Veſpaſiani, Imperatoris, neptis; uxor Sancti T. Flavii Clementis, ut dictum ſuprà num. 14. Prima e regnatrice Cæſarum domo Jeſu Chriſti religionem profeſſa, & pro eâ exſilium paſſa. In tantum Flaviæ gentis & Chriſtianæ religionis decus meritò hoc Stemma deſinit.

QUARTA PARS MANIPULI SPARSA PER COMMEATUS ] Optimè Pichena e Mſ. Flor. in quo corruptè, *quarta pars manipulis pars per commeatus.* Ita quoque Mſ. Corb. Agr. & editio princeps. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *pars manipulis, pars per commeatus;* omiſſo *quarta.*

SOCORDIA INSUPER ELANGUERAT ] Ita Pichena e Mſ. Flor. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ſocordia miſer elanguerat.* In Mſſ. Corb. Reg. Agr. *ſocordiâ*, vel *ſecordiâ elanguerat.* Sic quoque editio princeps. Sed in eâ operarum vitio *elangueret.*

AD SEDITIONES ] Ita Mſſ. Flor. Corb. editio princeps, Gronovius & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ſeditionem.*

FISCUM SUUM ] Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. & editio princeps, *& fiſcum ſuum.* Inde J. Gronovius & Recentiores, *fiſcum ſuum.* In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ex fiſco ſuo.* Pronomen *ſuum* Cl. Erneſto ſuſpectum eſt, quòd non alius fiſcus, quàm Cæſaris. Sed fortè Otho promiſit ſe ex privatis ſuis opibus ac proinde ex ſuo, non Principis, fiſco annuas illas militum vacationes exſoluturum.

IN LIBERTUM ] Ita libri omnes, præter Cl. Erneſtum, qui emendavit, *libertinum.* Sed & *libertum* dici poteſt.

CAP. XLVII. NOVISSIMUM MALORUM ] *Malorum* abeſt a Mſ. Jeſ.

ACCURRUNT PATRES ] In Mſ. Jeſ. *occurrunt patres.*

PROMISCUE JACTA ] Perperam Mſ. Reg. & editio princeps, *acta.*

PER STRAGEM ] Bene Mſſ. Agr. Corb. editio princeps & Cl. Lallemand. Sic quoque volebat Muretus. Puteolanus, *per ſtrages.*

CAP. XLVIII. ANNUM EXPLEBAT ] Ita libri omnes. Mallet tamen Erneſtus, *explerat*, quòd de mortuo ſermo ſit. At, ut videtur, XXI ætatis annum Piſo nondum expleverat.

AD HOC ] Mſſ. Harl. Jeſ. & Puteolanus, *ad hæc.*

QUINQUAGINTA SEPTEM ANNOS ] Hæc totidem literis Mſſ. Flor. Agr. Corb. editio princeps, & Ryckius. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *XLVII annos.*

PATER ILLI E PRÆTORIA FAMILIA ] Mſ. Corb. & editio princeps, *pater illi prætoriâ familiâ.* Præpoſitionem addidit Puteolanus.

TEMERASSET ] Bene Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Reg. Corb. & editione principe, *temperaſſet.* Unde Puteolanus *temptaſſet*: alii *tentaſſet;* ut additum margini Mſ. Bodl.

STUPRUM AUSA ] Mallet Erneſtus, *ſtuprum paſſa.* Verùm plus vis ineſt in dictione Cornelianâ.

IN ABRUPTUM TRACTUS ] Mſ. Corb. *raptus.*

AUDAX, CALLIDUS ] Ita libri omnes editi. Jac. Gronovius e Mſ. Flor. mallet, *calidus.* Dixit quidem Livius XXXV, 32, *conſilia calida & audacia. Callidus* tamen in Tacito retinuerim, ceteris libris Mſſ. conſentientibus.

CAP. XLIX. E PRIORIBUS SERVIS ] Mallet eruditus Savilius, *e primoribus ſervis.* Sed *prioribus* habent libri omnes ſcripti & editi. Priores ſervos rectè explicat Erneſtus de ſervis, quos Galba ante principatum habuerat. Argius Plutarcho, in Galbâ, pag. 1066, non ſervus, ſed libertus dicitur, Ἀργεῖος ἀπελεύθερος.

CAPUT PER LIXAS ] In Mſ. Reg. & editione principe, *caput ejus per lixas. Ejus* perperam e ſuperioribus irrepſit.

OBTENTUI ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Bodl. Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. Harl. Jeſ. & veteribus editionibus, *obtinuit.* Sic quoque additum margini Mſ. Bodl.

PROCONSUL AFRICAM ] Ita Mſſ. Corb. Reg. & editiones omnes ante J. Gronovium, qui e Mſ. Flor. edidit *proconſule*: nimio fortè antiquitatis ſtudio.

CAP. L. AD PERDENDUM IMPERIUM ] Malè emendavit Rhenanus, *ad partiendum imperium*; libris omnibus reclamantibus.

FATALITER ELECTOS ] Eleganter dictum. Nec tentandum cum Heinſio, *fataliter evectos.*

SUIS EXERCITIBUS ] Bene Mſſ. & libri omnes editi ante Rhenanum, qui correxit, *ſuis civibus.*

CAP. LI. EXPEDITIONEM ET ACIEM ] Mallet Lipſius, *expeditionem, quàm otium.* At vera Cornelianaque vetus ſcriptura. Nec arte compoſitis ἀντιθέτοις gaudet Tacitus.

Præmia quam stipendia ] Malè tentat Boxhornius, *prædam*. Rutgerſius, *prælia*. Nihil omnino mutandum. Hæc enim frigida: elegans verò Taciti dictio.

Diuque infructuosam... toleraverat ] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & Jac. Gronovius, *diu infructuoſam .... toleraverant*. Fortè ita ſcripſerat Tacitus, qui orationis varietate delectatur. In Mſ. Bodl. copula *que* ſecundâ manu deleta.

Ad usum ] Mſ. Corb. & editio princeps, *ad uſus*. Pòſt malè *ad dedecus*.

Fastidito Vindice ] Perperam tentabat Dionyſius Gothofredus, *fatis dato Vindice*.

Super avaritiam ] Bene Mſ. Flor. Pichena & Recentiores. Sic jam Annal. XIII, 18, *ſuper ingenitam avaritiam*. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Reg. & editionibus veteribus, *ſecundùm avaritiam*.

CAP. LII. In quibus sordem ] Ita libri omnes ſcripti & editi. Nec neceſſariò *ſordes* tentat Acidalius. Singulari Plautus, Cicero, Horatius, aliique ſcriptores optimi uſi ſunt.

Adsignandisve ] Mſ. Corb. & editio princeps, *adſignandiſque*.

Et Vitellius ] Malebat Rhenanus, *& ut Vitellius*. In Mſ. Agr. ſecundâ manu, *ut Vitellius*.

Ita comitatem ] Tentabat Grotius, *id comitatem*.

Aviditate imperandi ] Aviditate ut imperarentur. Paſſivè enim hìc dicitur; ſolito antiquis ſcriptoribus more gerundia activè & paſſivè uſurpandi. Nec aliter locutus eſt Salluſtius, Jugurth. LXVI. *Igitur Jugurtha, ubi armis, viriſque, & pecuniâ ſpoliatus eſt, cùm ipſe ad imperandum*, id eſt *ut ei imperaretur*, *Tiſidium vocaretur, rurſus cœpit flectere animum ſuum, & ex malâ conſcientiâ digna timere.* Pariter Cicero, Epiſt. IX, 25. *Nunc ades ad imperandum, vel ad parendum potiùs: ſic enim antiqui loquebantur. Cantando* pro *dum incantatur* dixit quoque Virgilius, Eclog. VIII, 71.

*Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.*

Vide Servium ad hunc locum. Perperam ergo Ryckius, præceptorem ſuum J. F. Gronovium ſecutus, pro *imperandi*, in Tacito emendavit & edidit, *impetrandi*.

Modesti et quieti ] Mallet Colerus, *immodeſti*, ut *quietis* opponatur. Immo *modeſti & quieti* opponuntur *malis & ſtrenuis*, ut rectè obſervat Cl. Erneſtus.

Et strenui ] Corruptè Mſſ. Harl. Bodl. *& extremi*. In eorum margine additum, *ſtrenui*. Sic quoque fuit in Mſ. Guelf. ut ex Erneſto poteſt conjici.

Sed profusa ] Malè Rhenanus, *& profuſâ*.

Alienus Cæcina ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Agr. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *A. Cæcina*.

Detectam a se ] Bene Puteolanus & Recentiores. Rhenanus, *detectâ . . . cunctatione.* Mſ. Reg. *diſcretam.* Editio princeps, *decretam.*

Et imponere ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus *imponere . . . auferre*, ſine ullâ copulâ, quod placet Cl. Erneſto.

Quam ut speraret ] Ita Mſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Puteolanus & Recentiores. A Mſſ. Corb. Reg. Agr. & editione principe abeſt, *ut.*

CAP. LIII. Scito sermone ] Mſſ. & veteres editiones, *cito ſermone.* Conjiciebat Lipſius, *ſcito.* Erneſtus & Recentiores recepere. Fortè tamen ipſa verborum volubilitas in Cæcinâ laudabatur.

Inlexerat ] Rhenanus, *allexerat*; operarum, ut videtur, errore. Nulli enim ſuffragantur libri.

Unde seditiosa ] Mſ. Corb. *unde & ſeditioſa.*

CAP. LIV. Militum auribus ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Pichena & Recentiores. In aliis Mſſ. & editionibus veteribus, *militum animis.* In Mſ. Jeſ. alterâ manu emendatum, *auribus.*

Adfirmantibus ] Mſſ. Corb. Reg. & editio princeps, *& affirmantibus.* Copulam rectè omiſit Puteolanus.

Nisi ipsi consulerent ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Guelf. & editiones veteres ante Rhenanum, qui emendavit, *ni ſibi conſulerent.* Veterem ſcripturam meritò revocavit Ryckius. In Mſ. Harl. *niſi conſulerent.*

Acrius volvens ] Bene omnes libri ſcripti & editi, præter Rhenanum, qui edidit, *acriùs volens.* Videbimus infrà cap. 64. *Bellum volvebat.*

CAP. LV. Inferioris tamen Germaniæ ] Ita Mſſ. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *inferioris inde Germaniæ.*

Insita mortalibus natura ] Mallet Lipſius, *inſito mortalibus naturâ.* Meritò damnat eos, qui ſequentia ita pervertunt, *non tam properè.* Plebs enim, ut rectè obſervat, ita facta eſt, ut rebus arduis nemo facilè ducem ſe præbeat, comitem quivis. Id unum *in tali re difficillimum eſt, prima vox:* ut dicetur infrà Hiſt. II, 80.

Imagines jecerint ] Mſſ. Harl. Bodl. *jecerit.*

In superiori exercitu ] Ita Mſſ. Bodl. Reg. Corb. & editiones omnes, præter Cl. Erneſtum, qui, ſecutus Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf. omiſit, *exercitu*, ut *ſuperiori* de Germaniâ intelligatur.

Duoetvicesima ] Bene Lipſius e Mſ. Covarruviæ. Sic quoque Mſſ. Flor. & Corb. Perperam Mſ. Guelf. Puteolanus & Recentiores, *duodeviceſima.* Fuit quoque primâ manu in Mſ. Bodl. *duodeviceſima*: ſed alterâ emendatum, *duoetviceſima.* Sic infrà Hiſt. II, 100. Mſſ.

Vatic. Flor. Bodl. habent, *duoetvicesſima*, ubi corruptè alii, *duodevicesſima.*

CUNCTANTER ] Mſ. Corb. *cunctatur.*

MOX CONSENSU ] Sic libri omnes. Fruſtra tentat Rutgerſius, *Lectiones Venuſinæ*, cap. 31, *mox conſenſit.*

SACRAMENTO ADVOCABANT ] Bene Mſ. Corb. editio princeps & recentiores. Puteolanus emendaverat, *in ſenatûs populique Romani obliterata jam nomina, ſacramenta advocabant. Sacramenta* quidem habent Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Sed in iis deeſt præpoſitio *in.* Abeſt quoque a Mſ. Flor.

AUT SUGGESTU ] Fortè, *aut e ſuggeſtu*; ut placebat Groſlotio.

CAP. LVI. SOCORDIA INNOCENS ] Ita libri omnes. Mallet Boxhornius, *inter nocentes:* Gronovius, *nocens.* At dici potuit *innocens.* Principum enim eſt duces eligere non ſocordes. Si ſocordes elegerint, ſocordiâ ſunt innocentes.

NONIUS RECEPTUS ] Mſ. Corb. *Novius.*

ROMILIUS MARCELLUS ] Ita Mſſ. Reg. Corb. Beroaldus & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & editionibus veteribus, *Romulus.* Et infrà cap. 59. Mſ. Reg. habet *Romulum.*

IN COLONIAM AGRIPPINENSEM ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Corb. editiones veteres & recentiores. Malè Beroaldus omiſit præpoſitionem *in.*

AUT BELLANDUM ] *Aut* abeſt a Mſ. Jeſ. Corruptè Mſ. Reg. & editio princeps, *ad bellandum.*

CAP. LVII. DIE POSTERO ] Ita Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Flor. Reg. Agr. Corb. & editione principe, *die proximo.*

INGRESSUS ] Mſſ. Flor. Corb. *greſſus.* Mſ. Agr. *egreſſus.* Inde Ryckius ejuſque amicus tentabant, *prægreſſus.*

INGENTI CERTAMINE ] In Hiſpano libro, fortè Mſ. Covarruviæ, apud Lipſium, *ingenti agmine.*

TERTIUM NONAS ] Ita Jac. Gronovius e Mſ. Flor. Vulgò in Mſſ. & veteribus editionibus, *III Nonas.* Ryckius, ſine librorum auctoritate, *tertio Nonas.*

INGENIO VALIDUS ] Sic libri omnes. Lipſius tamen, Pichena, Acidalius & Erneſtus non probant, *ingenio.* At & *ingenio* locus in bellis & civilibus diſcordiis.

QUIBUS PRÆSENTIA ] Non ita bene Mſ. Agr. *præſentes.*

CAP. LVIII. PARTIM SIMULATIONE ] Rectè Lipſius & Recentiores. In Mſ. Reg. & editionibus veteribus, *parum ſimulatione.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Rhenanus, *pari ſimulatione.*

BURDONEM ] Mſſ. Harl. Bodl. & Puteolanus, *Burdunem.*

STRATIS JAM ] Ita libri ſcripti & editi præter Mſ. Reg. in quo, *ſtatis*; & Rhenanum, qui emendavit, *ſatiatis*.

QUI SE SANGUINE ] A Mſſ. Flor. Reg. Corb. & editione principe abſunt, *qui ſe*. Et certè omitti poſſunt.

CAP. LIX. SOCIÆ AUT ADVERSÆ ] Mſ. Corb. *averſæ*.

ALA TAURINA ] In Mſſ. & veteribus editionibus, *ala Tauriana*.

CAP. LX. ATROCIUS PRORUPERAT ] Bene Mſſ. Harl. Guelf. editio princeps & Mſ. Flor. manu primâ. Mſſ. Corb. Jeſ. & Puteolanus, *proruperant*.

PROTURBATUS ] Malè Rhenanus, *proturbantibus*. In Mſſ. Bodl. Jeſ. *perturbatus*.

CAP. LXI. CUM AQUILA QUINTÆ LEGIONIS ] Bene Mſſ. Flor. Guelf. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. Corruptè in Mſ. Corb. *aquilis*. In Mſſ. Reg. Vatic. & editione principe, *aquilex*. Unde Lipſius fruſtra tentabat, *aquilâ Xquintæ*, ſeu *quintædecimæ legionis*.

LEGIO UNAETVICESIMA ] Ita Mſ. Reg. editio princeps, & Cl. Lallemand; probabat quoque Cl. Erneſtus. In Mſſ. Flor. Corb. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. *una pr. & vic.* Inde Puteolanus edidit, *una prima & viceſima*. Non abſurdo ſenſu, ſi diſtinguas poſt *una*. In Mſ. Harl. deletum eſt *una*.

CAP. LXII. INERTI LUXU ] Bene Puteolanus & Recentiores. Mſ. Corb. *in inerti*. Editio princeps, *in inermi*.

INSTRUCTI INTENTIQUE ] Bene Mſſ. Corb. Reg. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *inſtructi interritique*.

NOMEN GERMANICI VITELLIO STATIM ADDITUM ] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Reg. Guelf. & Puteolanus. Et quidem optimè. In editione principe & recentioribus, *nomine Germanici Vitellio ſtatim addito*. Paulo molliùs Mſ. Corb. *nomine Germanici ſtatim addito*.

IN BELLUM AGEBAT ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Harl. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *in bellum cogebat*.

INTERRITÆ ALITIS ] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. & Puteolanus, *interrita alitis*. Corruptè Mſ. Corb. & editio princeps, *interrita: ea ales*. Meliùs Recentiores, *interritæ*.

LENI MEATU ] Bene Pichena & Recentiores. In Mſſ. & veteribus editionibus, *levi meatu*.

CAP. LXIII. DIVODURI ] Bene Mſ. Reg. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *Divodurium*. Mſ. Corb. *Devedruros*.

PAVOR

Pavor exterruit ] Ita Mſſ. Reg. Corb. & libri omnes editi, præter J. Gronovium, qui emendavit e Mſ. Flor. *terruit.* Sic quoque habent Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Sed in Mſ. Harl. emendatum *exterruit.*

Spoliandi cupidine ] Bene Mſſ. Corb. Reg. Agr. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *cupidinem.*

Cæsa tamen ad quatuor ] *Ad* abeſt a Mſ. Corb.

Cum magistratibus et precibus ] Hæc quidem abſunt a Mſ. Guelf. At ea habent ceteri libri. Multa id genus in Mſſ. Taciti omiſſa. Nec redundat, *&* *precibus*, ut exiſtimat Cl. Erneſtus.

Pueris feminisque ] In Mſſ. Flor. Agr. *feminis puerique.*

Tendebantur ] In Mſſ. Reg. Corb. Agr. & editione principe, *tendebant.*

CAP. LXIV. In gaudium, aut formidinem ] Mſ. Corb. & editio princeps, *in gaudio, aut formidine.*

Bellum volvebat ] Hæc rectè diſtinxit eruditus Grævius, quem Recentiores meritò ſunt ſecuti. Antea cum ſuperioribus conjungebantur.

Jurgia primum ] Malè Freinshemius, *jurgio.*

Cohortem duodevicesimam ] Ita Mſ. Agr. Ryckius & Recentiores. Mſſ. Flor. Reg. Corb. *cohortem XVIII.* Editio princeps, *octavam decimam.* Perperam in Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *cohortes XVIII. al.* Id eſt in alio Mſ. *XIII.* Una enim cohors præſidium Lugduni agitabat, ut dictum eſt ſuprà Annal. III, 41. Mox a Mſ. Jeſ. abeſt *Lugduni*: illud quoque omiſſum volebat Lipſius.

Solitis sibi ] Rhenanus, *ſolitis ibi*; ſed adverſantibus libris.

CAP. LXV. Fortuna contra daret ] Optimè Puteolanus. Corruptè Mſſ. Flor. Corb. *contraderet.* Unde in Mſ. Agr. *contrà cederet.* In Mſ. Reg. & editione principe, *contradiceret.*

CAP. LXVI. Ne legati quidem ] Bene Gronovius. In Mſſ. & veteribus editionibus, *nec legati quidem.*

Prensando ] Bene Mſ. Flor. In aliis Mſſ. ſuetà librariis diverſitate, *preſſando* vel *prehenſando.*

Trecenos sestertios ] Ita Mſſ. Flor. Corb. Agr. Hiſpan. & recentiores editiones. Non ita bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *tricenos.* A Mſ. Reg. & editione principe abeſt numerus.

Stupris et adulteriis ] Non ita bene Mſſ. Harl. Bodl. ac Puteolanus, *& ſtupris.*

CAP. LXVII. Olim armis ] Bene Rhenanus ac Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Guelf. & editionibus veteribus, *ſoli in armis.*

Unaetvicesimæ ] Rectè Mſſ. Flor. Reg. Corb. & editiones recentiores. In Mſ. Guelf. *unius & vicesimæ*. In Mſ. Bodl. *undevicesimæ*. Editio princeps, *unde & vicesimæ*. Hìc agitur de unaetviceſimâ, ſeu XXI, legione, non verò de undeviceſimâ, ſeu XIX, ut patet ex cap. 61.

Rapuerant ] Malè Rhenanus, *rapuerunt*. In Mſ. Harl. *rapuerant*: deinde alterâ manu emendatum, *rapuerat*. Quod non diſplicet.

Proximam quamque culpam ] Heinſius tentabat, *proximum quemque culpæ*. Emendationem probabat eruditus Grævius. Nihil tamen hìc vitioſum puto.

CAP. LXVIII. Vocetium ] Ita libri omnes; aut *Vocecium*. Fruſtra emendabat Andreas Schotus, *Vogeſum*.

Dirutis omnibus ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Agr. editio princeps & recentiores. In Mſ. Jeſ. *dirruptis*. Inde Puteolanus, *diruptis*. Lipſius, *direptis*. Emendabat Heinſius, *diruptis vicis omnibus*. At intelligi poteſt, dirutis omnibus, quæ erant munita. Sic ferme Annal. XV, 17, *dirutaque, quæ ultra Euphraten communierat Corbulo*.

CAP. LXIX. Claudius Cossus ] Ita libri omnes. In uno Mſ. Jeſ. *Cornelius Coſſus*.

Ut est mos vulgo ] Ryckius e Mſ. Agr. *ut eſt mox vulgus*. In Mſ. Corb. *ut eſt mos vulgus*.

Mutabile subitis, et tam pronum ] Sic Mſſ. Reg. Corb. Bud. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Freinshemius, *mutabilem*. Emendaverat Rhenanus, *mutabili* ... *prono*.

Meliora constantius ] Pichena emendavit, *molliora*. Eleganter quidem, ſed non neceſſariò.

CAP. LXX. Alam Syllanam ... Syllani ] Ita Puteolanus, quem omnes ſunt ſecuti. In Mſſ. Corb. Agr. & editione principe, *Silanam*... *Silani*. Unde incertum a Syllâ, an a Silano hæc ala nuncupata fuerit. Nerone Principe, magna fuit, utì videre eſt in Stemmate Cæſarum, num. 59. & 107, claritas L. Silani & Cornelii Syllæ, e quibus nomen ducere potuit. Licèt enim alæ plerumque a regionibus denominarentur, fuere tamen quæ ab illuſtribus viris appellarentur: Sic in Inſcriptionibus apud Gruterum memorantur ala flaviana. ala frontoniana. ala longinia. ala longina: quæ fortè eadem eſt ac ala Longinia. Potuiſſet ergo a Silano ala dici Silana, nec neceſſariò Silaniana, ut vult Cl. Erneſtus.

Revocati ] Ita vulgò Mſſ. & libri editi. Tamen in Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Rhenanus, *remorati*. Notatum in margine Mſ. Harl. *al.* id eſt alius liber, *revocati*.

Britannorum ] Malè Mſ. Reg. & editio princeps, *Britannicorum*.

Cum ala Petrina ] Optimè hunc locum reſtituit eruditus Anglus, Savilius. Corruptiſſimè Mſſ. *cum alpe tarina*, aut *tarima*, aut *triaria*, aut *trianna*, aut *triarina*. Peſſimè emendaverat Puteolanus, *in Alpe Graiâ.* Neque enim Graio monte, ſed Penino, in Italiam venit Cæcina. De alâ Petrinâ dictum eſt in Notis & Emendationibus ad Annal. XI, 4.

Num Ræticis ] Mſ. Corb. *ut Ræticis.* Editio princeps, *unde reticis.*

Ibi procuratorem ] In Mſſ. Corb. Reg. & editione principe, *urbi procuratorem.* Puteolanus emendaverat, *urbis procuratorem.* Quod nemini probatum. Nec meliùs divinabat Freinshemius, *urbicum procuratorem.* Verè & egregiè Lipſius, *ibi procuratorem.* Sic infrà Hiſt. II, 16, *trierarchum liburnicarum ibi navium.*

Simul reputans ] Bene Mſ. Corb. & recentiores editiones. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & veteribus editionibus, *ſimul ac reputans.*

In cetera victoriæ ] Bene Mſſ. Bodl. Jeſ. Guelf. & editiones veteres. Sine auctoritate ac neceſſitate emendavit Freinshemius, *ceteræ.* In Mſ. Corb. *in certa.* Mſ. Agr. & Editio princeps, *incerta.*

Cessuros ] Malè Rhenanus, *acceſſuros.*

Hibernis adhuc Alpibus ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. Guelf. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *hibernis adhuc nivibus.* Mox in Mſ. Corb. *tranſduxit.*

CAP. LXXI. Ne hostis metum reconciliationis adhiberet ] Ita Puteolanus, & libri ferme omnes poſtea editi. Suffragantur Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. niſi quòd in Mſ. Harl. *quaſi reconciliationis.* Ryckius e Mſ. Agr. edidit, *ſed ne hoſtes metueret, conciliationes adhibens.* Mſſ. Flor. & Corb. *Sed ne hoſtes metueret, conciliationis adhibens.* Mſ. Reg. & editio princeps, *ſed ne hoſtes metuere conciliationes adhibens.* Ex hac librorum varietate, fortè conjici poſſet, *ſed ne hoſtes metuerent, conciliationes adhibens;* vel *ne hoſtes metum reconciliationis adhiberent.* Sed potior adhuc eſt Puteolani lectio. Fruſtra emendabat Freinshemius, *ſed ne hoſti metum reconciliationis adhiberet.* Fruſtra Lipſius, *ſed nec hoſtis metu, reconciliationi ſe adhiberet.* Rectè enim eruditus Petavius: *Argutatur Lipſius. Sana lectio. Senſus eſt: Otho non quaſi ignoſceret tantùm, ceterùm negligeret, ſed repentè ex intimis habuit, ne hoſtis metu ſuſpectam illam reconciliationem habere videretur. Vel ſic, nec ita ſe geſſit, quaſi ignoſceret, ſed perinde ac ſi ſemper amiciſſimus fuiſſet, atque ut ne metu hoſtis ſuſpectam illam reconciliationem habere videretur.* Ipsâ tamen Petavianâ explicatione meliorem crediderim Huetianam, quam in Notis propoſui.

Inter intimos ] Sic Mſſ. Reg. Corb. Agr. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *intra intimos.*

Primoribus civitatis ] Optimè Rhenanus. Malè Mſſ. & veteres editiones, *pro moribus civitatis.*

CELSI SALUS ] Bene Mſ. Corb. & recentiores editiones. In veteribus editionibus, *Celſi laus.*

CAP. LXXII. DESERTOR AC PRODITOR ] A Mſ. Reg. & editione principe abſunt, *ac proditor.* Ac fortè redundant. Tigellinus enim deſertor potiùs fuit, quàm proditor. Vide Supplementum Annal. XVI, 81 & 85.

SED EFFUGIO ] In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *ſed effugium.*

VICES IMPUNITATIS ] Bene & eleganter Mſſ. Reg. Agr. & editiones veteres ac recentiores. Suffragatur Mſ. Corb. in quo, *vices impunitas*: ſuprà emendatum, *impunitatis.* In Mſſ. Harl. Bodl. Guelf. & Rhenanus, *vitæ impunitatis.* Mſ. Jeſ. *vitæ impunitas.* Fruſtra emendabat Boxhornius, *vitæ & impunitatis*: Grotius, *ſed vitia & impunitatis*: Lipſius, *ſed vice ſuæ impunitatis.*

SINUESSANAS ] Optimè Mſ. Corb. Malè alii *Sueſſanas*, aut aliquid pejus.

CAP. LXXIII. CALVIA CRISPINILLA ] Dioni, LXIII, pag. 720, Καλουΐα Κρισπινίλλα Malè vulgò Mſſ. & libri editi *Galvia Criſpinilla.* In Mſ. Corb. *Criſpinila.* Corruptè editio princeps *Galliva Criſpinilla.* Frequens in veteribus Inſcriptionibus mentio Calviorum, & Criſpinillarum.

FAMEM POPULO ROMANO ] Mſ. Agr. Ryckius & Recentiores. In Mſſ. Harl. Jeſ. & veteribus editionibus, *populi Romani.*

MATRIMONIO SUBNIXA. ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *innixa.*

MALISQUE TEMPORIBUS ] Bene libri omnes, præter Mſ. Bud. in quo deeſt, *temporibus.*

CAP. LXXIV. BLANDIMENTIS ] Ita Mſ. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *blandiciis.* In margine Mſ. Bodl. *blandimentis.*

OFFEREBANT PECUNIAM ] Bene Rhenanus, & Recentiores. Perperam in Mſſ. & veteribus editionibus, *offerebantur.*

VITELLIUS OSTENTABAT ] Bene Mſſ. Corb. Reg. Agr. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *oſtendebat.* Primâ manu in Mſſ. Harl. Jeſ. *oſtendiſſet.*

RURSUS ALIOS ] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Agr. & veteres ac recentiores editiones. Rhenanus fortè operarum errore omiſit, *alios.* Abeſt quoque a Mſ. Corb.

ADDIDIT EPISTOLAS ] Ita Mſſ. Corb. Harl. Jeſ. editio princeps, aliæque quamplurimæ. Puteolanus ac Recentiores, *addit.*

Increpabat ultro ] Bene Mſſ. Corb. Reg. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *increpabant.*

CAP. LXXV. Invicem ignaris ] Ita vulgò Mſſ. editiones veteres & recentiores. Rhenanus, *gnaris.* In Mſ. Reg. *novitate vultûs, invicem ignari prodebantur.*

Ad Titianum ] Malè Mſ. Reg. & editiones veteres, *Tucianum*, vel *Tutianum.* In veteribus fragmentis fratrum Arvalium apud Gruterum, pag. cxviii, ſæpe appellatur L. SALVIVS. OTHO. TITIANVS.

CAP. LXXVI. Addidit ex Illyrico ] Mſ. Corb. *attulit Illyrico.*

Mari dirimitur ] Mſſ. Harl. Jeſ. *a mari.* Mſ. Jeſ. *dividitur.*

Prætextu senatus ] Ita libri ferme omnes. J. Gronovius e Mſ. Flor. edidit, *prætexto.*

Versæ in Orientem ] Bene Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Reg. Agr. & editione principe, *versùs Orientem.* Mſ. Corb. *verſus in Orientem.* In Mſ. Flor. *verſam in Orientem.*

Vipstani Aproniani ] Perperam Mſſ. & veteres editiones, *Vipſani* aut *Vipſanii.* Vipſtanus enim eſt, ut patet ex veteribus fragmentis fratrum Arvalium, apud Gruterum, pag. cxviii, in quibus ſæpe memoratur C. VIPSTANVS. APRONIANVS. Conſulem eum vidimus ſuprà Annal. XIV, 1.

Nam et hi malis temporibus ... faciunt ] Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. & editio princeps, *nam & in malis temporibus ... faciunt.* Inde Pichena, quem Recentiores ſunt ſecuti, *nam & hi malis* &c. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *nam in malis temporibus ... fecerat.*

CAP. LXXVII. Consul ] Hic annus Urbis conditæ DCCCXXII, Jeſu Chriſti 69, ut caſuum atrocitate, ita conſulum multitudine fuit celeberrimus.

Conſulatum iniere Calendis Januariis,
Ser. Sulpicius Galba, Aug. II.
T. Vinius Rufinus.
*Tacit. Hiſt.* I, 1.

Utroque interfecto, ſuffecti fuere conſules in Calendas Martias,
M. Salvius Otho Aug.
L. Salvius Otho Titianus.
*Tacit. Hiſt.* I, 77.

Ex Calendis Martiis in Calendas Maias,
L. Verginius Rufus,
Pompeius Vopiſcus.
*Tacit. Hiſt.* I, 77.

Ex Calendis Maiis in Calendas Julias,
Cælius Sabinus,
Flavius Sabinus.
*Tacit. Hiſt.* I, 77.

Ex Calendis Juliis in Calendas Septembres,
T. Arrius Antoninus,
P. Marius Celſus.
*Tacit. Hiſt.* I, 77.

Ex Calendis Septembribus in Calendas Novembres,
C. Fabius Valens,
A. Alienus Cæcina.
*Tacit. Hiſt.* II, 71.

Cæcinâ proditionis damnato pridie Calendas Novembres, in unicum diem ſuffectus eſt,
Roſius Regulus.
*Tacit. Hiſt.* III, 37.

Ex Calendis Novembribus in Calendas Januarias,
Cn. Cæcilius Simplex,
C. Quinctius Atticus,
*Tacit. Hiſt.* II, 60. III, 68 & 73.
*Dio*, LXV. pag. 741.

Pompeius Vopiscus ] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Bud. Corb. Agr. & editiones veteres. Malè Lipſius, *Poppæus*.

Arrio Antonino ] Bene Mſ. Reg. editio princeps & recentiores. Corruptè Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *Arrhio Antonio*. Puteolanus, *Archio*.

Sevino Pomptino ] Corruptè Mſ. Reg. & editio princeps, *Sevino promptius*. Mſſ. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *Sevino* ( Mſ. Harl. *Scævino* ) *Pontio*. Mſ. Flor. & Lipſius, *Sevino Promptino*. Cùm eadem eſſet nominis varietas apud Salluſtium, in Catilin. XLV. eruditus Cortius edidit, *L. Valerio Flacco & C. Pomtino prætoribus*; ſolitus *p* poſt *m* omittere. A Dione, XXXVII, pag. 50, & XXXIX, pag. 120, memoratur Γάϊος Πομπτῖνος. Fortè ex agro Pomptino ductum nomen, de quo Inſcriptiones apud Cl. Bolognini, *Memorie dell' antico e preſente ſtato delle Paludi Pontine*, pag. 7 & 8. TABVLARIVS. A. RAT. POMPTINAE. Paludes illæ dictæ ſunt quoque *Pontinæ*. Inde ſcripturarum diſcrimina. Et in veteribus nummis atque Inſcriptionibus C. Pomptinus, modò laudatus, appellatur C. PONTINIVS. Vide eruditum Vaillant, *Nummi Familiarum Romanarum*. Tom. 2. pag. 287. in familiâ Pontiniâ.

Placuit ignoscentibus ] Mſſ. Harl. Corb. *ignoſcendum*.

CAP. LXXVIII. Hispaliensibus ] Bene Rhenanus & Recentiores.

In Mſſ. & veteribus editionibus, *Hiſpanienſibus*.

LINGONIBUS UNIVERSIS ] Ita libri omnes. Verùm, cùm de Hiſpanis potiùs, quàm de Gallis agi hìc videatur, atque Lingones primi ac præcipui fuerint in Othonem hoſtes, putabat Lipſius pro Lingonibus aliquam Hiſpaniæ gentem hìc reponendam, Luſonas fortè aut Illurconas, aliudve tale nomen. Fortè tamen Lingonibus civitas Romana oblata datave, ut eos ſibi conciliaret, a Vitellio abduceret.

OSTENTUI MAGIS ] Bene Mſſ. Reg. Corb. Guelf. editio princeps & recentiores. Malè Puteolanus, *oſtenta*. Fruſtra tentat Cl. Erneſtus, *oſtentata*.

QUAM MANSURA ] Mſ. Corb. & editio princeps, *quàm menſura*. Fortè de menſurâ modoque intellexere. Puteolanus, *manſura*.

CURIS EXCUSATA ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Guelf. Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Corb. Bud. Agr. & editio princeps, *excuſatus*. Malè Rhenanus, *excuſatis*.

PROPONERENT ] Quidam tentant, *reponerent*. Sed fruſtra.

QUIBUSDAM DIEBUS ] Lipſius, hoc ita ἀορίςως dici miratus, conjicit *Quinquatruum diebus*. Quod non ſatis probabile.

VETANDI METU, VEL AGNOSCENDI PUDORE ] Ita Pichena e Mſ. Flor. In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *vetandi metum, & agnoſcendi pudorem*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *vel cognoſcendi pudorem*.

CAP. LXXIX. RHOXOLANI ] Malè Mſſ. & veteres editiones, *Roſolani*, aut *Reſolani*. Paulo ante hoc bellum gentes illas compoſuerat Titus Plautius Silvanus Ælianus, ut accipimus ex egregiâ Inſcriptione, quæ opportuniùs dabitur infrà in Notis & Emendationibus ad Hiſt. IV, 53.

AD MŒSIAM ] Sic libri omnes ſcripti & editi. Mallet tamen Acidalius: *Mœſiam inruperant, ad novem millia equitum* &c.

EX FEROCIA ] Ita Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf. Rhenanus & Recentiores. In Mſ. Bodl. *e ferociâ*. In Mſ. Reg. veteribuſque editionibus, *& ferociâ*.

TERTIA LEGIO... INVASIT ] Sic libri omnes ſcripti & editi. Emendatum tamen vellet eruditus Savilius, *tres legiones... invaſere*; quòd mox tres legati legionum ob victoriam conſularibus ornamentis donati dicuntur. Nihil mutandum crediderim. Tertia legio, adjunctis auxiliis, ſuffecit ut novem millia Sarmatarum reprimerentur. Itaque licèt tres legiones forent in Mœſiâ, ut patet ex Suetonio, in Veſpaſ. VI, una tamen tertia legio bellum profligavit. Tres autem legati conſularibus ornamentis donati, tum ad Principis munificentiam, tum ad legatorum gloriam oſtentandam.

ADJUNCTIS AUXILIIS ] Ita Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Corb. & editione principe, *junctis auxiliis*.

Dispersi cupidine prædæ, aut graves ] Bene Freinshemius, & Recentiores plerique. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & veteribus editionibus, *diſperſi, aut cupidine prædæ graves*, &c. Quod immeritò defendit Jac. Gronovius.

Tegmen ] Bene libri omnes editi. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *tegimen.*

Præduro corio ] Fruſtra tentat Lipſius, *de Militiâ Romanâ*, Dialog. III. pag. 131, *præduro cornu.* In Mſ. Corb. *duro corio textum.* In editione principe, *præduro corio contextum.* Puteolanus, ac ceteri omnes, *conſertum.*

Facili lorica ] Ita Mſ. Reg. & libri omnes editi. In Mſſ. Flor. & Corb. *facilis loricâ.* Sic ferme infrà, de Moribus Germanorum, cap. 6. *nudi aut ſagulo leves.*

Ibi sævitia hiemis, et vi vulnerum ] In Mſſ. Corb. Agr. & Ryckius, *ubi* pro *ibi.* Mſ. Reg. *ibi ſævitiâ, ibi mīa* (id eſt *miſeriâ*) *vulnerum.* Muretus, quem Freinshemius & Recentiores ſunt ſecuti, ingenioſè emendavit, *ſævitiâ hiemis, & vi vulnerum.* Corruptè Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & editiones veteres *ibi ſævitiâ, hic miſericordiâ vulnerum.* In Mſ. Bodl. obelo notatum, *hic miſericordia*, & margini additum, *hiemis rigore.* In Mſ. Agr. *ubi ſævitiâ hiemis & dolore vulnerum;* quod edidit Ryckius. Tentat tamen Cl. Erneſtus, *& incuriâ vulnerum*; ut apud Ciceronem, *de Prov. Conſular.* cap. 3. *Milites* dicuntur *incuriâ, fame, morbo, vaſtitate conſumpti.*

M. Aponius ] In fragmento fratrum Arvalium laudato ſuprà cap. 75. nominatur M. Aponivs Satvrninvs.

Julianus Tertius ] Malè libri ſcripti & editi *Julianus Titius.* Idem, infrà Hiſt. II, 85, appellatur *Tertius Julianus.* Vide & infrà Hiſt. IV, 39, ubi corruptè olim *Tito Juliano.*

CAP. LXXX. E colonia Ostiensi ] Ita Mſſ. & veteres ac recentiores editiones. Perperam Rhenanus præpoſitionem omiſerat.

Affectatio quietis ] Bene Mſſ. Flor. Corb. Agr. Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Reg. & editione principe, *affectio quietis.*

Pars ignari ] Sic editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *pars ignavi.* In Mſ. Bodl. emendatum, *ignari.*

Cujuscumque motus ] Bene Mſſ. & veteres ac recentiores editiones. Malè Rhenanus, *cujuſque motûs.*

Severissimos centurionum ] Rectè adhuc Mſſ. & veteres ac recentiores editiones. Malè Rhenanus, *ſeveriſſimum centurionum*: unde tentabat Lipſius, *ſeveriſſimum centurionem.* Iis ſanè fucum fecit caput 83. At duos centuriones occiſos fuiſſe docet ipſe Plutarchus in Othone, pag. 1067.

CAP. LXXXI. Modo constantiam ] *Modò* abeſt a Mſ. Jeſ.

CAP.

CAP. LXXXII. PRÆFECTO LEGIONIS ] Fruſtra tentat Cl. Erneſtus, *legioni.*

CAP. LXXXIII. QUAMQUAM TURBIDIS ] Immeritò Freinshemius omiſſum vellet, *quamquam.* Non redundat, ut patet ex ſequentibus, *ſed diſcrimine Urbis & periculo anxius.*

NON CUPIDITATE ] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Puteolanus & Recentiores. Pichena quoque, quòd in Mſ. Flor. *cupidite.* Editio princeps & Beroaldus, *cupidine.*

DETRECTATIONE ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & editiones recentiores. In Mſſ. Corb. Guelf. & editione principe, *detractione.*

PERICULORUM: NIMIA ] Sic diſtinguunt veteres ac recentiores editiones; ac bene quidem. In mediis editionibus, *periculorum, nimia.* Malè editio princeps, *periculorum: ſed nimia.*

NUM OMNES NUNTIOS ] Bene Mſſ. Reg. Corb. Harl. Bodl. Jeſ. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Bodl. & Guelf. ſecundâ manu, *non omnes.* Sic & Puteolanus.

MULTA ETIAM CENTURIONES ] Optimè Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. Guelf. & editiones veteres ac recentiores. Rhenanus omiſit, *etiam*: deeſt quoque in Mſ. Hiſpano. Mſ. Harl. ſecundâ manu, & Puteolanus, *etiam per centuriones.*

SI, UBI JUBEANTUR ] Ita Puteolanus & Recentiores, præter Ryckium, qui e Mſ. Agr. edidit, *ſi, cur jubeantur.* In Mſſ. Flor. Reg. Corb. Harl. Bodl. Jeſ. & editione principe, *ſic ubi jubeantur.*

PERDITUS ] Mallet Lipſius, *percitus*: quòd id ad inſtinctum quemdam & inſaniam refertur. At & proba eſt vulgata ſcriptura.

CAP. LXXXIV. VOS QUIDEM ISTUD ] Bene Mſſ. veteres & recentiores editiones. Fruſtrà Rhenanus emendavit, *iſtuc.*

NEC ILLAS ] Bene Mſ. Corb. & editiones recentiores. In Mſ. Reg. & editione principe, *nec ullas.* Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *ne illas.*

EXERCITUS AUDIAT ] Mſſ. Harl. Jeſ. *audeat.* In margine Mſ. Harl. *audiat.*

QUOS CUM MAXIME ] Bene Mſ. Harl. primâ manu: ſecundâ, *cùm* deletum eſt. In Mſ. Hiſpano, *quîs cum maximè.* In Mſ. Corb. & editione principe, *quibus cum maximè.* Malè Puteolanus, *quos nunc maximè.*

GERMANI AUDEANT ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Corb. & editione principe, *audiant.* Sic quoque Mſ. Reg. ſecundâ manu. Primâ, *audeant.*

DEPOSCERENT ] Bene Mſſ. editio princeps & recentiores. Puteolanus, fortè operarum errore, *repoſcerent.*

PERSTRINGIMUS ] Mallet J. Frid. Gronovius, *præſtringimus*.

MUTA ISTA ET INANIMA ] Optimè Lipſius & Recentiores. Malè Mſſ. & veteres editiones, *& inania*. In quibuſdam etiam *multa* pro *muta*.

PROMISCUA SUNT ] Ita Mſſ. Reg. Corb. Bud. Agr. editio princeps & recentiores. Nec immeritò placet hic Helleniſmus. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *promiſcuè poſſunt*. Mſ. Flor. *promiſca ſunt*.

PAX GENTIUM ] Bene Mſſ. editio princeps & recentiores. Malè Puteolanus, *pars gentium*.

A MAJORIBUS ] Mſ. Corb. *a prioribus*.

CAP. LXXXV. EA ORATIO ] Ita Mſſ. Reg. Agr. & editiones veteres. Sic quoque placuit Mureto. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Rhenanus & Recentiores, *& oratio*.

AD PERSTRINGENDOS MULCENDOSQUE ] Mſſ. Corb. & Agr. *perſtringendo mulcendoque*. Corruptè editio princeps, *per perſtringendos mulcendoſque*.

QUIES URBIS ] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & editiones omnes veteres ante Rhenanum, qui ſine librorum auctoritate edidit, *Urbi. Sed erat ſtrepitus*. Optimè Lipſius veterem lectionem & diſtinctionem revocavit, *redierat: ſtrepitus*. Sed non attendit, *Urbi*, eſſe quoque ex Rhenani conjecturâ.

FACIES BELLI ERAT: MILITIBUS ] Bene Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Flor. Corb. & editione principe, *facies belli & militibus*.

STUDIA PARTIUM NOSCENDA ] Ita libri omnes editi. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *ſtudia partium delenda*. In margine Mſ. Harl. *noſcenda*.

ANIMUM VULTUMQUE CONVERSI ] Bene Mſſ. Flor. Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. Reg. Harl. Bodl. & editionibus veteribus, *animum vultumque converſis*. Beroaldus, *animo vultuque converſis*; uti volebat Muretus.

DICENTI, NOTA ADULATIO ] Rectè Lipſius. Perperam Mſſ. & veteres editiones, *dicendi*, vel *dicenda*. Mſſ. Flor. Corb. habent *nota*: abeſt a Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & veteribus editionibus.

TUMULTU VERBORUM ] Bene Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. & editione principe, *tumultus*.

CAP. LXXXVI. SERENO ET IMMOTO DIE ] Ita Mſſ. Reg. Corb. & libri editi. A Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Bud. abeſt, *die*. Additum eſt ſecundâ manu margini Mſ. Harl. Fruſtra Rhenanus tentabat *cælo*.

PRORUTO PONTE ] Ita Gronovius & Recentiores. In Mſſ. & veteribus editionibus, *prorupto*.

IMPLEVIT ] Cùm ſubitæ Tiberis inundationes maximas in Urbe ſtrages ſemper ediderint, fuit providentiſſimorum Imperatorum cura, ut, quantùm poſſent, eas inhiberent. Auguſtus amnis alveum dilatavit. Trajanus foſſam a ponte Milvio per vallem, Urbi vici-

nam, *Valle dell' Inferno*, duxit, quâ exoneraretur. Aurelianus ab Urbe Oſtiam uſque Tiberinum alveum validiſſimis muris munivit. At omnium conſilia vicit Julius Cæſar, qui ſiccare Pomptinas paludes, *Paludi Pontine*, & Tiberim, latâ profundâque foſſâ ab Urbe Terracinam, *Terracine*, perductum, mari immittere decreverat. Egregium conſilium, annonæ, commerciis, navigationi, arcendiſque inundationibus utiliſſimum mors oppreſſit. Sueton. in Jul. XLIV. Plut. in Jul. pag. 735. Id quoque animo agitavit Nero, cœpitque, ut vidimus ſuprà Annal. XV, 42. Vagam mentem aliò traxere libidinum curæ; & manſere tantùm irritæ ſpei veſtigia. Quæ verò horrenda magis de ſubitis Tiberis inundationibus prodidere veteres ſcriptores, ea comperta habemus certiſſimis recentiorum temporum auctoribus, qui inundationes annorum 1598, 1660 & 1686 deſcripſere.

Et cubilibus ] Bene Mſſ. Flor. Guelf. Rhenanus & Recentiores. Perperam Mſſ. Reg. Harl. & editiones veteres, *ex cubilibus*. In Mſ. Jeſ. *ex cubiculis*.

Paranti expeditionem Othoni ] Ita Mſ. Reg. & libri omnes editi. *Othoni* abeſt a Mſ. Bud. In Mſſ. Harl. Guelf. ſecundâ manu additum.

CAP. LXXXVII. In numeros ] Bene Mſſ. Reg. Flor. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *in numero*. Unde Lipſius emendaverat, *in numerum*.

Facta et ceteris spes ] Bene Mſſ. Reg. Corb. Agr. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *facta & reliquis ſpes*. Margini Mſ. Harl. additum, *ceteris*.

Honoratioris ] Ita Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Corb. & editione principe, *honoratæ*.

Vires et robur ] Optimè Lipſius. Corruptè Mſſ. & veteres editiones, *viris ut robur*.

Oscus ] Mſ. Reg. & editio princeps, *Oſchus*.

Invitatus ] Ita Puteolanus ac reliqui omnes. In Mſ. Reg. & editione principe, *imitatus*. Inde Grævio & Ryckio placebat, *incitatus*. Erneſtus mallet, *impoſitus*: quod melius puto. Faernus, *initio datus*.

Rectores destinati ] Unus Mſ. Covarruviæ, *rectores conſtituti*.

CAP. LXXXVIII. Motæ Urbis curæ ] Ita Mſſ. Reg. Corb. Agr. editio princeps, Rhenanus & Cl. Lallemand. In Mſſ. Bodl. Guelf. Puteolanus, Freinshemius & Cl. Erneſtus, *motâ urbis curâ*. In Mſ. Harl. primâ manu, *mota*; alterâ, *motæ*.

Ætate invalidi ] Mſ. Agr. *invalidâ*.

Et abdere ] Bene Mſſ. & veteres ac recentiores editiones. Malè in mediis, *ac abdere*.

Et reipublicæ cura ] Malè Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *a reipublicæ curâ.*

Multi adflicta fide ] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Reg. Corb. Agr. editione principe, & Rhenanus, *multis afflicta fides.*

CAP. LXXXIX. Et provinciali bello ] Ita Mſſ. Reg. Corb. editio princeps, Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. Guelf. Agr. Jeſ. & Puteolanus, *a provinciali bello.*

Pacis adversa pertimuere ] Sic Lipſius & Recentiores. In editione principe, *pacis adverſa repub. pertinuere.* Mſſ. Harl. Bodl. & Puteolanus, *Reip. pertimuere.* Mſ. Agr. *in Rep. pertimuere.* Mſ. Reg. *adversùs Remp. pertinuere.* Mſſ. Corb. & Jeſ. *Reip. pertinuere.* Cùm in iis omnibus mentio ſit *reipublicæ*, tentabat Cl. Erneſtus, *pacis adverſa rempublicam perdidere.* Potior videtur Lipſiana emendatio.

Si ducibus aliis ] Ita Mſſ. Reg. Corb. editio princeps, Pichena & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ſub ducibus aliis ſi.*

Conditorum ancilium ] Addunt Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps, *ſcutum & arma cæleſtia.* Quæ e margine irrepſiſſe nemo non videt.

Aspernatus est ] Sic Mſſ. Reg. Corb. Agr. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & a Puteolano omiſſum, *eſt.*

CAP. XC. Festinata jam pridem exactione ] Bene Mſſ. Flor. Agr. editiones veteres & recentiores. A Mſſ. Harl. Bod. Jeſ. abeſt, *jam pridem.* Omiſit quoque Rhenanus.

Othonem uti ] *Othonem* redundare exiſtimant Acidalius & Erneſtus.

Ad implendas aures ] Ita editio princeps, Erneſtus & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Agr. & Puteolanus, *ad implendas populi aures.*

Ut in familiis ] Fruſtra tentat Gronovius, *ſed ex libidine ſervitii & in tantis malis privata cuique ſtimulatio & vile decus publicum.*

Stimulatio ] Ita Mſ. Reg. & libri omnes editi. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. Guelf. *ſimulatio.* Alterâ manu emendatum in Mſ. Harl. *ſtimulatio.*

# NOTÆ ET EMENDATIONES
## *AD LIBRUM SECUNDUM*
# HISTORIARUM.

CAP. I. QUOD VARIA SORTE ] Optimè Lipſius. In Mſſ. Reg. Vatic. *vari aborte.* Editio princeps, *varè ortum aborte.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *variè ortum.*

DECOR ORIS] Bene Rhenanus. In Mſ. Reg. & editione principe, *decoris.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *decori.*

PRÆSAGA RESPONSA ] Ita Mſſ. & libri editi. Mallet Gronovius, *præſagia*, *reſponſa*; quòd mox ſequatur *ominum*, quæ ſunt præſagia. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *proſpere præſaga.* Abſunt, *Veſpaſiani res.* Addita tantùm in margine Mſ. Harl.

LOCO OMINUM ] Sic Mſſ. Bodl. Guelf. Puteolanus & Recentiores. Ita quoque emendatum in Mſſ. Harl. Jeſ. qui antè habebant, *omnium*, ut & editio princeps.

ETIAM FORTUITA ] Bene Grotius & Recentiores. In Mſſ. Bodl. Jeſ. Reg. & editionibus veteribus, *etiam fortuna.*

SED INCERTA ] Bene Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. & veteribus editionibus, *& incerta.* Malè editio princeps, *& incertam adhuc victoriam.*

OBLIVISCENDUM OFFENSARUM ] Ita Mſ. Corb. editio princeps & recentiores. Malè in Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *infenſarum.* Emendatum in Mſ. Harl. *offenſarum.*

CAP. II. JACTATUM ] Ita Mſſ. & editi libri. Mallet Cl. Erneſtus, *jactatis*: eleganter quidem, at non neceſſariò.

PRÆVECTUS ] Bene Mſſ. Corb. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. editio princeps & recentiores. In Mſ. Reg. *provectus.* Puteolanus, *prætervectus.*

AUDENTIORIBUS SPATIIS ] Mſ. Corb. *ardentioribus.*

CAP. III. REGEM AERIAM ] Malè Mſſ. & veteres editiones, *regem Verianum*, aut *Venerianum.* Inde Alciatus tentabat *Uranium;* quod idem eſt atque *Aeriam*, ab Οὐράνιος.

A CINYRA ] Malè Mſſ. & veteres editiones, *a Cinarâ.* In editione principe, *a curâ.*

SCIENTIAM ARTEMQUE . . . ACCITAM ] In Mſ. Corb. & editione

principe, *ſcientia arteque.* Mſ. Corb. *accitum.* Inde ſane Puteolanus, *accitum e Ciliciâ Myram.* At cùm Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. habeant *e cilicenta miram;* nec aliter Mſſ. Flor. Guelf. editio quoque princeps, & *cilicenta miram*, Rhenanus rectè emendavit, & *Cilicem Thamyram.*

Ut quisque vovit, sed mares ] Bene Pichena & Recentiores, e Mſ. Flor. in quo, *ut quiſque vovit ſet mares.* Perperam ceteri Mſſ. & veteres editiones, ut *quiſque noviſſet*, vel *voviſſet*, *mares.*

Regium genus ] Mſ. Corb. *regum genus.*

Ratio in obscuro ] Paphiæ Veneris originem cultumque paucis expendam, Tacitum illuſtraturus.

## *De Venere Paphiâ.*

Venus Paphia eſt illa ipſa cæleſtis Venus, quam mortales, deum rerum omnium auctorem obliti, tamquam vitalem hominum, pecudum, volucrum, ceterorumque animantium, quæ viverent, cauſam, & amoris, quo ſtant vigentque omnia, conciliatricem venerati ſunt. Hanc Venerem fecundamque ejus vim expreſſo nomine Lucretius I, 1. tacito Virgilius Æneid. VI, 724. egregiis verſibus commendant. Ejus quoque laudes paucis complexus eſt Apuleius libr. XI. *Tu Cæleſtis Venus, quæ primis rerum exordiis ſexuum diverſitatem generato amore ſociaſti, & æternâ ſobole humano genere propagato, nunc circumfluo Paphi ſacrario coleris.*

Cultûs, ut erroris, origo apud Aſſyrios primùm invaluit, inde ad Cyprios Phœniceſque & alios populos devecta, auctore Pauſaniâ in Attic. I, 14. Πρώτοις δε ἀνθρώπων Ἀσσυρίοις κατέστη σέβεσθαι τὴν (Ἀφροδίτην) Οὐρανίαν· μετὰ δε Ἀσσυρίους, Κυπρίων Παφίοις, καὶ Φοινίκων τοῖς Ἀσκάλωνα ἔχουσιν ἐν τῇ Παλαιστίνῃ· παρὰ δε Φοινίκων, Κυθήριοι μαθόντες σέβουσιν. *Primi omnium Aſſyrii Venerem Cæleſtem coluere: a quibus Paphii in Cypro acceptum ſacrorum ritum cum Phœnicibus, qui in Paleſtinâ Aſcalonem urbem incolunt, Phœnices cum Cytheriis, communicarunt.*

Cùm autem rudes adhuc homines deos in humani oris ſpeciem adſimulare nondum noviſſent, Venerem Paphiam, orbiculatâ primùm, deinde in tenuem ambitum exſurgente figurâ, metæ modo, adumbratam coluere. Quod certiſſimum eſt antiquiſſimæ venerationis argumentum. Tales deorum formas memorat Maximus Tyrius, Diſſert. XXXVIII. pag. 384. Παίονες σέβουσι μεν Ἥλιον, ἄγαλμα δε Ἡλίου Παιονικὸν, δίσκος βραχὺς ὑπερ μακροῦ ξύλου. Ἀράβιοι σέβουσι μεν, ὅντινα δὲ οὐκ οἶδα· τὸ δε ἄγαλμα ὃ εἶδον λίθος ἦν τετράγωνος. Παφίοις ἡ μεν Ἀφροδίτη τὰς τιμὰς ἔχει, τὸ δε ἄγαλμα οὐκ ἂν εἰκάσαις ἄλλῳ τῳ ἢ πυραμίδι λευκῇ. *Pæones Solem colunt, Soliſque apud hos ſimulacrum brevis diſcus eſt, perticæ ſuprà longiſſimæ affixus. Colunt & Arabes Deum; quem verò haud facilè dixerim: quod autem vidi apud eos ſimulacrum, lapis erat quadrangularis. Venerem Paphii colunt, cujus ſtatuam albæ pyramidi non diſſimilem dixeris.*

Venerem hanc Paphiam exhibent plurimi Cypriorum nummi. At quod magis ſingulare, reperta eſt in Herculanenſibus ruinis tabula, quæ ipſiſſimam hujuſce deæ ejuſque cultûs imaginem refert. Tabulam hanc publicavere eruditi Academici Herculanenſes, uberrimiſque notis illuſtravere, quas vide, *Pitture antiche d'Ercolano*. Tom. III. tab. LII. Cùm autem Venus illa Parcarum natu maxima haberetur, inde in nummis Cypriorum & in tabulâ Herculanenſi tres metæ exhibentur; idque approbat vetus Inſcriptio, quam memorat Pauſanias, in Attic. I, 19. Τὸ δὲ ἐπίγραμμα σημαίνει τὴν Οὐρανίαν Ἀφροδίτην τῶν καλουμένων Μοιρῶν εἶναι πρεσβυτάτην. Columnæ illæ faſtigiantur in φαλλοὺς, fecunditatis teſtes. Cinyræ autem, regi, religionis apud Cyprios auctori, datum eſt, ut ipſe cum omni ſuâ familiâ atque etiam proſapiâ in templo Veneris conderetur, teſte Arnobio, libr. VI. Veneris Paphiæ religio, in inſulâ Cypro percelebris, alias quoque urbes pervaſit. Manent adhuc monumenta in nummis Chalcidis, Eubœæ incertum an Syriæ urbis, & Æliæ Capitolinæ, nunc *Jeruſalem*, qui Venerem, metæ modo, qualem deſcripſit Tacitus, exhibent. Nummos, minimè vulgares, vide apud Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Peuples & de Villes*. Tom. II. pag. 211. tab. LXXX. num. 76. & Tom. III. pag. 250. tab. CXXXV. num. 9.

CAP. IV. Compluribus hostiis ] Ita Mſ. Corb. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *pluribus*.

Deam videt ] Sic Mſ. Reg. editio princeps, Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *vidit*. Alterâ manu emendatum in Mſ. Bodl. *videt*.

Ad patrem pervectus ] Mſſ. Harl. Jeſ. *prævectus*. Mſ. Reg. & Puteolanus, *provectus*. Bene Rhenanus & Recentiores, *pervectus*.

Bellum Judaicum ] Mſ. Corb. & editio princeps, *bellum cum Judæis*.

Hierosolymorum ] Corruptè Beroaldus, *Heroſolymarum*.

Ingenium montis ] Ita Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Pichena & Recentiores. In Mſſ. Corb. Reg. & editione principe abſurdè, *ingenium mentis*. Unde Puteolanus emendaverat, *ingenium gentis*. At optimè dicitur *ingenium montis*. Sic & Plinius, XIV, 1. *Ad cœli mores, ſolique ingenia*. & XVII, 2. *Ad ſoli naturam, ad loci ingenium, ad cæli cujuſque mores dirigenda ſolertia eſt*. Porro Hieroſolyma montibus, ac maximè monti Sion, erant impoſita.

Quam quo satis ] Bene omnes Mſſ. & veteres ac recentiores editiones. In mediis, *quàm quòd ſatis*.

Repulerat segnitiam ] Mſ. Corb. & editio princeps, *depulerat*.

Et inexpertus belli labor ] Bene Rhenanus & Recentiores. Hæc ceteraque poſt *diſcrimina & labor* omiſſa in Mſ. Reg. & editione principe. In aliis Mſſ. & veteribus editionibus, *inexperti*. Malè Lipſius

emendabat, *inexpertis belli*, quòd *labor* redundare ei videretur.

CAP. V. Aptior sermone ] Mſ. Corb. & editio princeps, *aptiori ſermone*. Mox malè conjungunt veteres editiones, *diſpoſitu proviſuque civilium rerum peritus*. Quod multos Taciti interpretes fefellit.

CAP. VI. Septem legiones ] Ex indiſcretâ ſimilitudine nominum Cæſareæ domûs maxima in Annalium libris exoriebatur difficultas; quam ut levarem, propoſui *Stemma Cæſarum*. Nunc verò, ne animus fatigetur nominibus ac mutationibus legionum, qui maximus eſt in evolvendis Hiſtoriarum libris labor, earum numerum nominaque explanabo, deinde earum loca adſignabo: quibus cognitis, facile erit, ſine ullo labore, quas partes in his civilibus bellis ſint ſecutæ, dignoſcere.

## *De numero & nominibus legionum.*

LEGIO PRIMA, in inferiore Germaniâ. Tacit. Hiſt. I, 55. & IV, 19.

LEGIO PRIMA ITALICA, Lugduni in Galliâ. Tacit. Hiſt. I, 60, 64. II, 100. & III, 22. A Nerone fuerat lecta. Dio, LV. pag. 564. Ejuſque ætate erat in Mœſiâ inferiori. Quòd autem ex Italicis militibus conſcripta, nuncupata eſt Italica. In nummis Gallieni LEGI ITAL VIP VIF. vel VIIP VIIF. Id eſt, *Legio prima Italica, ſextùm pia, ſextùm fidelis*, vel *ſeptimùm pia, ſeptimùm fidelis*. De his ceteriſque Gallieni nummis vide Cl. Banduri, *Numiſmata Imperatorum Romanorum*. Tom. I. pag. 166 & ſeqq.

LEGIO PRIMA ADJUTRIX CLASSICORUM, primò Romæ, deinde in Hiſpaniâ. Tacit. Hiſt. I, 6. & 36. II, 43 & 67. III, 44. Si Tacitum loc. cit. & Dionem LV, pag. 564. comparaveris, videbitur legionem illam, quam Nero e claſſe conſcripſerat, primùm dictam fuiſſe *Claſſicorum*, deinde a Galbâ, obliterato minimè nobili Claſſicorum nomine, nuncupatam *Adjutricem*. In nummis Gallieni, LEG I ADI VIP VIF. *Legio prima Adjutrix, ſextùm pia, ſextùm fidelis.*

LEGIO SECUNDA, in Britanniâ. Tacit. Hiſt. III, 22. A Dione loc. cit. cognominatur *Auguſta*. In nummo Carauſii LEG II AVG. De hoc ceteriſque Carauſii nummis vide Cl. Stukeley, *The Medallic Hiſtory of Carauſius Emperor in Brittain*. Tom. I & II. In Inſcriptione quoque veteri apud eruditum Shaw, *Voyages en Barbarie*, Tom. I. pag. 263. LEG. II. AVG.

LEGIO SECUNDA ADJUTRIX, recèns a Veſpaſiano in bellis civilibus conſcripta. Tacit. Hiſt. IV, 68. & V, 16. Spartian.

in Hadrian. II. Dionis ætate fuit in Pannoniâ inferiori. Dio, ibid.

LEGIO TERTIA, in Syriâ. In Mœſiam tranſiit, deinde in Syriam remiſſa. Tacit. Hiſt. II, 74. IV, 39. Tres fuere, teſte Dione, loc. cit. legiones tertiæ, τρία τὰ τρίτα. Hæc a Dione cognominatur *Gallica*.

LEGIO TERTIA, in Ægypto. Tacit. Hiſt. V, 1. Dionis, id eſt Severi Alexandri, tempore erat in Arabiâ, & dicebatur *Cyrenaica*, ut videtur ex Dione loc. cit. Immo Trajani ætate jam dicebatur *Cyrenaica*, ut patet ex veteri Inſcriptione, quam in coloniâ Scillitanâ, nunc *Caſſareen*, *dans le Royaume de Tunis*, deſcripſit eruditus Shaw, *Voyages*, Tom. I. pag. 263. LEG. III. CYR.

LEGIO TERTIA, in Africâ. Tacitus, Hiſt. IV, 48, memorat tantùm legionem in Africâ. Ea ſanè fuit *tertia Auguſta*, quæ ætate Dionis, loc. cit. erat in Numidiâ. Et in veteribus Inſcriptionibus, quas Lambæſæ, nunc *Tezzoute*, *dans le Royaume d'Alger*, reperit eruditus Shaw, *Voyages*, Tom. I. pag. 149 & 197. memoratur LEG. III. AVG. id eſt *legio tertia Auguſta*.

LEGIO QUARTA, in ſuperiore Germaniâ. Tacit. Hiſt. I, 18. Legio illa dicta eſt *Macedonica*, Tacit. Hiſt. III, 22.

LEGIO QUARTA, in Syriâ. Tacit. Annal. XV, 6, 7 & 26. Dioni, loc. cit. dicitur *legio quarta Scythica in Syriâ*. Memoratur quoque in veteri Inſcriptione apud eruditum Gori, *Inſcript. Antiq.* Tom. I. pag. 248. LEGIO IIII SCYTHIC.

LEGIO QUINTA, in inferiore Germaniâ. Tacit. Hiſt. I, 55. Hujus legionis inſignia erant elephantes ob Africanam Cæſaris victoriam, de Jubâ reportatam. Appian. Bell. Civil. II. pag. 488. Ceterarum legionum multa manent inſignia in Gallieni, Carauſii, aliorumque nummis.

LEGIO QUINTA, in Judæâ. Tacit. Hiſt. V, 1. Dein in Mœſiam remiſſa. Vide Appendicem ad librum V. Hiſtoriar. cap. 43. Dioni loc. cit. memoratur *legio quinta Macedonica in Daciâ*. Et in nummis Gallieni LEG V MAC. VIP VIF vel VIIP VIIF. id eſt *legio quinta*, *Macedonica*, *ſextùm pia*, *ſextùm fidelis*, vel *ſeptimùm pia*, *ſeptimùm fidelis*. Apud Cl. Gori, loc. cit. LEG. V MACED.

LEGIO SEXTA, in Hiſpaniâ. Tacit. Hiſt. III, 44. Ea eſt quæ Galbam Principem fecit. Tacit. Hiſt. V, 16. Duas legiones Sextas, ἕκτα δύο memorat Dio, loc. cit. Hæc autem legio ſexta eadem ſanè eſt, quæ poſtea fuit in inferiore Britanniâ *legio ſexta Victrix*. Dio, ibid. In multis Britanniæ monumentis, LEG. VI. VICT. & in veteri Inſcriptione apud eruditum Gori, *Inſcript. Antiq.* Tom. III. pag. 173. LEG. VI. VICTRICIS.

LEGIO SEXTA, in Syriâ. Tacit. Annal. XV, 6 & 26. Dioni, loc. cit. dicitur *legio ſexta Ferrata*, *in Judæâ*.

LEGIO SEPTIMA CLAUDIANA, in Mœſiâ. Tacit. Hiſt. II,

85. In nummis Gallieni & Carauſii, LEG VII CL. Dionis tempore fuit in Mœſiâ ſuperiore. Dio, loc. cit.

LEGIO SEPTIMA GALBIANA, in Pannoniâ. Tacit. Hiſt. II, 86. Dionis ætate fuit in Hiſpaniâ. Dio, loc. cit.

LEGIO OCTAVA, in Mœſiâ. Tacit. Hiſt. II, 85. Dioni, loc. cit. memoratur *legio octava Auguſta, in Germaniâ ſuperiore.* In nummis Gallieni, LEG VIII AVG. In nummis Carauſii LEG VIII INV. id eſt *legio octava invicta.*

LEGIO NONA, in Britanniâ. Tacit. Hiſt. III, 22. Apud Dionem nulla de eâ mentio. At in nummis Gallieni, LEG VIIII AVG. id eſt *legio nona Auguſta*; Et in nummo Carauſii, LEG VIIII GE. id eſt *legio nona Gemina.* Cur legiones dicerentur *Geminæ* mox explicabitur. Vide *legionem tertiamdecimam geminam.*

LEGIO DECIMA, in Hiſpaniâ. Tacit. Hiſt. II, 58. & III, 44. Duæ fuere legiones decimæ. Ætate Dionis una erat in Pannoniâ ſuperiore, altera in Judæâ. Quæ erat in Pannoniâ dicebatur *Gemina.* Οἱ δεκάτειοι, οἵ τε ἐν τῇ Παννονίᾳ τῇ ἄνω, οἱ Δίδυμοι, ϗ οἱ ἐν Ἰουδαίᾳ. Dio, loc. cit. Malè vertit Latinus Dionis interpres, legio *decima utraque Gemina.* In nummis Gallieni, LEG X GEM.

LEGIO DECIMA, in Judæâ. Tacit. Hiſt. V, 1. Vide & Appendicem ad librum V. Hiſtoriar. cap. 43.

LEGIO UNDECIMA, in Dalmatiâ. Tacit. Hiſt. II, 11 & 86. III, 50. Legio illa cognominata eſt *Claudiana*, & Dionis tempore fuit in Mœſiâ inferiore. Septimam autem & undecimam legiones a Claudio nuncupatas fuiſſe *Claudianas*, quòd in Camilli ſeditione adversùs Claudium non rebellaſſent, docet Dio, loc. cit. In nummis Gallieni, LEG XI CL. id eſt *legio undecima Claudiana.*

LEGIO DUODECIMA, in Syriâ. Tacit. Hiſt. V, 1. Dioni, loc. cit. *legio duodecima, in Cappadociâ, fulminifera*, τὸ δωδέκατον τὸ ἐν Καππαδοκίᾳ, τὸ Κεραυνοφόρον. Legionis hujuſce duodecimæ Fulminatricis percelebre fuit nomen, Principe M. Aurelio adversùs Quados pugnante. Id tamen nominis antè erat nacta, ut patet, ex veteri Inſcriptione, Nervæ & Trajani temporibus ſuppari, apud Gruterum, pag. CXCIII. num. 3. LEG. XII. FVLM. Inditum videtur illud nomen ex fulminibus, quæ habuit inter inſignia. In Notitiâ Imperii dicitur quoque *legio duodecima Fulminea Melitena.* Quando miſſa fuerit Melitenen diximus in Appendice ad librum V. Hiſtor. cap. 43.

LEGIO TERTIADECIMA GEMINA, in Pannoniâ. Tacit. Hiſt. II, 86. & III, 7. Ita quoque illam nominat Dio. At ejus tempore fuit in Daciâ. *Gemina* dicebatur, quia ex duabus legionibus una fuerat facta. Ex admixtis enim legionibus Geminæ nuncupabantur. Τὰ δὲ ϗ ἑτέροις .... ἀνεμίχθη, ἀφ᾽ ὅπερ ϗ Δίδυμα ὠνομασμένα νενομίσαι. Dio, loc. cit. Sic Pompeius, apud Julium Cæſarem, Bell. civil.

III, 4, habebat legionem *unam ex Siciliâ veteranam, quam factam ex duabus, gemellam appellabat.* In nummis Gallieni, LEG XIII GEM.

LEGIO QUARTADECIMA, ſæpe locum mutavit. Fuit in Dalmatiâ, in Britanniâ, in Germaniâ ſuperiore. Tacit. Hiſt. II, 66 & 86. IV, 68 & 79. V, 19. Dionis tempore erat in Pannoniâ. Sed tunc cognominabatur *Gemina.* Dio, loc. cit. In nummis Gallieni, LEG XIIII GEM.

LEGIO QUINTADECIMA, in inferiore Germaniâ. Tacit. Hiſt. I, 55.

LEGIO QUINTADECIMA, in Judæâ. Tacit. Hiſt. V, 1. mox in Pannoniam remiſſa. Vide Appendicem ad librum V. Hiſtor. cap. 43. Dionis tempore memoratur *legio quinta decima Apollinaris, in Cappadociâ.* Dio, loc. cit. In veteri quoque Inſcriptione, ætate Trajani, apud eruditum Shaw, *Voyages,* Tom. I. pag. 263. LEG. XV. APOL.

LEGIO SEXTADECIMA, in inferiore Germaniâ. Tacit. Hiſt. I, 55. A Dione non memoratur. Ejus ætate fortè fuit alteri legioni admixta. Apud Gruterum, pag. DXVI. num. 7. exſtat memoria duorum fratrum, qui militavere in LEGIONE. XVI. IN. GERMANIA.

LEGIO SEPTIMADECIMA nec a Tacito, nec a Dione memoratur. Videtur Varianâ clade a Germanis fuiſſe cæſa: inde ejus memoria ſanè obliterata. Apud Gruterum, pag. DXXXIX. num. 6. memoratur Cn. Curio Sabinus LEG. XVII miles.

LEGIO DUODEVICESIMA a Tacito & Dione ſiletur. Periit clade Varianâ. Exſtat inſigne ejus monumentum, olim in Veteribus caſtris, hodie *Santen*, erectum, nunc ſtudio illuſtriſſimi Joannis Mauricii, Principis Naſſaviæ, in oppido *Bergendal*, prope Clivos, *Cleves*, adſervatum, teſte Cl. Alting, *Notitia Germaniæ inferioris antiquæ*, pag. 33.

M. CAELIO. T. F. LEM. BONO
. . . . . . O. LEG. XIIX. ANN. LIII.
. . . . CIDIT. BELLO. VARIANO. OSSA.
. . . . NFERRE. LICEBIT. P. CAELIVS. T. F.
LEM. FRATER. FECIT.

Explicat ſuppletque Cl. Alting:
*Marco Cælio, Titi filio, Lemoniâ* tribu, *bono nomine*, (Malim *Bono*, ut *M. Cælii* cognomen ſit. Nec aliter in Plinianis Inſcriptionibus, quæ in agro Comenſi exſtant C. PLINIO. L. F. OVF. CAECILIO SECUNDO. COS. AVG. &c. Id eſt *Caio Plinio, Lucii filio, Oufentinâ tribu, Cæcilio Secundo, conſuli, auguri* &c.) *primo & legato* (diſplicet *primo &*) *legionis duodevigeſimæ annorum quinquaginta trium. Cecidit* (Fortè *qui cecidit*) *bello Variano. Oſſa inferre licebit. Publius Cælius Titi Filius, Lemoniâ* tribu, *frater fecit.*

Huic cenotaphio inſculpta Cælii imago. Caput habet cinctum civicâ coronâ querceâ, brachia armillis redimita: ſupra humeros & in pectore geſtat phaleras: dextrâ tenet haſtam puram, ſiniſtrâ vexillum. Inde facilè intelligas omnia Taciti loca, quibus compta ſigna, lætos exercitus, milites inſignibus fulgentes memorat.

Legionis autem duodeviceſimæ nomen Trajani ætate renovatum fuiſſe videtur, ſi nihil peccatum eſt in Inſcriptione veteri, quam a Sirmondo accepit Gruterus, pag. MXCVI. num. 6. Ibi enim memoratur Cn. Marcius Gal. Plætorius Celer miles LEG. XVIII. FIRM. donis donatus a divo Trajano in bello Parthico, coronâ murali, torquibus, armillis, phaleris. Monuerim in hac Inſcriptione poſtea erraſſe Gruterum, cùm edidit LEG. XXIIII GEM. MART. VICTR. Schedæ Mſſ. Sirmondi habent LEG. XIIII. GEM. MART. VICTR. Apud eruditum Shaw, *Voyages*, Tom. I. pag. 263. ex veteri Inſcriptione, Trajani ætate, memoratur quoque LEG. XVIII. PRIMIG. id eſt *legio duodeviceſima primigenia.* Sed mendosè fortè pro LEG. XXII. Illa enim legio *primigenia* cognominabatur, ut videre eſt in Inſcriptione, quæ mox afferetur cap. 43.

LEGIO UNDEVICESIMA. Nulla ejus mentio apud Dionem, loc. cit. Nec a Tacito memoratur in Hiſtoriarum libris. Nempe una fuerat e tribus, quæ Varianâ clade periere, ut vidimus ſuprà Annal. I, 60.

LEGIO VICESIMA, in Britanniâ. Tacit. Hiſt. I, 60. & III, 22. Dioni, loc. cit. *legio viceſima Valeria Victrix in ſuperiore Britanniâ.* In nummis Gallieni, LEG XX. In Carauſii nummo apud Cl. Stukeley, LEG XX VV. id eſt *legio viceſima Valeria Victrix.* Eadem legio viceſima, ætate Dionis, fuit in ſuperiore Germaniâ.

LEGIO UNAETVICESIMA RAPAX, in Superiore Germaniâ. Tacit. Hiſt. I, 61 & 67. II, 43. In nummo Gallieni apud Cl. Banduri loc. cit. LEG XXI GEM. id eſt *legio unaetviceſima Gemina.* De eâ ſilet Dio. Ejus monumenta in agro Tigurino, anno 1724 eruta vide apud Schelhornium, *Amœnitates literariæ*, Tom. VII. pag. 1 & ſeqq.

LEGIO DUOETVICESIMA, in ſuperiore Germaniâ. Tacit. Hiſt. I, 18 & 55. III, 18. IV, 24. Frequens ejus mentio in Moguntinis monumentis. In nummis Gallieni LEG XXII. Nulla ejus memoria apud Dionem, loc. cit. Dicta eſt *primigenia* in veteri Inſcriptione apud eruditum Gori, *Inſcript. Antiq.* Tom. III. pag. 172. LEG. XXII. PRIMIG. Dicitur etiam *primigenia*, *pia*, *fidelis* in Inſcriptione poſitâ olim in Veteribus caſtris, *Santen*, nunc in oppido *Bergendal* ſervatâ, teſte Cl. Alting, loc. cit. pag. 32.

HERCVLI. SAX
SANO. SACRVM
C. SVLPICIVS. MA
TVRVS. LEG. XXII.
PR. I. F. ET COMMI
LITONES. LEG. EIV
SDEM. QVI. SVE.
EO SVNT.
V. S. L. M.

Id eſt *votum ſolverunt libentes meritò.*

LEGIO DUOETVICESIMA, in Ægypto. Tacit. Hiſt. V, 1. Apud Gruterum, pag. DXXV. num. 2. memoratur T. Aufidius Balbus TR. MIL. ALEXANDRE AD AEGYPT. LEG. XXII. id eſt *tribunus militum Alexandriæ ad Ægyptum legionis duoetvicesimæ.* Et in Patrenſibus nummis, Principibus Claudio & Galbâ, cuſis, COL. A. A. PATR. id eſt *colonia Auguſta Aroe Patrenſis;* & inter aquilam ſignaque militaria, XXII. Id eſt *legio duoetviceſima.*

LEGIO E CLASSICIS, Legio illa memoratur Hiſt. III, 55: conſcripta, ut videtur, a Vitellio, extremis ac ferme deſperatis rebus. Statim Flavianis dedita, nuſquam poſtea comparet. Eam ſanè Vitellius e caſtris Ravennatium & Miſenatium, quæ erant Romæ, conſcripſerat. Hæ ſunt legiones, quæ inter hos civilium bellorum motus paſſim celebrantur. Ad faciliorem Taciti Hiſtoriarum intelligentiam ſuis quaſque in locis nunc juvat repræſentare.

# LEGIONES

*In Britanniâ,*

SECUNDA, NONA, VICESIMA.

*In Hiſpaniâ,*

PRIMA ADJUTRIX, SEXTA, DECIMA.

*In Galliâ,*

PRIMA ITALICA.

*In inferiore Germaniâ,*

PRIMA, QUINTA, QUINTADECIMA, SEXTADECIMA.

*In ſuperiore Germaniâ,*

QUARTA, UNAETVICESIMA, DUOETVICESIMA.

*In Pannoniâ,*

SEPTIMA GALBIANA, TERTIADECIMA.

*In Dalmatiâ,*

UNDECIMA, QUARTADECIMA.

*In Mœſiâ*,

SEPTIMA CLAUDIANA, OCTAVA.

*In Syriâ*,

TERTIA, QUARTA, SEXTA, DUODECIMA.

*In Judæâ*,

QUINTA, DECIMA, QUINTADECIMA.

*In Ægypto*,

TERTIA, DUOETVICESIMA.

*In Africâ*,

TERTIA.

Demum cùm hiſtoriam Romanam uſque ad Trajani tempora illuſtrandam ſuſceperim, paucis addam apud Dionem loc. cit. memorari legiones, quæ poſt civilia bella a Principibus lectæ ſunt. Nempe lecta a Veſpaſiano, LEGIO QVARTA FLAVIA, quæ Dionis ætate fuit in Syriâ. In nummis Gallieni & Carauſii, LEG IIII FL vel FLAVIA. A Domitiano, LEGIO PRIMA MINERVIA, quæ Dionis tempore fuit in Germaniâ inferiori. In nummis Gallieni, LEGIMIN. A Trajano, LEGIO SECVNDA AEGYPTIA, & LEGIO TRICESIMA GERMANICA VLPIA. In nummis Gallieni & Carauſii appellatur tantùm, LEG XXX VLP vel VLPIA. In veteribus Inſcriptionibus, LEG. XXX. V. V. Id eſt *legio triceſima*, *Ulpia*, *victrix*. *Legio* autem *ſecunda Ægyptia* eadem ſanè eſt, quæ in Inſcriptione infrà, pag. 426, dicitur II TRAIANA.

His præmonitis, nulla, ut opinor, reſtat difficultas: manet tantùm admiratio terrarum orbem tam paucis legionibus fuiſſe devictum, aut in obſequio retentum; inſuperabili ſervitio, ni ducum ambitio, militum cupido legiones, ut cetera imperii, perdidiſſent. At hæc mirari deſinet, qui militarem Romanorum diſciplinam, legionumque formam, *divinitatis inſtinctu* potiùs, quàm *humano conſilio* conſtitutam noverit. Veget. II, 21. Hæc cùm diu ſecum reputaſſet vir in re bellicâ ſummus, & de Galliâ optimè meritus, legionariam militiam, quam validiorem expeditioremque, & impenſarum parcam, exiſtimabat, reſtitutam voluit. Vide *Mémoires ſur l'Infanterie*, ou *Traité des Légions*, *ſuivant l'exemple des anciens Romains*, *par M. le Maréchal de Saxe.*

SECUNDUM TUTUMQUE ]Bene Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps, Pichena & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *Secluſum tutumque.*

CAP. VII. EXSPECTARI BELLUM: VICTORES VICTOSQUE NUMQUAM

SOLIDA FIDE COALESCERE ] Mſſ. & veteres editiones, *exſpectari bellum: cum in victores* &c. Inde conjiciebat Pichena, *exſpectari belli exitum: victores* &c. Malè Jac. Gronovius, *belli nutum*, vel *cumulum*. Mox optimè reſtituit Pichena, ſecutus Mſ. Flor. *ſolidâ fide coaleſcere*. Sic quoque habet editio princeps. In Mſſ. Harl. Bodl. & Puteolanus, *ſolida fides coaleſceret*.

CETERI OLIM ] Bene editio princeps & recentiores. Puteolanus, *cæterum*. Corruptè Mſ. Corb. *ceci*. Malè Ryckius e ſuo Mſ. Agr. *Titi operâ mixtis conſiliis*.

CAP. VIII. EUM FINGENTIBUS, CREDENTIBUSQUE ] *Que* abeſt a Mſ. Jeſ. Fortè ſcriptum olim, *credentibuſve*. Aliter durum videbitur, *eoque... credentibuſque... conatuſque*. Pro *eum fingentibus*, in Mſ. Agr. *confingentibus*.

PROPIOR AD FALLENDUM ] Mſſ. Jeſ. & Agr. *proprior*. Mallet Freinshemius, *promptior*. Optimum eſt, *propior*; ut fatetur ipſe Cl. Erneſtus, qui tentat *pronior*.

VI TEMPESTATUM CYTHNUM INSULAM ] Mſſ. Vatic. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *Scythinum inſulam*. Editio princeps *Cinthum inſulam*. Bene Mſ. Flor. & Recentiores *Cythnum*. At cùm in Mſ. Corb. legatur, *vi tempeſtatis incynctum inſulam*, fortè ſcriptum olim, *vi tempeſtatis in Cythnum inſulam*.

VEL ABNUENTES ] Bene Mſſ. Flor. Guelf. Harl. Bodl. Jeſ. Ryckius & Recentiores. In editionibus veteribus, *& abnuentes*.

CAP. IX. AD PROSEQUENDUM, CUM QUIBUS ] Ita Mſſ. Bud. Reg. Guelf. Harl. Bodl. Jeſ. Rhenanus & Recentiores. In veteribus editionibus, *ad proſequendum eum, quibus*.

TRIERARCHI NUTANTES ] Corruptè Mſ. Reg. & editio princeps, *trierarchis*. Unde tentabat Erneſtus, *trierarchi ſeu nutantes*. Sed minimè neceſſariò, ut fatetur.

ADLOQUENDOS SIBI ] Bene Puteolanus. Sic quoque omnes Mſſ. In editione principe, *adequandos*. Unde fruſtra tentat Gruterus, *adaquandos*: Gallicè, *faire de l'eau*.

CAP. X. VIBIUS CRISPUS ] Malè Mſ. Corb. & editio princeps, *Jubius Criſpus*.

AD HÆC TERRORE ] Bene Beroaldus & Recentiores. In Mſſ. Flor. Reg. Bud. *ad hunc terroris*. Mſ. Bodl. *ad hoc terroris*. Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *ad hæc terroris*. Mſ. Agr. & editio princeps, *ad hunc terrore*. Inde tentabat J. Frid. Gronovius, *ad hunc terrorem*.

SENATUS PARTEM ] Bene Mſ. Reg. & libri omnes editi. Malè Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *magiſtratûs partem*. Sic quoque Mſſ. Bud. Guelf. manu primâ.

Postularent ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *poſtularet.*

Invisum ac nocentem ] Rectè adhuc Mſſ. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *infirmum & nocentem.* In margine Mſ. Bodl. *inviſum.*

CAP. XI. Læta interim ] Ita Mſſ. & libri editi, præter ſecundam Rhenani editionem, in quâ omiſſum, *interim.*

E Dalmatia ] Bene Ryckius e Mſſ. Flor. & Agr. Freinshemius, *a Dalmatiâ.*

Præcipua fama quartadecumani ] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Bud. Reg. Guelf. & Rhenanus, *præcipui.* In Mſ. Corb. & editione principe, *præcipua fama quartadecima.* Puteolanus, *quartadecumana.* In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. ut jam dictum, *præcipui fama XIIII^a^* vel *quartadecuma.* Sed in margine Mſſ. Harl. Bodl. emendatum, *quartadecimani.*

Agmen legionum ] In Mſ. Reg. & editione principe, ac Beroaldus, *eo agmen legionum.* Puteolanus rectè omiſit *eo.* In Mſſ. Harl. & Guelf. alterâ tantùm manu additum.

Vestricio Spurinna ] Inter ceteras Spurinnæ ſenectutis laudes vim ejus poeticam celebrat Plinius, III, Ep. 1. *Scribit enim* Spurinna, *& quidem utrâque linguâ, lyrica doctiſſimè. Mira illis dulcedo, mira ſuavitas, mira hilaritas: cujus gratiam cumulat ſanctitas ſcribentis.* Fragmenta ejus odarum quinque edidit Gaſpar Barthius, inter Venaticos Scriptores, mox in Adverſariis, XV, 5. Ea deinde accuratiùs & cum eruditis Notis iterum edidit eruditus Bayerus, *Commentarii Academiæ Scientiarum Petropolitanæ*, Tom. XI. pag. 311 & ſeqq. At certè his carminibus non ineſt ea dulcedo, ea ſuavitas, ea hilaritas, quam commendat Plinius, ſed operoſa tantùm verborum concatenatio. Unde minimè crediderim carmina illa eſſe Spurinnæ fetum. In Mſ. Martiſpurgenſi, e quo edita ſunt, inſcribuntur *Veſprutii ad Martium.* Divinatum eſt ea eſſe Veſtricii Spurinnæ ad Marium Celſum, conſulem deſignatum, de quo ſæpe agitur in his Taciti Hiſtoriarum libris. Si quis autem voluerit crudæ ac viridis ſenectutis exemplum cognoſcere, integram legat Plinii epiſtolam, quam modò laudavi, & Spurinnam imitetur.

Intra Gallias ] Bene Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Puteolanus & Recentiores. Malè Mſſ. Corb. Reg. & editio princeps, *inter.*

Usus est ] Ita Mſſ. Flor. Reg. editiones veteres & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Rhenanus tantùm, *uſus.*

CAP. XII. Adgrediendæque ] Bene Mſſ. Farneſ. Corb. Lipſius & Recentiores. In Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. & editionibus veteribus, *aggrediendiſque.*

Militum

Militum vinctus ] Bene Mſſ. Flor. Corb. Pichena & Recentiores. In Mſ. Reg. & editione principe, *junctus*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *victus*.

Corruptus ... avidus ] Ita libri omnes ſcripti & editi. Hæc fruſtra ad milites refert J. F. Gronovius; & emendat, *corruptos ... avidos*.

Nec loca ] Mſ. Corb. *neque loca*.

Juxta conjuges ] Mſ. Corb. *juxta conjuges ſuas*.

Primo impetu ] Mſ. Corb. *primo ictu*.

In victoria decus ] Mſ. Jeſ. *victoria decus*, omiſſâ præpoſitione.

CAP. XIII. Albium Intemelium ] Bene Lipſius & Recentiores. Malè Mſſ. *Albintimilum*, *Albuntimilium*, aut quid corruptius.

Femina Ligus ] Mſ. Agr. & editio princeps, *Ligur*. Vulgò Mſſ. *Lygus*. Sic quoque Virgilius, Æneid. XI, 715.

*Vane Ligus, fruſtraque animis elate ſuperbis.*

Terroribus, aut morte ] Ita Mſſ. Flor. Reg. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *tortoribus*, *aut morte*. In margine Mſ. Harl. additum, *terroribus*.

Latere respondit ] Amicus Ryckii ſupplebat, *hìc latere*.

CAP. XIV. Tungrorum ] Bene Mſ. Reg. Rhenanus & Recentiores. Editio princeps, *Thuringorum*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *Turingorum*.

Etiam paganorum manus ] Ita Mſ. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ſimul a latere etiam ſaxis urgeret apta ad jaciendum paganorum manus*. Mſ. Flor. *ſaxis etiam urgeret*. Quod mallem.

Obtentui fugientibus ] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *objectum obtentui fugientibus*.

CAP. XV. Sidente ] Malè editio princeps, *ſedentem*. Puteolanus, ac deinde ceteri omnes, *ſidente*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *cedente*; quod mallet Erneſtus, aut *reſidente*. In Mſ. Corb. *ſidentes*.

Tungrarum cohortium ] In Mſ. Corb. *Turingorum*. Aberat *cohortium*. Additum eſt alterâ manu. In Mſſ. Harl. Bodl. & editionibus veteribus, *Turingarum cohortium*.

Circumvenerunt ] Mſ. Corb. *circumvenere*.

Inde eques ] Ita Mſſ. editiones veteres & recentiores. Fruſtra Rhenanus emendaverat, *equites*.

Albingaunum ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Flor. & editione principe, *Albigaunum*.

CAP. XVI. Decumi Pacarii ] Ita Mſſ. & veteres editiones. In recentioribus, *Decimi*. Cl. Erneſtus, *D. Pacarii*.

TANTA MOLE BELLI ] Ita libri omnes. Mallet J. F. Gronovius, *tentatâ mole belli.*

IN SUMMAM ] Bene Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. & veteribus editionibus, *in ſummâ.* Sic jam emendatum ſuprà Annal. XIII, 38.

PHIRRICUM ] Ita Mſſ. Reg. & Flor. In editione principe, *Pirricum.* Puteolanus, *Pirrhicum.* Mſ. Guelf. *Pyrricum.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *Pyrrhicum.* Quod volebat J. F. Gronovius; & melius puto. In Inſcriptione veteri apud Gruterum, pag. DXCVII. num. 2. memoratur PYRRICHE.

BALINEIS ] Pichena e Mſ. Flor. & veterum ſcriptorum uſu. Alii, *balneis.*

CAP. XVII. APERUERAT JAM ITALIAM ] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *aperuerat jam in Italiâ.* Mox Mſ. Harl. *bellum quod tranſmiſerat*, &c.

ALA SYLLANA ] Editio princeps, *Silana.*

FACILES OCCUPANTIBUS ] Mſ. Corb. *fragiles.* Mſ. Agr. & editio princeps, *occupationibus.*

MELIORIBUS INCURIOSOS ] Ita libri omnes. Ac bene quidem. Minimè curabant qui eſſent meliores. Tentat J. F. Gronovius, *melioribus incurioſis*: Groſlotius, *meliorum incurioſos.* At *melioribus* hìc dictum, ut ſuprà Annal. XIV, 38. *ſerendis frugibus incurioſos.*

ET URBIUM ] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *& urbium eſt. Eſt* rectè omiſſum in Mſ. Corb. editione principe & recentioribus.

QUEM REPENTE ] Rhenanus, ſecutus Mſ. Bud. omiſerat, *repentè.* Illud meritò reſtituit Pichena. Suffragantur Mſſ. & veteres editiones.

RAPTIS QUIBUSDAM ] Ita libri omnes. Fruſtra quidam tentant, *captis.*

CAP. XVIII. TRIBUNISQUE ] Puteolanus, aliique deinde omnes, *tribunisque providentiam ducis laudantibus.* Quæ inſititia eſſe, & ex capite ſequenti arceſſita, meritò ſenſere Pichena aliique viri eruditi. Idque evidentiſſimum eſt ex Mſſ. Reg. Flor. & editione principe, in quibus *providentiam ducis laudari.* Mſ. Corb. *laudare.*

QUI PRODITIONEM ] Bene Mſſ. & veteres editiones. Perperam in recentioribus editionibus, ex conjecturâ Merceri, emendatum *quin.*

PRODITIONEM ] In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Reg. & editionibus veteribus, *pro Othone.* In Mſ. Flor. *per Othonem.* Mſ. Corb. *Othonem*, ſine præpoſitione. Tentabat Mercerus, *proditione accitum.* Meliùs Pichena & Recentiores, *proditionem & accitum.*

INESSET CONSILIIS ] Mſ. Corb. *eſſet.*

CAP. XIX. NOX APPETEBAT ] In Mſ. Harl. ſecundâ manu emendatum, *apparebat.*

Contudit animos ] Mſ. Flor. & editio princeps, *contundit*. Mſ. Corb. *contundis*. Mſ. Bud. *contundet*.

Tum vetustissimus ] Ita Mſſ. Reg. Flor. Agr. Corb. editio princeps, Ryckius & Cl. Lallemand. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *mœſtiſſimus*. Inde Freinshemius emendavit, *inertiſſimus*. Gronovius, *vecordiſſimus*. Tentabat quoque Lipſius, *modeſtiſſimus*. At optimè dicitur, *vetuſtiſſimus*. Iis enim vulgò ſanior mens. Ita quoque vertit Cl. Gordon, *Then it was that all they who were moſt grown in years, condemned their own credulity*. In margine Mſ. Bodl. additum, *vetuſtiſſimus*.

Laudare providentiam ] Ita Mſſ. Corb. Agr. & Freinshemius. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & editiones veteres, *laudari providentiam*. Corruptè editio princeps, *provinciam*. Alterâ manu emendatum in Mſ. Harl. *laudare*. Gronovius aliique, *laudari providentia*. Latinè quidem. Sed probè quoque *laudare*.

CAP. XX. Insignis equo ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. & editio princeps. Idque ex communi Taciti uſu. Puteolanus ac deinde omnes, *inſigni*.

Ægris oculis ] Mſ. Corb. *acribus oculis*.

In æquo videre ] Mſ. Corb. & editio princeps, *in æquis*. Mſſ. Harl. Bodl. & Puteolanus, *viderunt*.

Provenissent ] Malè Mſ. Reg. & editio princeps, *præveniſſent*. Ac mox, *fama incerta fore*.

CAP. XXI. Sive ab obsessis ] Mſ. Corb. *ſin ab obſeſſis*.

Dum regerunt ] In Mſſ. Flor. Reg. Bud. Corb. & editione principe, *dum reportans gerunt*. In Mſſ. Harl. Jeſ. *dum per portas egerunt*. In Mſ. Agr. *dum in hoſtes ingerunt*. Rhenanus tentabat, *dum reperta tranſgerunt*: Gronovius, *dum retorta ingerunt*: Heinſius, *dum per tormenta ingerunt*. Alia multa divinare facile eſt. At æquè placet Puteolanus, *dum regerunt*. Nec aliter libri omnes poſt Puteolanum editi. Si quid mutandum, mallem, *dum in hoſtes regerunt*.

A quibusdam e vicinis ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Agr. Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Flor. Corb. & editione principe, *a quibuſdam & vicinis*. Pichena, *e quibuſdam vicinis*.

Invidia et æmulatione ] Ita Muretus, Pichena, & e Recentioribus plurimi. Sic adhuc infrà Tacitus, Hiſt. II, 101 & III, 67. In Mſſ. & veteribus editionibus, *invidiæ æmulatione*, quod retinuit defenditque Ryckius.

Accidit ] Mſ. Bud. *accidat*. Unde Rhenanus emendavit, *acciderat*. Pariter Jac. Gronovius e Mſ. Flor. Alii Mſſ. editiones veteres ac recentiores, *accidit*.

Nox . . . absumpta ] Ita Muretus, J. F. Gronovius & Recentiores.

Ac bene quidem. In Mſſ. & veteribus editionibus, *aſſumpta*: quod minimè convenit. Sic Tacitus, Vit. Agr. XXI. *Sequens hiems ſaluberrimis conſiliis abſumpta.*

Perfringendis obruendisque hostibus] Ita Mſſ. Flor. Reg. Bud. Corb. Agr. Guelf. editio princeps, Jac. Gronovius & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. & Puteolanus, *perfringendis operibus, obruendiſque hoſtibus.* In Mſ. Jeſ. *perſtringendis operibus*, &c. certè *perfringendis operibus* minimè diſpliceret, ſi plures Mſſ. conſentirent.

Utrimque pudor] Mſ. Jeſ. *utrique pudor, utrique gloria.*

CAP. XXII. Propugnatoribus] Mſſ. Harl. Jeſ. *oppugnatoribus.*

Contra prætoriani] In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *prætorianus.* Puteolanus ac ceteri, *prætoriani.*

Subeuntium obruti] Mſ. Corb. *obruta.*

Aut laceri] Ita Mſſ. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *ac laceri.*

Pudore cœptæ] Bene Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Erneſtus & Recentiores. In veteribus editionibus, *famâ & pudore.* At *fama &* repetitum e ſuperioribus *fama & Cæcina.* Fruſtra ergo tentabat Lipſius, *fame.*

Adsideret] Mſ. Corb. *inſideret.*

Tradidere sese] Bene Mſſ. Flor. Corb. Guelf. editiones veteres & recentiores. Beroaldus, *tradidere ſe.*

Turullius] Mſ. Bodl. *Turrullius.* Mſ. Harl. *Turrillius.* In veteribus Inſcriptionibus memorantur TVRVLIVS & TVRVLLIA.

In Batavis genitus] *Genitus* abeſt a Mſ. Corb.

CAP. XXIII. Diffisus paucitate] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *paucitati.* Utrumque latinè.

Bebriaci] Ita Mſſ. Reg. Corb. Harl. Bodl. Jeſ. Agr. Puteolanus aliique plurimi. Laudat Lipſius e Mſſ. Vatic. & Sambuci, *Bedriaci.* Sic quoque Mſ. Flor. editio princeps & recentiores. At cùm ſcripſerit Plinius X, 49, *Bebriacenſibus bellis.* Juvenal. Satyr. II, 106.

*Bebriaci campo ſpolium affectare palati.*

Et vetus Scholiaſtes Juvenalis, ad hunc locum, *Bebryaci campum...: Bebryacum vicum* memoret; *Bebriacum* probatius videtur. Plutarcho in Othone pag. 1071. Βητριακόν.

Qui restiterant] Mſſ. Harl. Jeſ. Corb. *reſiſterent.*

Sed repressus] Editio princeps, *ſed reprehenſi.* Mſ. Corb. *reprenſi.*

Novis subsidiis] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *præſidiis.*

Omnia quæcumqe facta] Ita vulgò Mſſ. Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Flor. *omnia quo cū.* In Mſ. Reg. & editione principe,

*omniaque vocum factum.* In Mſ. Agr. *omnia quæ ducum facta.* Sed *ducum* alterâ manu. Tentabat Freinſhemius, *omnia ducum facta.* Cl. Lallemand, *omnia quorumcumque facta.*

Incessebant] Bene Mſ. Agr. Ryckius & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *inceſſerant.* Editio princeps, *inceſſerent.*

Res egregiæ gestæ] Mſſ. Harl. Bodl. *egregie.*

CAP. XXIV. Locus Castorum] Malè Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & veteres editiones, *caſtrorum.* Rectè emendatum *Caſtorum*, ut patet ex Suetonio jam laudato in Notis. Sic & Oroſius, VII, 8. *Circa locum, quem Caſtoris vocant.*

Occultos componit] Ita Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Pichena & Recentiores. In Mſ. Reg. & editionibus veteribus, *imponit;* quod mallet Erneſtus.

Longius jussi] Bene Rhenanus & Recentiores. Perperam Mſſ. & veteres editiones, *juſſit.*

Sponte refugi] Ita Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Rhenanus & Recentiores. In veteribus editionibus, *refugere.*

Coorirentur] Malè Mſſ. Reg. Harl. & editiones veteres, *coercerentur.* Mſ. Bodl. *coercerent.*

Altis ordinibus] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. Bud. Guelf. Agr. editio princeps & recentiores. Corruptè Mſ. Jeſ. *altibus.* In Mſ. Bodl. & Puteolanus, *arctis ordinibus.*

Obtinuere: dextra fronte] Fruſtra tentat Lipſius, *obtinuere dextrâ. A fronte prima legio inceſſit*, &c.

Auxiliaribus cohortibus] In Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. & editionibus veteribus, *vexillaribus cohortibus.* In Mſſ. Jeſ. Agr. & Corb. *vexillariis cohortibus.* Mercerus conjecit emendandum, *auxiliaribus;* quod Pichena ac deinde omnes recepere. Nec immeritò, cùm nuſquam in veteribus monumentis occurrant *vexillariæ cohortes.* Si quod tale monumentum poſtea reperiretur, tunc ſanè, ob Mſſ. codicum auctoritatem, hìc reponendum foret *vexillariis cohortibus.*

CAP. XXV. Adversa frons] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. Harl. Bodl. Jeſ. Unde meritò Jac. Gronovius diſtinxit, *legionum adverſa frons.* In veteribus editionibus, *a lateribus cohortes legionum, adverſâ fronte.* Fruſtra tentabat Lipſius, *a lateribus cohortes, legio adverſâ fronte.* Nempe Vitellianorum latera cohortes, frontem adverſa legionum frons, terga equites Othoniani cinxerant.

Aperiri campum] Mſ. Agr. *campos.*

Aciem jubebat] Cl. Lallemand e Mſ. Reg. edere voluit, *jubet.* At ut ceteri omnes edidit, *jubebat.*

Incipi victoriam] In Mſſ. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *incipi victoriam ratus.* At cùm *ratus* abſit a Mſ. Reg. & editione principe, nec

neceſſarium ſit, illud meritò omiſit Cl. Erneſtus, utì volebat Freinſhemius.

VINCERENTUR ] Mſ. Jeſ. *vinceretur.*

CAP. XXVI. ERUPIT ] Fruſtra tentat J. F. Gronovius, *irrupit.* In Mſ. Reg. *erumpit.*

FRATREM EJUS ] *Ejus* abeſt a Mſ. Bodl.

OCCURSANTES ] Ita Mſſ. Reg. Corb. editio princeps & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *occurſanteſque.*

TANTUM INSUPER LABORIS ] Mallet Cl. Erneſtus, *tantum ſuper laboris.*

RECENS E CASTRIS ] Bene Mſ. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *recens caſtris*, omiſsâ præpoſitione.

ET PERCULSIS ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *& periculoſis.*

CAP. XXVII. ID DAMNUM ] Ita libri omnes ſcripti & editi, præter Rhenanum, qui omiſit *id.*

FABII QUOQUE ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ſed Fabii quoque.*

ET ÆQUALIUS ] Solus Mſ. Agr. *& æquabilius.* Idem ſignificat, *æqualius.*

UT CUJUSQUE LEGIONIS ] Mſſ. Flor. Agr. Corb. *ut cujus legionis.* Corruptè editio princeps, *ut cujus regionis.*

CAP. XXVIII. SIN VICTORIÆ SANITAS ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Bud. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ſin victoria, ſanitas.*

UT CORPORI ] Mallet Heinſius, *ſuo corpori.* Non ineleganter. At potior adhuc vulgata ſcriptura.

CAP. XXIX. SILENTIO, PATIENTIA ] Ita libri omnes. Fruſtra tentat Lipſius, *ſilentio, pœnitentia.*

CAP. XXX. RENOVATA SEDITIO ] Mſſ. Harl. Jeſ. *revocata.*

CÆCINÆ JUNGUNTUR ] Ita Mſſ. veteres ac recentiores editiones. In mediis quibuſdam, fortè operarum errore, *jungitur.*

PROPE DUPLICATUS ] Ita Mſ. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *ac propè duplicatus.*

INANI FAVORE ] Ita libri omnes. Mallet J. F. Gronovius, *inanium*; ut ſuprà Annal. XIII, 8, de Corbulone: *Corbulo .... corpore ingens, verbis magnificus, & ſuper experientiam ſapientiamque, etiam ſpecie ina-*

*nium validus.* At eodem ſenſu accipi poteſt, *inani favore,* id eſt, favore, qui per inania captatur.

CAP. XXXI. SIBI IPSI HOSTIS ] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Puteolanus & Recentiores. Rhenanus e Mſ. Bud. in quo *ſibim.* conjiciebat, *ſibimet hoſtis*; recepitque Gronovius. Mſ. Flor. *ſibi inhoſtus*: unde tentabat Pichena, *ſibi inhoneſtus.* Editio princeps, *ſibi mhoſtus.*

EXITIOSIOR DUCEBATUR ] Mſ. Corb. *exitioſior videbatur.*

QUA NEMO ] Mſſ. Harl. Jeſ. *quia illâ tempeſtate nemo.*

CAP. XXXII. ET DESERERE ] Mſſ. Bodl. Jeſ. & Puteolanus perperam omittunt copulam *&*.

TRANSITU EXERCITUS VASTAM ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Agr. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *vaſtatam.*

OPULENTA ET FIDA : PANNONIAM ] Mſ. Corb. & editio princeps, *opulenta : & fidam Pannoniam* &c.

ETSI ALIQUANDO ] Ita Mſ. Harl. primâ manu, Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Flor. Reg. Corb. & editione principe, *etiam aliquando.* Alterâ manu in Mſ. Harl. emendatum *etiamſi.*

DUCERET BELLUM ] Mſ. Harl. *ducerent.*

BELLUM : PAUCIS DIEBUS . . CUM MŒSIACIS ] Bene Lipſius & Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Perperam in veteribus editionibus, *bellum paucis diebus. Quartamdecimam legionem, magnam ipſam ſama Mœſiacis.* In Mſ. Corb. *famam.*

CAP. XXXIII. NUMEN OTHONIS ] Optimè dictum. Freinshemius perperam tentat, *nomen.*

IIDEM ILLI ] Bene Beroaldus & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bold. Jeſ. Guelf. Corb. & editionibus veteribus, *idem illi.*

DETERIORIS CONSILII ] In mediis quibuſdam editionibus perperam emendatum, *deteriores.*

SUMMÆ RERUM . . . SE IPSUM RESERVARET ] Perperam Mſſ. Bud. Reg. Agr. Corb. & editio princeps, *ſummam.* Mox Cl. Erneſtus omiſſum vellet, *ipſum.* Certè rectè abeſſet.

ET OTHO, CUI UNI ] Bene Mſ. Reg. Puteolanus ac deinde ceteri omnes. In Mſſ. Flor. Bud. Agr. & editione principe, *& ut Otho.* Inde tentabat Rhenanus, *& Otho, ut cui.* Jac. Gronovius, *& ſic Otho.*

CAP. XXXIV. JACTIS SUPER ANCORIS ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Bud. Agr. editio princeps, Ryckius & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *inſuper.* Fruſtra tentat Rhenanus, *ſupernè.*

CAP. XXXV. Mixti remiges ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Bud. Agr. editio princeps, Ryckius & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *immixti.*

CAP. XXXVI. Abruptis quæ supererant ] Ita Mſ. Reg. Puteolanus & libri omnes poſtea editi. In Mſ. Flor. & editione principe, *arruptis.* Unde quidam tentant *abreptis*, vel *arreptis.* Nempe quaſſas nondum naves abripuere, vel arripuere, ut fugerent. Bene autem Mſ. Flor. editio princeps, Ryckius & Recentiores, *ſupererant.* In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ſuperfuerant.*

Intercursu tribunorum ] Optimè Mſſ. Flor. Reg. Bud. editio princeps, Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *incurſu.* In Mſſ. Harl. Bodl. alterâ manu emendatum, *intercurſu.*

Ad mutationem ducum ] Bene Mſ. Reg. veteres ac recentiores editiones. In Mſſ. Flor. Agr. Guelf. Harl. Bodl. Jeſ. Ryckius ac Jac. Gronovius, *& ad mutationem.* In Mſ. Harl. poſtea deleta copula *&.*

CAP. XXXVII. Præcipue Paullinum ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus ac Recentiores. In Mſſ. Flor. Reg. & editione principe, *præcipuas Paullini*; quòd id ad moras referrent.

Vetustissimus consularium ] Malè veteres editiones, *conſiliarium.* Mſ. Reg. *conſiliorum.*

Egestatis, scelerum ] Mſ. Agr. *egeſtatiſque & ſcelerum.*

Meritis suis ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Bud. Agr. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *moribus ſuis.* Quod quidem approbabat J. Fr. Gronovius, eo ſenſu : ſe non paſſuros, niſi eum, cui malos mores & improbitatem ſuam imputare poſſent. In margine Mſ. Bodl. additum, *meritis.*

CAP. XXXVIII. Urbibus regibusve ] Sic Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & editiones omnes veteres. In recentioribus, *regibuſque.*

E plebe infima ] Bene editiones veteres & recentiores. In mediis quibuſdam editionibus, *a plebe infima.*

Othonis ac Vitellii ] Ryckius e Mſ. Agr. *Othonis aut Vitellii.*

CAP. XXXIX. Vis ac potestas ] Mſſ. Harl. Jeſ. & editiones veteres, *jus ac poteſtas.*

Qui tamen ] Malè Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *qui tum.* Editio princeps, *qui tam.*

Quid optimum ] Mſſ. Bodl. Jeſ. & editiones veteres, *quod optimum.*

CAP. XL. Ad bellandum ] Ita quidem libri omnes. Mallet Grotius, *ad debellandum* : nec immeritò. Sic enim verbum illud

accipitur.

accipitur. Vulgatam tamen ſcripturam defendit Cl.Erneſtus auctoritate Livii, VI, 31. *Conditiones impoſitæ Patribus, ne quis, quoad bellatum eſſet, tributum daret.*

Et Adduæ ] Bene Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *Adue.* Malè editio princeps, *Agdæ.* Mſ. Corb. *Agile.*

Sedecim inde millium ] Ita editio princeps & recentiores. In Mſ. Reg. *ſexdecim.* In Mſſ. Harl. Jeſ. *xv inde millium.*

Non admissuro ] Optimè Rhenanus. Vulgò in Mſſ. & veteribus editionibus, *non amiſſuro.* In Mſ. Corb. *non annixuri.*

Segnitia ] Mſ. Corb. *ſegnitie.*

CAP. XLI. Postulantes ] Mſ. Corb. *expoſtulantes.*

Cœptaverint ] Mſ. Corb. *cæptarent.*

Deterriti sunt ] Bene Mſſ. ac veteres recentioreſque editiones. Fortè operarum errore in quibuſdam Rhenani aliiſque mediis editionibus, *territi ſunt.*

Ea strictis ] Ita Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *& adſtrictis.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *quæ aſtrictis.* Emendatum in Mſ. Harl. *&.*

Vocitantium ] Bene Pichena & Recentiores; præter Ryckium, qui e Mſ. Agr. edidit, *volitantium.* In Mſſ. Farneſ. Reg. Corb. & editione principe, *volantium.* Mſſ. Flor. Guelf. Bodl. & Puteolanus, *clamantium.* Mſſ. Harl. Jeſ. *clamitantiumque.* Reperit Lipſius in Mſ. Vatic. *vomantium.* Tentabat Petavius, *vagantium*; meliùs certè, quàm Jac. Gronovius, qui divinabat, *morantium.*

Et, ut cuique ] *Et* abeſt a Mſſ. Jeſ. & Corb.

Postremamve ] Mſ. Corb. *poſtremamque*; utì volebat Rhenanus.

Revehebantur ] In Mſ. Flor. *relabebantur.* At nihil mutat Pichena. Rectè quidem.

CAP. XLII. An in ipsa ] Ita Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Agr. Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Reg. editione principe & Rhenanus, *an ipſà.*

Eminusque ] Sic Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Guelf. omiſſa copula *que.* Omiſit quoque Puteolanus.

Umbonibus niti ] Bene Mſſ. Vatic. Farneſ. Corb. editio princeps & recentiores. Puteolanus, ut & Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. perperam omiſere, *niti.* Alterâ manu additum eſt in Mſ. Harl.

Perrumpere ] Bene Mſ. Corb. Rhenanus & Recentiores. Perperam in Mſſ. Reg. Bodl. & veteribus editionibus, *perrupere.*

Noscentes inter se ] In Mſ. Agr. *noſcentes inter ſe conſpicui. Ceteri in eventum belli certabant.* Ryckio minimè placet, *noſcentes inter ſe*: mallet, *noſcentes invicem ſe.*

Ceteris conspicui ] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. In margine Mſ. Bodl. *ceterum.* Mſſ. Corb. Reg. Bud. & editio princeps, *ceteri.*

CAP. XLIII. Cui cognomen Rapaci ] Legionibus diverſa fuere cognomina, a Principibus, regionibus, inſignibus, egregiis facinoribus, aliiſve caſibus accepta. Sæpe occurrunt in Inſcriptionibus. Præcipua autem duo monumenta, Severi Imperatoris temporibus æqualia, alterum in Capitolio, alterum apud Maſſæos, retulit Gruterus, pag. dxiii. num. 2 & 3. Poſterius, ut pote paulo amplius, juvat hic referre.

NOMINA. LEG

| | | |
|---|---|---|
| II. AVG*uſta* | II. ADIVT*rix* | IIII. SCYTH*ica* |
| VI. VICT*rix* | IIII. FLAV*ia* | XVI. FLAV*ia* |
| XX. VICTR*ix* | VII. CLAVD*ia* | VI. FERRA*ta* |
| VIII. AVG*uſta* | I. ITALI*ca* | X. FRETE*nſis* |
| XXII. PRIM*igenia* | V. MACED*onica* | III. CYRENA*ica* |
| I. MINERV*ia* | XI. CLAUD*ia* | II. TRAIAN*a* |
| XXX. VLP*ia* | XIIII. GEM*ina* | III. AVG*uſta* |
| I. ADIVT*rix* | XII. FVLM*inea* | VII. GEM*ina* |
| X. GEM*ina* | XV. APOL*linaris* | II. ITALIC*a* |
| XIII. GEM*ina* | III. GALLIC*a* | III. PARTH*ica* |
| I. PARTH*ica* | II. PARTH*ica* | |

Legionis uniuſetviceſimæ Rapacis multa quoque exſtant monimenta. Unum protuli in Notis & Emendationibus ad Annal. XVI, 8.

Principiis ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Corb. Bud. Agr. editio princeps, Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *principibus.* In his vocibus ſæpe erravere librarii, ut videre eſt apud Stewechium, in Commentario ad Vegetium II, 7. & III, 2.

Varus Alphenus ] Ita Pichena & Recentiores ex Plutarcho, in Othone, pag. 1072, Οὔαρος Ἄλφηνος. At in Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. & editionibus veteribus, *Varenus Alphenus.* Varenum memorat vetus Inſcriptio apud Gruterum pag. ccccLxxxi. num. 10.

CAP. XLIV Civilibus bellis ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. editio princeps, Ryckius & Recentiores. In Mſſ. Harl. Jeſ. & Puteolanus, *civilibus prœliis.*

Vitavere ] Malè Mſ. Farneſ. *petivere.*

Vedium Aquilam ] Mſ. Corb. & editio princeps, *Vedium Aquilum.*

Crimine ejus ] *Ejus* abeſt a Mſ. Corb.

Celsum nox juvit ] Plutarchus in Othonis vitâ multa a Tacito mutuatus eſt. Verùm hoc in loco nonnulla habet aut ampliora,

aut a Tacito diverſa, quæ hìc apponere juvat, cùm ipſe Bebriacenſem campum inviſerit, & cum iis, qui pugnæ interfuerant, ſit collocutus. Brevitatis causâ, Græcis abſtinebo.

## *De iis, quæ Bebriacenſem pugnam ſecuta ſunt.*

### Ex Plutarcho, *in Othon.* pag. 1072.

*Victos Othonianos, caſtra ſua repetentes, neque Proculus neque Paulinus comitari auſi ſunt: verùm vitavere caſtra timore militum, qui culpam jam in duces derivabant. Annius verò Gallus recepit in oppido* Bebriaco, *& lenivit colligentes ſe ex pugnâ, quaſi neutrò inclinatâ victoriâ, & multis ipſi partibus hoſtes ſuperaſſent. Marius Celſus, contractis omnibus, qui præfecturas habebant, auctor erat, ut communi ſaluti conſulerent, demonſtrans « a tali clade & ſtrage tantâ civium ne Othonem quidem, modò vir bo» nus ſit, periclitari fortunam velle: quando, inquit, Cato & Scipio, » qui Cæſari poſt aciem Pharſalicam victori cedere detrectaverunt, culpen» tur, quòd multos & fortes viros in Africâ nequicquam perdiderint, li» cèt pro populi Romani certarent libertate. Quamvis ſit enim aliàs com» munis omnibus fortuna, unum viris bonis tamen non adimit, ſi incurre» rint, quin pro caſibus recta capiant conſilia ». Sic fatus permovit præfectos. Poſtquam verò milites tentaverunt, atque eos pacis viderunt cupidos, Titianus autem mittendos cenſuit de concordiâ legatos; viſum ut Celſus & Gallus proficiſcerentur, convenirentque Cæcinam & Valentem. Pergentibus occurrêre centuriones, qui « copias » narraverunt « jam moviſſe » & contendere Bebriacum, miſſos ab ducibus ſe ad agendum de concor» diâ ». Quos collaudatos Celſus & Gallus oraverunt, ut retro redirent & ſecum obviàm procederent Cæcinæ. Ut propè venerunt, incurrit periculum Celſus. Nam fortè præcurrebant victi antè apud inſidias equites.* ( Equites nempe Batavi, quos a gladiatoribus repreſſos, dein apud inſidias cæſos ſcripſit Plutarchus. Aliter Tacitus cap. 43 ). *Ubi ergo adventantem conſpexere Celſum, impetum protinus cum clamore in illum fecere. Ceterùm objecerunt ſe pro eo centuriones, atque illos repreſſerunt: ac cùm alii ordinum ductores exclamarent, ut abſtinerent a Celſo: re iis, qui cum Cæcinâ erant, compertâ, confeſtim advecti, tumultum equitum mox ſedavere: ſalutatoque comiter Celſo, conceſſere cum eo Bebriacum. Inter hæc Titianum pœnitentia cepit, quòd legatos miſiſſet. Igitur ferociſſimos quoſque militum iterum imponit muris, ceteros ad ferendam opem excitat. At ubi equo Cæcina advectus dextram porrexit, nemo ultrà reluctatus eſt: ſed alii ſalutare ex mœnibus milites, pars portâ reſeratâ exire, atque advenientibus ſe immiſcere: vim inferre nemo, ſed gratulari complectique ſe mutuò: denique omnes in verba Vitellii juraverunt, atque ad eum tranſiere. Ita plerique, qui interfuere pugnæ, rem geſtam narrant, fatentes ne ſe quidem ob confuſionem & turbam ſingula exactè noſſe.*

Prætorianos autem laudare videtur Tacitus, cùm *non virtute ſe*,

*ſed proditione* victos fremant. Contrà verò Plutarchus, ibid. ait: *Prætorianos fœdiſſimè omnium fuiſſe prœliatos, qui non ſuſtinuere, ne dum ad manus quidem veniſſet hoſtis; ſed & eos, qui ſtabant adhuc in acie, metu pavoreque, dum fugâ perrumpunt per eos, implevere.*

Si ita ferret ] Bene Puteolanus & Recentiores. Sic jam Tacitus, Annal. III, 15. Id eſt, ſi res ita ferret. Perperam Mſſ. Reg. Guelf. & editio princeps, *ſi ita ferrent.* In Mſ. Harl. Guelf. *fieret.* Mſ. Jeſ. *foret.*

CAP. XLV. Eadem die ] Ita Mſ. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſ. Harl. & Puteolanus, *eodem die.*

Missa legatio, nec apud duces ] Perperam Mſſ. & veteres editiones, *miſſa legatione apud duces.* Optimè emendavit Pichena, *miſſa legatio, nec apud duces;* ut patet ex Plutarchi narratione, ſuprà memoratâ. Mſ. Harl. habebat quoque, *legatione:* ſed alterâ manu emendatum, *nec.*

Civilium armorum ] Mſ. Corb. & editio princeps, *civilium bellorum.*

CAP. XLVI. Neque erat adulatio ] *Erat* abeſt a Mſ. Corb.

Furore quodam et instinctu ] Ita Mſ. Reg. Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Jeſ. *pavore quodam* &c. Corruptè editio princeps, *furoreque amenti inſtinctu.* Inde Mſ. Agr. *furore quodam & amenti inſtinctu.*

Prensare genua ] Sic editio princeps & recentiores. Perperam Mſſ. Reg. & Corb. *penſare.* In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *prehenſare.*

Promptissimo Plotio Firmo ] Ita Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Corb. Agr. & editione principe, *promptiſſimus Plotius Firmus.* Plutarchus, in Othon. pag. 1076, Plotium appellat *Pollionem.* At error eſt; & pro Πολλίωνος emendandum Πλωτίου, ut rectè obſervavit Lipſius.

Induraverat ] Mſ. Agr. *induruerat.*

Præmissi e Mœsia ] Bene libri ſcripti & editi, præter Rhenanum, qui omiſit præpoſitionem.

CAP. XLVII. Tanto pulchrior ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Bud. Guelf. & Puteolanus, omiſere, *tantò.*

Nec tempus ] Bene Mſſ. editiones veteres & recentiores. Rhenanus, *ne tempus.*

Illic fuit ] Fruſtra tentat Rhenanus, *illinc.*

Fruetur Vitellius ] Bene Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Harl. Jeſ. Corb. & editione principe, *frueretur.* Poſtea emendatum in Mſ. Harl. *fruetur.*

Imperium tenuerint ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *tenuerunt.*

Este superstites ] Mſſ. Corb. & Agr. *eſtote*; ut volebat Muretus.

Nec diu ] Mſ. Jeſ. *ne diu.*

CAP. XLVIII. Neu remanendo ] Ita Mſſ. & editiones veteres ac recentiores. Malè Rhenanus, *remorando.*

Precibus movebat ] Bene Mſſ. Flor. Guelf. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Pichena & Recentiores. In veteribus editionibus, *monebat.*

Aut in Vitellium ] Bene Mſſ. Flor. Agr. editiones veteres & recentiores. Rhenanus, ut & Mſſ. Harl. Jeſ. Reg. omiſere præpoſitionem *in.* Alterâ manu addita eſt in Mſ. Harl. In Mſ. Bodl. *aut Vitellii.*

Laudando pietatem ejus, castigando formidinem ] Hæc omittenda immeritò cenſebat Mendoza.

Non enim ultima ] Mſ. Corb. *nec ultima.* Editio princeps, *nec enim ultima.*

Servios ] Bene Mſſ. editiones veteres & recentiores. Malè in mediis quibuſdam editionibus, *Sergios.* In nummis quidem Latinis appellatur SER. GALBA. At in nummis Græcis integrum eſt nomen ΣΕΡΟΥΙΟΣ ΓΑΛΒΑΣ.

Nimium meminisset ] *Nimium* perperam omiſſum in Mſ. Bud.

CAP. XLIX. Post quæ ] Ita Mſ. Reg. & editiones recentiores. In Mſ. Corb. & editione principe, *poſt que.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *poſtquam.*

Paulum requievit ] Mſ. Corb. & editio princeps, *paululum.*

Animo volutantem ] Ita vulgò libri ſcripti & editi. In Mſ. Bodl. *animo volventem.* Rhenanus e Mſ. Bud. *jam ſupremas curas agentem.*

Exitium minitabantur ] Malè Beroaldus, *exitum.*

Vesperascente die ] Mſ. Farneſ. *veſperante.*

Pugionibus duobus ] Perperam in Mſſ. Reg. Corb. & editione principe omiſſum, *duobus.*

Utrumque pertentasset .... subdidit ] Bene veteres & recentiores editiones. Malè in mediis quibuſdam, *utrinque prætentaſſet .... ſubdit.*

Ludibrio futurum ] Hæc abſunt a Mſ. Jeſ.

CAP. L. E municipio ] Editio princeps, *a municipio.*

Invisitata specie ] Ita Mſ. Flor. Ryckius & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *inuſitatâ ſpecie.* Mſ. Reg. & editio

princeps, *inuſitatâ facie. Inviſitatâ*, meritò reſtitutum. Sic Livius, XXVII, 39. *Inviſitati namque antea alienigenis.* Sic Suetonius in Aug. XLIII. *Solebat etiam citra ſpectaculorum dies, ſi quando quid inviſitatum dignumque cognitu advectum eſſet, id extra ordinem, quolibet loco publicare, ut rhinocerotem apud ſepta:* &c. Paſſim autem Apuleius.

Celebri vico ] Ita Puteolanus, Beroaldus, Erneſtus &c. In Mſſ. Flor. Reg. Corb. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Jeſ. & editione principe aliiſque plurimis, *celebri luco.* In margine Mſ. Harl. notatum, *alius* habet *vico. Vico* quoque ſuperadditum in Mſ. Jeſ.

Aut circumvolitantium alitum ] Ita Mſ. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *alituum.* Rhenanus, *circumvolitantem alitem*, omiſſo *aut.*

Se ipse interficeret ] Mſ. Jeſ. *ſe interſiceret.* Mſ. Corb. *ſe ipſum.*

CAP. LI. Per aversam domus partem ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Guelf. Corb. Harl. Agr. editio princeps & recentiores. In Mſ. Bodl. & Puteolanus, *per averſam domûs portam.* Notatum quoque in margine Mſ. Harl. *alius* habet *portam.* In editione principe, ut & in Mſ. Corb. *adverſam* pro *averſam.*

Degressus ] Ita Mſ. Flor. & Erneſtus. Vulgò libri ſcripti & editi, *digreſſus.*

CAP. LII. Adverso de prœlio ] Bene Mſſ. & editiones veteres ac recentiores. In mediis quibuſdam, *de adverſo prælio.*

Conviciis postremò ] Ita Mſ. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *poſtremum.*

Tutior ] In Mſ. Agr. *tutiore*; quod etiam edidit Ryckius. At tunc friget, *inter multos;* ut rectè obſervavit Erneſtus. *Tutior* non diſplicet, ſi intelligatur, *quiſque.*

Patres conscriptos ] Bene Mſſ. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *Patres conſultos.* Quod fortè olim per literarum compendia ſcriptum, ut in Mſ. Bodl. *con*[?].

CAP. LIII. Notabile inde jurgium ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. Perperam Mſſ. Corb. Reg. Agr. editio princeps & Ryckius, *notabile in Verginium fuit.* Id quidem probavit Ryckius, quòd exiſtimaret Eprium Marcellum ambigua diſſeruiſſe de Verginio, quem Principem vellet. At veriſimilius eſt Eprium Marcellum ambigua de Vitellii principatu dixiſſe, ſeu Verginio, ſeu fortè jam faveret Veſpaſiano, apud quem poſtea gratiâ valuit; ut videbimus infrà in Dialog. de Orator. cap. 5 & 8. Quis autem ille Licinius Cæcina, qui Eprium Marcellum invaſit? Juxta Ryckium eſt

*C. Licinius Cæcina Largus*, *qui conſul fuit cum Claudio* anno Urbis conditæ DCCXCV. Quod minimè crediderim. Hic enim a Tacito non diceretur *novus adhuc*, *& in ſenatum nuper adſcitus*. Eſt ergo omnino diverſus. Immo tres homines in unum confundit Ryckius, nempe C. Cæcinam Largum, conſulem, de quo diximus in Supplemento Annal. IX, 26. P. Largum Cæcinam, de quo Annal. XI, 33. & Licinium Cæcinam, de quo nunc Hiſt. II, 53.

CONSILIATURI] Ita Mſſ. Reg. Corb. & libri omnes editi, præter Ryckium, qui e Mſ. Agr. edidit *conſulturi*. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. *conſultaturi*. Miror eruditum Ryckium ſcripſiſſe, *conſiliaturi*, *ne Latinum quidem eſſe*, cùm uſus ſit hoc verbo Horatius, Libr. III Od. III, 17.

*Gratum elocutâ conſiliantibus*
*Junone Divis: Ilion, Ilion*
*Fatalis inceſtuſque judex*,
*Et mulier peregrina vertit*
*In pulverem.*

Idque jam monuerat Lipſius.

CAP. LIV. CŒNUS] Ita Mſ. Flor. & editiones recentiores. Memoratur quoque COENVS in Inſcriptione veteri apud Gruterum pag. MCXXX. num. 5. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. *Cænus*. Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps, *Comenus*. Puteolanus, *Cenus*.

RAPIDE IN URBEM VECTUS] Sic Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Rhenanus & Erneſtus. In Mſſ. Reg. Flor. Bud. Agr. & editione principe, *rapidum*. Puteolanus, *rapidus*, & ita emendatum alterâ manu in Mſ. Bodl. Mallet Jac. Gronovius, *raptim*: Ryckius, *rapidius*.

CONSULUERE] In Mſſ. Harl. Bodl. *conſulere*. Mſ. Corb. *conſuluerant*.

CAP. LV. SACRAMENTO OTHONIS] Bene Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. & veteribus editionibus, *in ſacramento*. Mſ. Agr. *in ſacramenta*.

VITELLIO PLAUSERE] Mſ. Corb. & editio princeps, *Vitellio plauſuri*.

IMMODERATE] Rhenanus, *immoderatæ*. Fortè operarum errore.

CAP. LVI. TANTUM PEDITUM] Ita Mſ. Reg. & libri omnes editi. In Mſ. Guelf. *tamen peditum*. In Mſſ. Harl. Corb. *tantum peditum equitumque jus*, *damna*, &c. Mallet Acidalius, *tanta peditum equitumque vis*. *Tantum* omiſſum vellet Lipſius. Nihil peccat vulgata ſcriptura.

CAP. LVII. CURA RIPÆ] Optimè Pichena e Mſ. Flor. In ceteris Mſſ. & veteribus editionibus, *cura belli*.

COMPESCIT] Bene Mſſ. & veteres ac recentiores editiones. Malè Rhenanus, *compeſcuit*.

CAP. LVIII. Novemdecim cohortes] Malè Mſ. Guelf. *XIIII cohortes*. Et Beroaldus, *XVIII*. Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *XVIIII*. In Mſſ. Flor. Reg. Corb. & editione principe, *decem novem cohortes*, inverſo ordine, quem rectè reſtituit Jac. Gronovius.

In Othonem pronus] Bene Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. & veteribus editionibus, *in Othone*. Emendatum tamen alterâ manu in Mſ. Harl. *Othonem*.

CAP. LIX. Appulsus litori, trucidatur] Bene Mſſ. Guelf. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. Malè Mſſ. Reg. Agr. & editio princeps, *adpulſu litoris trucidatus*. Mſ. Flor. *petiti appulſu litoris, trucidatur*.

Vitellio anquirente] Bene Mſ. Flor. Lipſius & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus., *inquirente*. Corruptè Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps, *acquirente*.

Quamvis magna transibat] Optimè Puteolanus. In Mſſ. & editione principe, *tranſibant*. *Vi* ante *quamvis* addunt Mſſ. Flor. Corb. Reg. & editio princeps.

Principali paratu] Ita Mſ. Corb. editiones veteres & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *apparatu*. At in margine Mſ. Bodl. additum, *paratu*.

Genere inlustri] Mſ. Agr. *illuſtris*.

Principis ministeria] Sic Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Flor. Corb. & editione principe, *Principi*.

Vernilibus blanditiis] Optimè Mſ. Flor. Pichena & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Bud. Guelf. *juvenilibus*. In Mſſ. Reg. & editione principe, *humilibus*. Quod quoque additum margini Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ.

Perlatumque] Ita Mſſ. Flor. Corb. editio princeps & recentiores. Puteolanus, ut & Mſſ. Bodl. Harl. Jeſ. omiſere copulam *que*.

CAP. LX. Interfecti centuriones] Perperam Mſ. Reg. *interfectis centuriones*. Editio princeps, *interfectis centurionibus*. Inde fruſtra tentabat Freinshemius, *interfecti ex centurionibus*.

Creditum fama] Ita libri omnes. Mallet Freinshemius, *famæ*. Tentat Lipſius, *deditum famâ*.

Galeria] Sic vulgò Mſſ. & recentiores editiones. In Mſ. Bodl. & veteribus editionibus, *Galleria*.

CAP. LXI. Mariccus] Sic Mſſ. Flor. Guelf. Bodl. Corb. editiones veteres & recentiores. In Mſ. Jeſ. & Rhenanus, *Maricus*. Mſ. Reg. *Mauricus*. Mſ. Agr. *Mariceus*.

Nomen id sibi indiderat] In omnibus Mſſ. & veteribus editionibus, *nam id ſibi indiderat*. Beroaldus emendavit, *nomen*. Mallet

Cl.

Cl. Erneſtus, *nam id ſibi indiderat nomen*, vel *nominis*.

CAP. LXII. Acie Othoniana ] Mſ. Corb. & editio princeps, *in acie Othonianâ.*

Luxuriæ temperaret ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Corb. editiones veteres & recentiores. Malè in Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *luxuriam.* Beroaldus, *temperares.*

Inexplebilis libido ] Mſſ. Harl. Guelf. *inexpiabilis.* Alterâ manu in Mſ. Harl. emendatum, *inexplebilis.* At fuiſſe aliquando ventroſum Principem, cujus gulæ imperium Romanum vix ſufficere potuerit, incredibile videretur, ni fœdam & inexplebilem, quâ Vitellius flagravit, epularum libidinem teſtarentur oculati teſtes, Tacitus, Plinius, ac Suetonius. Ut tale monſtrum ad infamiam ignominiamque pateat, Vitellii ingluviem paucis expendam.

## *De ventre & gulâ Vitellii.*

Vitellius, inter popinas adultus, ut primùm adeptus eſt imperium, totam principatûs fortunam in ingluviem vertit. Quâ quidem intemperantiâ *novies millies ſeſtertiûm*, Gallicæ monetæ libras 175,095,225, *pauciſſimis menſibus intervertiſſe creditur.* Tacit. Hiſt. II, 95. Nec ſanè mirum, cùm tam profundæ eſſet gulæ, ut *epulas trifariam ſemper, interdum quadrifariam* diſpertiret, *in jentacula, & prandia, & cenas, comiſſationeſque: facilè omnibus ſufficiens vomitandi conſuetudine.* Sueton. in Vitell. XIII.

Quàm enormes fuerint tales epulæ æſtimari poteſt, cùm in unam cenam impenderit *quadragies ſeſtertiûm*, ἑκατὸν μυριάδας, Gallicæ monetæ libras 778,315. Dio LXV. pag. 735. Immo celebrata ſunt, ni fortè ob verſûs rationem, numerum auxerit Sidonius Apollinaris, Carm. V, 324.

> . . . . . . . . . . . . . . . *Quina Vitelli*
> *Millia, famoſi ventris damnata barathro.*

*Quina millia* ſunt Gallicæ monetæ libræ 972,846.

Si tantum opum cibis exhauſtum vix intelligas, occurrat animo *famoſiſſima ſuper ceteras cena* Vitellio *data adventitia a fratre, in quâ duo millia lectiſſimorum piſcium, ſeptem* millia *avium appoſita traduntur.* Sueton. loc. cit.

Quanta quanta fuerit hæc cena, *hanc quoque exſuperavit* Vitellius, teſte Suetonio ibid. Vulgares nempe patinas, quaſi ventre ſuo minores, averſatus, unam, quam ob immenſam magnitudinem, clipeum Minervæ, Αἰγίδα Πολιέχου, dictitabat, $\overline{X}$ *HS*, Gallicæ monetæ libris 194,531, licèt foret fictilis, condidit: *cui faciendæ fornax in campis exædificata erat.* Plin. XXXV, 12. Tum novo luxûs monumento ſuperbus, cenam fecit, dedicaturus patinam, *in quâ ſcarorum jecinora,*

*phaſianorum & pavonum cerebella*, *linguas phœnicopterûm*, *murænarum lactes*, *a Carpathio uſque*, le Canal de Rhodes & de Candie, *fretoque Hiſpaniæ*, le détroit de Gibraltar, *per navarchos & triremes petitarum commiſcuit*. Sueton. in Vitell. XIII.

Cùm ita ſe publicis opibus ingurgitaret, privatas adhuc inhiabat; *aliud*que *alii eâdem die* epulum indicebat : *nec cuiquam minus ſinguli apparatus quadringenis millibus nummûm*, Gallicæ monetæ libris 77,812, conſtabant. Sueton. loc. cit.

Sic exhauſtæ plurimorum opes : multi quoque, quibus non idem erat aut edendi, aut vomitandi uſus, enecti. Unde Vibius Criſpus, cùm ob morbum convivio aliquando non interfuiſſet, minimè inſicetè dixit, ni ægrotaſſet, ſe periturum. Εἰ μὴ ἐνενοσήκειν, ἀπωλόμην ἄν. Suidas, verbo Βιτέλλιος.

Nec umquam requievit inſaturabile Vitellii abdomen. Si iter faceret, paſſim exſtruebantur convivia. Si navigaret, utebatur *delicatiſſimis navigiis*, *variarum coronarum genere redimitis*, *inter profuſiſſimos opſoniorum apparatus*. Sueton. in Vitell. X.

Cetera autem tanto luxui paria, majoriſve impendii. Immenſa enim erat odorum unguentorumque prodigentia. Et, ut omnia paucis verbis complectar, licèt memoriam moreſque Neronis ſummopere celebraret Vitellius, eum tamen reprehendere erat ſolitus, quòd malè habitaſſet, paucâque & vili ſupellectili fuiſſet uſus : ᾐτιᾶτο αὐτὸν, κακῶς τε ᾠκηκέναι, καὶ σκευῇ ὀλίγῃ καὶ ταπεινῇ χρῆσθαι λέγων. Dio LXV. pag. 735. Scilicet jam ſordebat aurea domus! jam aurum, jam gemmæ, jam murrhina, jam naturæ artiumque miracula eviluerant! Adeò prona in luxu ſatietas!

Verum ergo exſtitiſſe unum hominem, cujus gulæ, ſi diutiùs vixiſſet, vix ſuffeciſſet imperium Romanum; cujus luxui impar fuiſſet.

LUDO ET ARENA] Perperam Mſ. Reg. & editio princeps, *luto & arenâ*.

CAP. LXIII. PLANCIUS VARUS] Bene Jac. Gronovius e Mſ. Mediceo. In editione principe, *Plantius Varus*. Puteolanus, *Platius*. Mſſ. Reg. Guelf. Jeſ. *Plaucius*. Mſſ. Harl. Bodl. & Rhenanus, *Plautius*. Verum nomen, *Plancius Varus*; ut confirmat nummus Nicæenſium, quem exhibet Cl. Pellerin, *Melange de Medailles*, Tom. II. pag. 39. Tab. 26. num. 4. ΑΥΤΟΚΡ.... ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΩ. ΝΕΙΚΑΕΙ. Caput Veſpaſiani laureatum. In averſâ parte, ΕΠΙ. ΜΑΡΚΟΥ. ΠΛΑΝΚΙΟΥ. ΟΥΑΡΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Pampinatum Bacchæ caput. Nummum illum ad Nicomedienſes perperam retulere eruditi viri Vaillant, Harduinus, Spanhemius aliique.

SERAM VENIAM] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. editiones veteres & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Bud. & Rhenanus, *ſecundam veniam*. Inde tentabat Acidalius, *veniam ſecundùm ſcelus quærebat*.

Terruit ne periculo . . . adfectaret] Bene Mſ. Reg. editio princeps & recentiores. Sic Horatius, I Od. II, 5.

*Terruit gentes, grave ne rediret*
*Sæculum Pyrrhæ.*

Mſſ. Harl. Bodl. & Puteolanus, *terruit e periculo . . . affectare.* Mſ. Agr. *terruit tamquam e periculo . . . affectaret.* Rhenanus, *terruit periculo . . . . affectaret.*

CAP. LXIV. Devertere] Bene Mſſ. Flor. Agr. Corb. editio princeps & recentiores. In aliis Mſſ. & editis libris, *divertere.*

Interamnium] Ita Mſſ. Reg. Flor. Agr. Bodl. & editiones recentiores. Perperam in editione principe, *intra Annium.* Mſſ. Harl. Jeſ. *Interannium.* Puteolanus emendavit *Interamnam.* Sic enim infrà Hiſt. III, 63. *Interamnæ ſubſiſtere* legitur. Ut ut eſt, Interamnium eſt ipſa Interamna, hodie *Terni*, quæ in Antonini Itinerario dicitur, *Interamnia civitas.*

Visum : in itinere] Bene libri ſcripti & editi, præter Rhenanum, qui invertit, *in itinere viſum.*

Non immixta tristibus] Ita Recentiores e conjecturâ J. F. Gronovii, & corruptâ ſcripturâ Mſ. Flor. *non immix triſtibus;* & editionis principis, *non immixtricibus.* Pichena emendaverat, *non immitis triſtibus.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *non minax triſtibus.* In Mſ. Corb. *non minus.* Rhenanus tentabat, *non minis.*

In gaudium evicta] Bene Mſſ. Flor. Harl. Jeſ. Agr. Jac. Gronovius & Recentiores. In Mſſ. Reg. Bodl. & editionibus veteribus, *evecta.* Mallet Nicolaus Heinſius, *erecta.* Sed *evicta* hìc uſurpari videtur, ut ſuprà Annal. XI, 37. *Supremis ejus neceſſitatibus ad miſerationem evicta erat.*

CAP. LXV. Interpretabatur] Mallet Erneſtus, *& interpretabatur*, vel *interpretabaturque.*

Ex orationibus] Bene Rhenanus & Recentiores. Sic quoque emendatum in Mſ. Harl. Perperam Mſſ. & veteres editiones, *exhortationibus.*

Puniri ultro] Mſ. Corb. *puniri vel ultro.*

Comitatui Principis] Ita Mſſ. Flor. Bodl. Corb. Rhenanus & Recentiores. In Mſ. Reg. & editionibus veteribus, *comitatu.*

Eum Tiberius] Bene Pichena & Recentiores. In Mſſ. Flor. Reg. & editione principe, *Arruntium Tiberius :* duabus nempe vocibus in unam conflatis, *Arruntii : eum.* In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *quem Tiberius.*

Bolanus e præsentibus. Angebat] Bene Mſſ. Flor. Reg. editio princeps & recentiores. Malè diſtinxerat Puteolanus, *Bolanus. E præſentibus*, &c.

CAP. LXVI. Arsisset ] Unus Mſ. Agr. *exarſiſſet.*

Jungi, ut fidos ] Bene Mſſ. & veteres ac recentiores editiones. In mediis editionibus, *ut fidos jungit.*

Obliteratum ] Ita Mſ. Guelf. Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. Reg. Harl. & editionibus veteribus, *obliteratum eſt.*

Degressi sunt ] Bene Mſ. Flor. Pichena & Recentiores. Vulgo *digreſſi ſunt.*

CAP. LXVII. Separati ] Bene Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Bud. Corb. Guelf. Rhenanus & Recentiores. In Mſ. Reg. & editionibus veteribus, *ſeparatæ.*

Deferebant ] Ita Mſſ. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *ferebant.*

Tertiadecimani... jussi ] Sic Mſ. Flor. Rhenanus & Recentiores. Ceteri ſcripti & editi libri, *tertiamdecimam... juſſit.*

Voluptatum oblivisceretur ] Ita Mſſ. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *voluptates.*

CAP. LXVIII. Distraxerat ] Bene Mſſ. Vatic. Flor. Harl. Jeſ. Guelf. Lipſius & Recentiores. In Mſſ. Reg. Bodl. & editionibus veteribus, *diſtinxerat.*

Ludicro initio ] Ita Mſ. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ludicrorum.*

Nisi numerus... auxisset ] Mſſ. Flor. Reg. Corb. Bud. & editio princeps habent quidem, *auxiſſet :* at omiſere, *niſi* ; quod meritò ſupplevit Rhenanus. Idque innuunt Mſſ. Agr. & Corb. licèt corruptè habeat hic, *in motus.... auxiſſet.* ille, *niſi metus.* Puteolanus tamen, Ryckius, ut & Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *ludicro initio : numerus... auxit.* Margini Mſ. Bodl. additum, *auxiſſet.* Totum locum invertit Lipſius, *& quidem partes modeſtè diſtraxerat, niſi numerus cæſorum invidiam bello auxiſſet. Apud victores orta ſeditio, ludicro initio. Diſcubuerat Vitellius*, &c. Ferri poteſt vulgata ſcriptura, licèt paulo abruptior videatur oratio. Nempe Vitellius partes modeſtè diſtraxerat. Apud victores orta eſt ſeditio luctandi ſtudio; ludicro quidem initio, niſi numerus cæſorum invidiam bello civili auxiſſet. At cùm in hoc tumultu duæ cohortes auxiliarium fuiſſent interfectæ, deteſtabile videbatur bellum civile, hujus ſtragis cauſa.

Perinde miles ] Mſſ. Corb. Bodl. & editio princeps, *proinde.*

Aut licenter agit ] Sic Mſſ. Reg. Flor. Guelf. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Corb. Agr. *aut licenter agere.* Mſ. Bodl. & Puteolanus, *aut licentioſus*, omiſſo verbo, *agit.* Emendaverat Rhenanus, *aut licentior. Licenter* habent Mſſ. Harl. Jeſ. ſed verbum omiſere. Altera tantùm manu additum in Mſ. Harl. *agens.*

Propiora ] Mſ. Jeſ. *propriora.* Mſſ. Bud. Agr. & editio princeps, *promptiora.*

Ad certamen luctandi ] Bene Mſſ. & veteres ac recentiores editiones. Perperam in mediis quibuſdam editionibus, *& certamen.*

Prociderat ] Mſ. Corb. *ceciderat.*

In studia diductis ] Malè Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *deductis.*

Exitium viri consularis ] *Viri* abeſt a Mſſ. Corb. Agr. Bud. & editione principe.

CAP. LXIX. Postero die ] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *poſterâ.* Mſ. Corb. & editio princeps, *poſtremo.* Recentiores, *poſtero.*

Inania belli ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Puteolanus & Recentiores. Perperam editio princeps, *munia belli.* Mſ. Agr. *initia belli.* Unde fruſtra quidam tentavere, *immania*; alii, *minas belli.*

Affectæ jam ] Rectè Mſſ. Flor. Agr. & Erneſtus. In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *tam.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *tamen.*

Promiscuæ missiones ] Perperam Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps, *emiſſiones:* ultimâ prioris vocis literâ temere repetitâ.

Exitiabile id ] Ita Mſſ. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *exitiale.*

CAP. LXX. Intra quadragesimum diem ] Ita libri omnes. Hæc tamen inſititia putat Cl. Erneſtus; aut emendatum vellet, *ultra quadrageſimum diem*, ut diuturnitate temporis creſcat ſpectaculi fœditas.

Infecta tabo ] Ita Mſſ. & veteres ac recentiores editiones. Cl. Erneſtus, *infeſta.*

Ac frugibus ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. ac Puteolanus, *atque.*

Minus inhumana ] Malè Mſſ. Reg. Corb. Agr. & editio princeps, *minus humana.* Fruſtra tentat Rhenanus, *minus inamœna.* Bene Puteolanus & Recentiores, *inhumana.*

Lauru rosisque ] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *laurus roſaſque.* Rhenanus, *lauro.*

Hinc erupisse ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Guelf. Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Jeſ. *erumpiſſe.* Mſſ. Flor. Reg. Bud. & editio princeps, *irrupiſſe.* Mſ. Corb. *inrupiſſe.*

Jam tribuni ] Mſ. Corb. *ita tribuni.*

Falsa, vera ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Bud. editio princeps, Pichena & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *falſo vera.*

Intueri, mirari ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *mirarique.*

Sors rerum ] Ita Mſſ. Corb. Agr. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *fors rerum.*

CAP. LXXI. Exin Bononiæ ] Mſ. Corb. *exinde.*

Quantoque ] *Que* aberat a Mſ. Bud. Additum eſt alterâ manu.

Et saginæ ] Corruptè Mſſ. Corb. Reg. & editio princeps, *ſanguine.*

Martii Macri ] Perperam Mſſ. & veteres editiones *M. Macri.*

CAP. LXXII. Cum pertractus ] Mſ. Corb. *tum pertractus.*

Interrogatusque ] Ita vulgò Mſſ. editio princeps & recentiores. Mſ. Corb. & Puteolanus omiſere *que.*

In servilem modum ] Ryckius e Mſ. Agr. *ſervilem in modum.*

CAP. LXXIII. E Syria ] Rhenanus omiſit præpoſitionem; quam habent Mſſ. & editi libri.

In verba ] Bene Mſſ. & veteres ac recentiores editiones. In mediis quibuſdam editionibus, *in verbis.*

CAP. LXXIV. Omnia precantem ] Ita libri ſcripti & editi. Fruſtra tentat Freinshemius, *omina.*

Illyrici legiones ] Bene veteres & recentiores editiones. In Mſ. Corb. & mediis quibuſdam editionibus, *Illyrici regiones.*

Omnes exercitus flammaverat arrogantia ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Reg. Corb. Bud.& editione principe, *omnis.* Mſ. Bud. *flammaverat ad arrogantiam:* utì volebat Muretus.

In tanta mole ] Bene editio princeps, Pichena & Recentiores. Suffragantur Mſſ. Flor. & Corb. licèt corruptè habeant ille, *intant a*, hic, *iniant a.* In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *inerat a mole belli* &c. Mſ. Agr. *in tantâ mole belli plerumque cunctatio oberat.* Unde amicus Ryckii tentabat, *in tantâ mole belli operumque cunctatio oborta.*

Sexaginta ætatis annos ] Malè Mſſ. Harl. Jeſ. Corb. *XL ætatis annos.* Mallet Freinshemius, *ſexageſimo ætatis anno ſe & duos filios* &c.

Humanis cogitationibus regressum ] Ita Freinshemius e conjecturâ Lipſii, ac deinde Recentiores omnes; & meritò quidem. In Mſſ. & veteribus editionibus, *progreſſum*: quod Pichena, Acidalius & Gruterus defendunt.

Prout velint ] Malè Mſ. Corb. *velit.*

Et præcipitia ] Ita Mſ. Reg. editio princeps & Cl. Lallemand.

Sic quoque voluere Rhenanus & Gruterus. Puteolanus, *aut præcipitia.*

CAP. LXXV. Præsenti facinore ] Sic Rhenanus & Recentiores e Mſ. Bud. In Mſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. & veteribus editionibus, *præſenti facinori.*

Volaginium ] In Mſſ. Reg. Corb. Agr. & editione principe, *Volaginum.*

CAP. LXXVI. Jam et coram ] *Et* abeſt a Mſſ. Reg. Corb. & editione principe. In Mſ. Flor. *jam & coronam.* Inde tentabat Jac. Gronovius, *jam ad coronam.* Quod frigidum ac minimè Cornelianum. Mſ. Jeſ. *jam & contra.*

Æstimare debent ] Male Mſ. Reg. *exiſtimare.* Mſſ. Jeſ. Guelf. & editio princeps *extimare*; vulgari librariorum errore.

Inchoatur ] Mſ. Agr. *inchoaturi.*

Aut certe non arduum ] Ita vulgò Mſſ. & libri omnes editi. In Mſ. Flor. *aut non certè non arduum.* Inde malè tentat Jac. Gronovius, *aut non, certè non arduum.*

Magnificum. Juxta deos ] Bene Mſſ. Puteolanus & Recentiores. In editione principe, *magnificum juxta deos: in tuâ* &c.

A contumelia ] Rectè adhuc Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *tam a contumeliâ.*

Ne contra Caii ] Bene Mſ. Flor. Ryckius & Recentiores. Vulgo in Mſſ. & veteribus editionibus, *nec.*

Concupisse ] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Bud. *concepiſſe*; quod immeritò probat Jac. Gronovius. Mſ. Reg. & editio princeps, *concupiſcere.*

Vitellius documento ] Bene Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. Guelf. Erneſtus & Recentiores. In veteribus editionibus, *documento eſt.*

Exercitus vi ] Bene Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. & veteribus editionibus, *exercitûs ſui.*

CAP. LXXVII. Pericula ex æquo patiemur ] Rectè Mſſ. Flor. Reg. Harl. Corb. Guelf. editio princeps & Recentiores, *pericula.* Puteolanus, *periculum. Patiemur* autem habent Mſſ. & editiones veteres ac recentiores. Malè Beroaldus, *partiemur.*

Tu hos exercitus ] Mſſ. Harl. Jeſ. Corb. & editio princeps, *tuos exercitus.*

Contecta et tumescentia victricium partium ] Bene Mſ. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *contecta victricium partium & tumeſcentia.*

Parcimonia ] Malè tentat Lipſius, *acrimoniâ.*

CAP. LXXVIII. VETERA OMINA ] Bene Pichena e Mſ. Flor. Vulgò in Mſſ. & veteribus editionibus, *omnia.*

VIDEBANTUR ] Ita Puteolanus & Recentiores. Sic quoque primâ manu Mſ. Harl. In Mſſ. Flor. Reg. Corb. Bud. & editione principe, *videbatur.* Quod æquè dici poteſt, ſi indefinitè dici accipias.

ARA TANTUM ET REVERENTIA ] Bene Mſ. Agr. & Ryckius. Perperam in ceteris Mſſ. & veteribus editionibus, *aram tantùm & reverentiam:* licèt Gruterus & Jac. Gronovius id defendant, & cum *tradidere* conjungant.

PROLATARE AGROS ] Mſ. Agr. *plantare agros.*

CAP. LXXIX. FERENDI... IMPERII ] Mallet Cl. Erneſtus, *deferendi... imperii;* quod certè uſitatius foret. Mox Cl. Erneſtus tentat *captum.* Non ita tamen diſplicet, *cæptum.*

EO ARDORE ] Ita libri omnes, præter Rhenanum, qui illa omiſit.

PARATA CONCIONE ] Bene Mſ. Agr. Ryckius & Recentiores. Perperam in Mſſ. & veteribus editionibus, *paratâ cognitione.* Emendabat Lipſius, *paratu ac concione.*

CAP. LXXX. LOCUSQUE ] Jac. Gronovius omiſit *que;* quòd in Mſ. Flor. tres poſtremæ literæ deſint. Nihil mutavi ob ceterorum librorum conſenſum, Taciti, Scriptorumque uſum.

ADSISTENTES ORDINE ] Bene Pichena & Recentiores e Mſ. Flor. Malè in Mſſ. & veteribus editionibus, *adſiſtunt.*

TANTÆ MULTITUDINIS ] Ita quidem libri omnes. At ſenſus poſtulat, *tantæ mutationis;* ut rectè monuit J. F. Gronovius. Ita quoque vertit Cl. Gordon: *As ſoon as he had recovered the full uſe of his ſight, dazzled at firſt by the glare of a change ſo ſudden and ſo mighty, he ſpoke to them in the language and ſpirit of a ſoldier.* Mallet quidem Trillerus, *tantæ altitudinis;* laudatque Livium XXVI, 45, ubi in deſcribendâ mœniorum oppugnatione ait: *Quidam ſtantibus ſcalis, cùm altitudo caliginem oculis offudiſſet, ad terram delati ſunt.* Verùm diverſa narrantur. Et certè *mutatio*, quàm *altitudo*, Taciti loco accommodatior. Jam enim dixerat: *Mens a metu ad fortunam tranſierat.* Sunt tamen, qui *tantæ multitudinis* retineant, & velint caliginem tantâ militum multitudine oculis Veſpaſiani fuiſſe offuſam.

NAMQUE ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps, Pichena & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *nam.* Lipſius, *jam.*

GERMANICA HIBERNA, CÆLO ] Ita Rhenanus & Recentiores omnes, præter Jac. Gronovium, qui veterum editionum ſcripturam defendit, *Germanica hiberno cælo:* ſic quoque habent Mſſ. Vera

tamen

tamen videtur Rhenani emendatio. Favet Suetonius in Veſpaſ. VI. *Simul rumor diſſipatus, deſtinaſſe Vitellium victorem permutare hiberna legionum, & Germanicas transferre in Orientem ad ſecuriorem mollioremque militiam.* Paſſim ipſe Tacitus legionum hiberna memorat.

Diligebantur ] Malè Rhenanus, *dirigebantur.*

CAP. LXXXI. Haud spernendis viribus ] Bene Mſ. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *cum viribus.* Mſ. Jeſ. *ſpernendus.*

Vetustis opibus ingens ] *Ingens*, Lipſio diſplicet; & adtextum videtur. Certè abeſſe poſſet.

In Pontum ] Bene Mſſ. & veteres recentioreſque editiones. In mediis editionibus omiſſa præpoſitio, *in.*

CAP. LXXXII. Revocare veteranos ] Ita Mſſ. & libri omnes editi. Laudat tamen Lipſius ex neſcio quibus libris, *evocare.* Quod immeritò illi probabile videtur: licèt enim qui revocabantur, vulgò dicerentur *evocati*, appellabantur quoque *revocati;* ut patet ex veteri lapide apud Gruterum, pag. DXXIV. num. 7.

D. M.
ET MEMORIAE AETERNAE
ATTONI. CONSTANTIS
VET. LEG. XXII. REMISS
VS. HONESTA. MISSIO
NE. CASTRIS. INTER. CE
TEROS. SVOS. REVOCATUS
QVIQUE. BELLO. INTER
FECTVS. OBIIT. ATTIA.
FLORENTINA. CON
IVGI. CARISSIMO
ET. SIBI. VIVA. PONEN
DVM. CVRAVIT. ET. SVB
ASCIA. DEDICAVIT

Festinabantur ] Mſ. Agr. a primâ manu, *feſtinantur.*

Donativum ] Bene Pichena e Mſ. Flor. Vulgò in Mſſ. & veteribus editionibus, *donativa.*

Ne Vespasianus quidem ] Bene Mſ. Corb. Rhenanus & Recentiores. Mſ. Reg. *neque.* Alii Mſſ. & veteres editiones, *nec.*

CAP. LXXXIII. Modicas vires sibi ] Bene Mſſ. Reg. Corb. editio princeps & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *eſſe ſibi.*

Tredecim vexillariorum millia ] Malè Beroaldus, *octo vexillariorum millia.*

Equite ] Malè Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *equite peteret.* Verbum hoc rectè omiſere Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. editio princeps & recentiores. Id enim ad *clauderet* referendum.

Si sibi Brundisium ] Ita Mſſ. editionesque veteres & recentiores. Rhenanus, *ſi ſimul Brundiſium.*

CAP. LXXXIV. Obstinante ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. editio princeps, Ryckius & Recentiores, qui intelligunt *ſe.* Dixit quidem Plautus, *Aulular.* Act. II. Sc. II, 89.

*Id inhiat, ea affinitatem hanc obſtinavit gratiâ.*

Placet tamen magis, *obſtinato*; ut habent Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus.

Largus privatim ] Optimè Mſſ. & veteres ac recentiores editiones. Malè Rhenanus, *largitus.* Fruſtra tentat Heinſius, *largus privati.*

Quod avidius ] Meliùs, *quò avidiùs*; ut multis jam obſervatum. In Mſ. Jeſ. *avidus.* Mox Mſ. Reg. *in republicâ.*

Rarissimus quisque ] Ita Mſ. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *cariſſimus.*

CAP. LXXXV. Transgressi in partes ] Ita vulgò Mſſ. editiones veteres & recentiores. Rhenanus perperam omiſit, *tranſgreſſi.* In Mſ. Corb. *tranſgreſſa*, utì volebant Freinshemius & Ryckius. Tunc ſic diſtinguendum: *Tranſgreſſa in partes tertia legio* &c. Atque ita vertit Cl. Gordon. *In Mœſia, the third Legion revolting to his party afforded thence an example to the others there* &c.

Aquileiam progressæ ] Sic Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *Aquileiam jam progreſſæ.*

Ita tres Mœsicæ legiones .... adliciebant Pannonicum ] Sic Mſſ. & libri editi. Malè omiſit Rhenanus, *Pannonicum exercitum, aut abnuenti vim parabant.*

In eo motu ] Bene Mſſ. editiones veteres & recentiores. Malè Beroaldus, *metu.*

Tertium Julianum ] Malè Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *Tectium Julianum.*

CAP. LXXXVI. Antonii Primi ] Mirum, ut hominem illum, legibus nocentem, famâ & vitâ fœdum, laudaverit Martialis, ni nota foret poetica adulatio. Martial. Epigram. IX, 101.

*Marcus amat noſtras Antonius, Attice, Muſas,*
*Charta ſalutatrix ſi modò vera refert:*
*Marcus Palladiæ non inficianda Toloſæ*
*Gloria, quem genuit pacis amica quies.*

Idem Epigram. X, 23.

*Jam numerat placido felix Antonius ævo*
*Quindecies actas Primus Olympiadas :*
*Præteritoſque dies , & totos reſpicit annos :*
*Nec metuit Lethes jam propioris aquas.*
*Nulla recordanti lux eſt ingrata , graviſque :*
*Nulla fuit cujus non meminiſſe velit.*
*Ampliat ætatis ſpatium ſibi vir bonus : hoc eſt ,*
*Vivere bis , vitâ poſſe priore frui.*

Demum Epigram. X, 32.

*Hæc mihi quæ colitur violis pictura , roſiſque ,*
*Quos referat vultus , Cæciliane , rogas ?*
*Talis erat Marcus mediis Antonius annis*
*Primus : in hoc juvenem ſe videt ore ſenex.*
*Ars utinam mores , animumque effingere poſſit :*
*Pulchrior in terris nulla tabella foret.*

Titus Ampius Flavianus ] Bene Lipſius & Pichena e Mſ. Farneſ. & ipſo Tacito , Hiſt. III , 4 & 10. A Mſ. Reg. & editione principe abeſt , *Ampius*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus , *Titus Fabianus*. Infrà Hiſt. III, 4 , iidem Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. habent, *Tum pius Flavianus*. & Hiſt. III, 10. Mſ. Corb. *Titum Ampium Flavianum*.

Pompeius Silvanus ] Bene Mſſ. Reg. Corb. Agr. & editio princeps. Mſ. Flor. & Pichena , *Poppæus*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus , *Pompeius Syllanus* ; at iidem Mſſ. infrà Hiſt. III , 50 , & IV, 47, habent *Pompeius Silvanus*. T. Ampius Flavianus & Pompeius Silvanus inter curatores aquarum memorantur , ſed corruptè , ut rectè monuit Ryckius , apud Frontinum , de Aquæductibus , libr. II. pag. 251. *Veſpaſiano tertiùm & Cocceio Nervâ conſulibus* , *Pompeius Silvius* , corrige *Silvanus : Silvino* , corrige *Silvano* , ſucceſſit, *Valerio & Meſſalino* , corrige *Domitiano ſecundùm & Valerio Meſſalino* , *conſulibus* , *T. Anius Flavianus* , corrige *T. Ampius Flavianus*.

Sed procurator aderat ] Malè Rhenanus *& procurator*. Mſ. Corb. *ſed procurator erat*.

Quietis cupidine ] Ita libri omnes. Tentant quidem eruditi viri Grotius & Huetius , *quæſtûs cupidine* ; quòd olim Mela petitione honorum abſtinuerat , ut per procurationes pecuniam certiùs citiùſque quæreret ; ut dictum eſt ſuprà Annal. XVI , 17. Nihil tamen mutaverim. Nihil quoque mutavit Cl. Gordon. *He had in his early youth , from a paſſion for ſolitude and repoſe , diveſted himſelf of the dignity of a Senator*. Et certè id quietem innuit , quòd dux coloniæ ſuæ pro Galbâ ſteterit. Mutantur autem hominum ſtudia. Potuit ergo Fuſcus primâ juventâ quietem , deinde pericula ſectari.

Idem pro Galba ] Malè Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *idemque pro Galbâ*.

Adeptus ] Malè Mſ. Corb. & editio princeps , *adeptus eſt*.

Et ancipitia ] Ita Mſſ. & editiones veteres. In recentioribus editionibus omiſſa copula , *&*.

Adgrediuntur ] Bene Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. editiones veteres & recentiores, Malè Beroaldus, *aggreditur.* Hæc enim non ad unum Fuſcum, ſed ad Veſpaſianum ceteroſque Flaviarum partium duces pertinent.

CAP. LXXXVII. Dum hæc ] Mſ. Corb. *Cum hæc.*

Ad omnes ] Puteolanus, *ad omnis.* Antiquitus quidem. Sed Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps, *ad omnes.*

Inter servos ] Ita libri omnes. Malè tentat Lipſius, *inter ſeveros.* Servorum enim procaciſſimi lixæ.

CAP. LXXXVIII. Effusa plebes ] Ita quidem Mſ. Corb. & editiones recentiores. Æquè bene Mſ. Harl. & veteres editiones, *plebs.*

Vernacula, ut rebantur, urbanitate ] In Mſſ. & veteribus editionibus, *vernaculâ utebantur urbanitate.* Quod quidem ferri poſſet. At cùm id tamen Cornelianum ſtilum minimè ſapiat, rectè conjecit Lipſius, *ut rebantur.* In mediis quibuſdam editionibus, *vernaculâ urbanitate*, omiſſis, *ut rebantur.*

Abscisis ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *abſciſſis.*

Filium comitaretur ] Fruſtra tentabat Reineſius, *conviciaretur.* Patet ex iis, quæ ſequuntur, patrem illum fuiſſe filio ſuo comitem, non verò conviciatorem. Unde cùm temere in hoc tumultu, non a filio, ſed ab aliquo milite, fuiſſet interfectus, deinde agnitus, & vulgatâ cæde, temperatum eſt ab innoxiis.

Sævum spectaculum ] Habent quidem Mſſ. Flor. & Harl. *Scævum;* ediditque Jac. Gronovius. Id tamen librariorum ruſticitati potiùs, quàm antiquitati tribuerim. Ceteri omnes libri habent, *ſævum.*

CAP. LXXXIX. Dein quatuor ] Mſ. Reg. & editio princeps, *dehinc.*

Aut species armorum forent ] Mſ. Reg. *ut* pro *aut. Forent*, videtur redundare.

Decora facies . . . dignus exercitus ] Hæc quidem abſunt à Mſ. Bud. librarii errore, cùm ea habeant ceteri omnes libri.

Honoravit ] Sic Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. Guelf. Rhenanus & Recentiores. In veteribus editionibus, *decoravit.*

CAP. XC. Verique discrimine ] Mſ. Corb. *verique diſtinctione.*

CAP. XCI. Alliensi ] Malè Mſ. Jeſ. *Alienſi.*

Altiorem ejus iracundiam ] Bene Mſ. Bodl. & editio princeps. Vulgò in aliis libris, *altiorem iracundiam ejus.*

Quod neminem ex præpotentibus ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Corb.

editio princeps, Pichena & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *quòd non ex præpotentibus.*

CAP. XCII. A PRÆFECTURA COHORTIS ] Corruptè Mſſ. & veteres editiones, *ad præfecturam cohortis.* Primò emendatum, *ac præfecturæ cohortis.* Meliùs poſtea Mercerus, *a præfecturâ cohortis.* Mox volebat, *& Julium Priſcum*, ut ſenſus poſtulat, ni intelligatur.

TUM CENTURIONEM ] In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *dum centurio eſt.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *dum centurio eſſet.* At cùm Mſſ. Flor. & Farneſ. habeant, *centurionem*, rectè emendatum eſt, *tum centurionem.*

AUT ILLUM ] Mſ. Corb. *aut in illum.*

OMNI MODO ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Guelf. Harl. Bodl. Jeſ. Pichena & Recentiores. In veteribus editionibus, *omnino.*

TRANSGRESSI ] Mſ. Corb. *ingreſſi.*

CAP. XCIII. URBE TOTA VAGUS ] Mſ. Corb. *vagans.*

IMMINUEBANT ] Sic Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. editio princeps, Ryckius & Recentiores. In Mſ. Harl. & Puteolanus, *imminuebat.*

ADJACENTI TIBERI ] Ita quidem Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. editio princeps, Ryckius, aliique. At in Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *adjacentia Tiberi.* Quod retinuit Cl. Erneſtus, dum conſtet *jacere*, aut *adjacere* de fluminibus dici. Certè *adjacentia* tueri licet auctoritate Plinii VI, 17. *Indorum gens, non Eoo tantùm mari adjacens, verùm & meridiano.*

GALLORUMQUE ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. Corruptè Mſ. Corb. *Gadanorum.* Mſ. Bud. & editio princeps, *Gadavorum.* Inde fruſtra tentabat Rhenanus, *Batavorum.* Remiſſas enim in Germaniam Batavorum cohortes vidimus ſuprà cap. 69.

ADSECTABATUR ] Bene editiones veteres & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *aſſectabantur.* Emendatum in Mſ. Harl. *aſſectabatur.*

CAP. XCIV. INCUSANTES ] Mſ. Corb. *accuſantes.*

EJUSMODI ] Mſ. Corb. *hujuſmodi.*

INSITAM ANIMO IGNAVIAM ] Ita libri ſcripti & editi; præter Mſ. Flor. in quo, *inſitam morte animo ignaviam.* Inde fruſtra tentabat Lipſius, *inſitam fortè.* Pichena, *inſitam inerti*, &c.

CONFERRE ] Malè Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps, *conferri.* Mox Mſ. Jeſ. *& tributum.*

CAP. XCV. INFERIAS NERONI FECISSET ] Bene Lipſius & Recentiores. Malè Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps, *jeciſſet.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *jeciſſent.*

FACEM AUGUSTALES ] Bene Mſſ. Flor. Corb. Agr. & editiones

recentiores. Sic quoque volebat Muretus. In Mſſ. Reg. Harl. Jeſ. & editionibus veteribus, *faces*.

Subdidere ] Malè Mſſ. Harl. Bodl. *ſubditæ ;* quòd librarii ad faces auguſtales verbum referrent. Eodem errore in Mſſ. Corb. & Agr. *facem auguſtalem*.

Sumptu ganeaque ] Optimè emendavit Palmerius, quem Pichena & Recentiores omnes ſunt ſecuti. Corruptè in Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *ſumptu galanæ aquæ*. In Mſſ. Harl. Jeſ. & Puteolanus, *ſumptu Caianæ aquæ*. Mſ. Flor. *ſumptu gaianeaque*. Tentabat Lipſius, *ſumptu ſaginâque*. Franciſcus Malherbe apud Gevartium, *Elect.* III, 3. *ſumptu ganeæ aleæque*.

CAP. XCVI. Mollius interpretabantur ] Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. & editiones veteres, *nullius interpretabantur*. Mſſ. Flor. & Agr. *meliùs*. Inde Rhenanus & Recentiores fecere, *molliùs*.

CAP. XCVII. Militiam cepere ] Bene Jac. Gronovius e Mſ. Flor. In Mſſ. Harl. Jeſ. *capere*. In Mſſ. Reg. Corb. & veteribus editionibus, *cœpere*.

Perinde socii ] Ita Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. & veteribus editionibus, *proinde*.

CAP. XCVIII. Suomet astu ] Bene Mſſ. Flor. Agr. Ferretus & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. & editionibus veteribus, *ſuomet ſtatu*.

Etesiarum flatu ] Optimè, ex Rhenani conjecturâ, J. F. Gronovius & Recentiores. Corruptè Mſ. Flor. *eteſi flabra aquilonis arcum flatu*. In Mſſ. Vatic. Farneſ. Reg. Corb. & editione principe, *& Blaſi flabra Aquilonis harum flatu*. Mſſ. Harl. Bodl. & Puteolanus, *eteſiæ flabant. harum flatu*. Mſ. Jeſ. *horum*.

CAP. XCIX. Tum primum ] Mſ. Corb. *tunc primum*.

Fluxa arma ] Perperam Lipſius, *& fluxa arma*. *Et* abeſt a Mſſ. & veteribus recentioribuſque editionibus.

Perfidiam meditato ] Mendosè Mſſ. Flor. Reg. Corb. Harl. Bodl. Jeſ. & editiones veteres, *meditatio*. Rectè emendavit Jac. Gronovius, *meditato*. Emendaverat Rhenanus, *meditanti*. In Mſ. Agr. *meditantis*.

Gratiam viresque ] Hæc perperam omiſſa in Mſ. Reg. & editione principe.

CAP. C. Vexillarii quartædecimæ ] Bene quidem Puteolanus & Recentiores, *vexillarii*. Corruptè autem Mſ. Reg. & editio princeps, *vexilla in*. At mendosè libri omnes, *quartædecimæ*. Nam

*quartadecima* legio non pro Vitellio, ſed pro Othone ferociter ſtetit; ideoque in Britanniam miſſa : & a Flavianarum partium ducibus ſcriptæ in Britanniam ad quartadecimanos literæ, Tacit. Hiſt. II, *66* & *86*. Legio, de quâ hìc agitur, fuit Vitelliana; ac proinde una e Germanicis legionibus. Quænam autem fuerit illa legio, incertum. Eruditus Savilius emendat, *quintædecimæ*. Mercerus, *quartæ*. Probabiliter uterque, quòd utraque legio pro Vitellii partibus ſtabat. Mercero tamen potiùs aſſentior. Hìc enim in Mſ. Corb. *XIIII*, ſicut mox infrà *XII & XX*. pro *duoetvice ſima*. Utroque in loco redundat numerus *X*.

Sextædecimæ ] Ita Puteolanus & Recentiores. Peſſimè Mſſ. Reg. Corb. *XIII*. Editio princeps, *tredecim*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *XVIII*.

Duoetvicesima ] Bene Mſſ. Vatic. Flor. Bodl. & Lipſius. Idque innuunt Mſſ. Corb. Agr. & editio princeps. Habet enim Mſ. Corb. *XII & XX*. Mſ. Agr. & editio princeps, *duodecima & viceſima*. Malè alii, *duodeviceſima*.

Cum vexillariis trium Britannicarum legionum ] Optimè emendavit Rhenanus. Corruptè Mſſ. & veteres editiones, *cum vexillariis hyſtris*, vel *hyſtrium*, vel *iſtricum Britannicarum*, &c.

Devertit ] Bene Mſſ. Flor. Corb. Bud. Ryckius & Recentiores. Vulgò in Mſſ. & veteribus editionibus, *divertit*.

Prætexto ] Ita Mſſ. Flor. Corb. Bud. Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Agr. & editionibus veteribus, *prætextu*.

Lucilius Bassus ] Perperam Mſſ. & veteres editiones, *Lucilius Bleſus*, vel *Blexus*. Rectè emendatum in margine Mſ. Bodl. *Baſſus*. Sic emendandum optimè viderat Lipſius ex tabulis æneis quas protulit, quaſque habet Gruterus, pag. DLXXIII. num. I.

IMP. CÆSAR. VESPASIANVS. AVG. PONT. MAX.
TR. POT. II. IMP. VI. P. P. COS. III. DESIG. IIII. VETERANIS
QVI. MILITAVERVNT. IN. CLASSE. RAVENATE. SVB
SEX. LVCILIO. BASSO. QVI. SENA. ET. VICENA. STIPENDIA
AVT. PLVRA. MERVERVNT. ET. SVNT. DEDVCTI. IN. PANNO
NIAM. QVORVM. NOMINA. SVBSCRIPTA. SVNT. IPSIS. LI
BERIS. POSTERISQVE. EORVM. CIVITATEM. DEDIT. ET
CONVBIVM. CVM. VXORIBVS. QVAS. TVNC. HABVISSENT
CVM. EST. CIVITAS. IS. DATA. AVT, SI. QVI. CAELIBES. ESSENT
CVM. IIS. QVAS. POSTEA. DVXISSENT. DVMTAXAT. SINGV
LIS. SINGVLAS. NON. APRIL. CAESARE. AVG. F. DOMITI
ANO. CN. PEDIO. CASTO. COS. ILATORI. VENETI. F. CENTV
RIONI. AMAEZEIO. DESCRIPTVM. ET. RECOGNITVM
EX. TABVLA. AENEA. QVAE. FIXA. EST. ROMAE. IN. CAPI
TOLIO. AD. ARAM. GENTIS. IVLIAE. DEFORAS. PODIO. SI
NISTERIORE. TAB. I. PAG. II. LOC. XXXIIII.

Deinde ſequuntur nomina veteranorum, quibus civitas datur & conubium. Tales tabulas jam protulimus & explicavimus in Notis & Emendationibus ad Annal. XIV, 27. Hujus verò tabulæ finem facilè explices. Nempe *tabula hæc ænea fixa eſt Romæ in Capitolio, ad aram gentis Juliæ, deforas, podio ſiniſteriore, tabulâ primâ, paginâ ſecundâ, loco trigeſimo quarto.*

Nec sciri potest, traxerit] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *nec ſciri poterat, traxerat.*

CAP. CI. Corruptas in adulationem] Bene Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. Mſ. Bud. *corruptos.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *corrupti.*

Anteiretur] Bene Mſ. Corb. editio princeps & Erneſtus. In Mſſ. Harl. Bodl. & Puteolanus, *anteirentur.* Mſ. Jeſ. *anteiret.* Mſ. Reg. *anteirent.*

Vilem mox] Ita Mſſ. & veteres recentioreſque editiones. In mediis quibuſdam, *mox vilem.*

Pervertisse ipsum Vitellium videtur] Ita Puteolanus & libri omnes poſtea editi Rectè tamen omitteretur *Vitellium*, quòd abeſt a Mſ. Reg. & editione principe. Sic quoque meritò volebat Lipſius. E ſuperioribus enim repetitum videtur. Rectè Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. & Puteolanus, *pervertiſſe.* In Mſ. Reg. & editione principe, *præveniſſe*, ſolemni librariorum errore. Mox fuit emendandum, *videtur.* Malè enim Mſ. Reg. & editio princeps, *videretur.* Puteolanus, *videntur.*

NOTÆ

# NOTÆ ET EMENDATIONES
## *AD LIBRUM TERTIUM*
# HISTORIARUM.

CAP I. Pœtovionem ] Sic vulgò Mſſ. & Inſcriptiones. In veteribus quoque editionibus ſcriptum per *œ*. In recentioribus editionibus, *Petovionem.*

CAP. II. Belli concitator ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Flor. *concittator.* Mſſ. Reg. Corb. Agr. & editio princeps, *concionator.*

Quanto ferocius ] Mſ. Guelf. *quantò fortius.*

Ante se egerint ] Ita libri omnes ſcripti & editi, præter Cl. Lallemand, qui omiſit *ſe.* Latinè quidem.

Vacuumque Illyricum mare ] *Que* abeſt a Mſ. Corb. In Mſ. Flor. *Illyrici.* Ita quoque Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf. manu primâ: alterâ emendatum, *Illyricum.*

Perrupere ] Malè Mſ. Reg. & editio princeps, *prorupere.* Mſ. Jeſ. *perrumpere.*

Auctorque consilii ] Bene Mſſ. veteres ac recentiores editiones. In mediis quibuſdam, *conſilio.*

Reseratam Italiam ] Bene Pichena & Recentiores e Mſ. Flor. in quo corruptè, *reſerata militiam.* Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps, *reſeratam militiam.* Mſ. Agr. *fractam militiam.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *reſerata militia.* Fruſtra tentat Jac. Gronovius, *reſeratam ibi viam.*

CAP. III. Hæc et talia ] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & editiones veteres. In Mſ. Corb. *ac.* In recentioribus editionibus, *atque.*

Ita effudit ] Mſ. Corb. *ita fudit.*

Tracturus interpretationem ] Mallet Acidalius, *interpretatione.* Ac meritò quidem, ut Cl. Erneſto aliiſque jam obſervatum. Incerta enim huc illuc interpretatione non erat tracturus.

Eoque gratior ] Ita quidem Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. At in Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. & editione principe, *eòque gravior.* Quod non ita ſpernendum. Sic infrà Hiſt. IV, 28. *Contuſis Ubiis, gravior & ſucceſſu rerum ferocior Civilis, obſidium*

*legionum urgebat. Gravior*, id eſt majoris auctoritatis ac ponderis. Idque innuit, quod mox ſequitur: *proxima Cornelii Fuſci auctoritas.*

CAP. IV. Cunctatior ] Ita Mſſ. Reg. Corb. Harl. & editiones veteres. In Mſ. Bodl. *cunctatior.* Mſ. Jeſ. *contatio.* Lipſius & Recentiores, *cunctator. Cunctatior*, probatum magis, magiſque appoſitum.

Idemque ] Sic Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Harl. Jeſ. *iiſdemque.* Alterâ manu in Mſ. Harl. emendatum, *idemque.* In Mſ. Corb. *iſque.* Mſſ. Flor. Reg. & editio princeps, *idque*; quod immeritò defendit Jac. Gronovius.

Resumere ] Malè Mſ. Guelf. *reaſſumere.*

Cum maxime ] Bene Mſſ. Flor. Harl. Corb. Agr. editio princeps, Ryckius & Recentiores. In Mſſ. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *tum maxime;* ut alterâ manu emendatum eſt in Mſ. Harl.

CAP. V. Transmittere ] Malè Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. & editiones veteres, *tranſmitteret.* Mſ. Farneſ. *tranſmitteretur.* Mox peſſimè Mſſ. Farneſ. Reg. Corb. & editio princeps, *impunem.*

Et usui ] Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps, *eo uſui.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *& eo uſui.* Emendabat Acidalius, *& ex uſu.* Bene Pichena e Mſ. Flor. *tranſmittere... impune... & uſui.*

Scriptum Aponio Saturnino ] Hìc, fœdâ librariorum oſcitantiâ, tranſpoſita fuerat una integra pagina; ita ut verba hæc capitis V, *ſcriptum Aponio*, conjungerentur cum ultimis verbis capitis VII, *revireſcere crederentur* &c, uſque ad verba capitis IX, *pro causâ fidenter.* Quibus verbis adſutum erat fragmentum capitis V, *cum exercitu Mœſico celeraret. Ac ne inermes* &c. *Saturnino* autem miserè corruptum fuerat in *Satium inno.* Errores quidem illi antiqui: iidem enim ſunt in omnibus Mſſ. Vitium deprehendit Lipſius: antiquum ordinem reſtituit Pichena.

Cum exercitu Mœsico celeraret ] Bene Mſ. Corb. & editiones recentiores: atque ita ferme Mſ. Flor. corruptè tantùm habet, *exercitum.* Peſſimè editio princeps, *de exercitu Mœſico celebrare.* Puteolanus, *Mœſicum exercitum celebrare.*

Plebem quoque ] Fruſtra tentat Boxhornius, *peditem quoque.* Principes Sarmatarum Jazygum plebem & vim equitum obtulere.

Remissum ] Ita Mſſ. Reg. Corb. Harl. editio princeps & recentiores. Mſſ. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *omiſſum.*

Aut majore ] Bene Mſ. Corb. editio princeps, Pichena & Recentiores. Sic quoque emendatum in Mſ. Harl. Primâ manu, *at.* Puteolanus, *ac.*

Quis vetus ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. editio princeps & Ryckius. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *quibus vetus.*

Fidei commissæ patientior ] Sic Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf.

Puteolanus & Recentiores. Corruptè Mſſ. Flor. Reg. Corb. & editio princeps, *fidei commiſſior patientior.* Inde tentabat Lipſius, *fide cognitior.* Pichena, *gens fida, ac laborum*, vel *onerum patiens.* Jac. Gronovius, *fidei commiſſique patiens.* Certè durum eſt, *fidei commiſſæ patientior*, neque ex uſu Latinorum Scriptorum. Senſus tamen ſatis obvius; nec malè vertit Cl. Gordon: *Their people too were more obſervant of their plighted faith.*

Posita in latus ] Sic Mſſ. & editiones veteres ac recentiores. Rhenanus, *oppoſita.*

Porcius Septiminus ] Sic adhuc Mſſ. editioneſque veteres & recentiores. Rhenanus, *Septimius.* Septiminorum frequens mentio in antiquis Inſcriptionibus.

Ala Auriana ] Malè adhuc Rhenanus, adverſantibus Mſſ. & veteribus editionibus, *ala Tauriana.*

Æni fluminis ] Optimè Rhenanus. Perperam Mſſ. & veteres editiones, *Rheni fluminis.*

Nec his, aut illis ] Bene Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Reg. & editione principe, *nunc his, aut illis.*

CAP. VI. Quam gloriam et dux ] Bene Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. Reg. editiones veteres & recentiores. Perperam in mediis quibuſdam editionibus emendatum, *ei dux.* Fruſtra Mſſ. Corb. Reg. & editio princeps habent *magis* ante *quam.*

Occupata Aquileia ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Bud. Corb. editio princeps, Ryckius & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *occupantes Aquileiæ proxima* &c.

In proxima ] Ita Mſ. Agr. Ryckius & Recentiores. Præpoſitio *in* abeſt a Mſſ. Flor. Reg. Corb. & editione principe.

Scribonianæ nomen ] Ita Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Bodl. *Scriboniæ.* Mſſ. Harl. Guelf. *Scbonianæ.* Emendatum alterâ manu in Mſ. Harl. *Sciloniana.* In Mſ. Guelf. *Scribonianæ.* Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. *Sebonianæ.* Fruſtra tentabat Jac. Gronovius, *Senonianæ.*

Forum Allieni ] Ita Ryckius e Mſ. Agr. In veteribus editionibus, *Alieni.*

Inermos plerosque ] Mſ. Flor. Pichena & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Reg. & editionibus veteribus, *inermes.*

Dederent ] Mſ. Corb. *dedere.*

CAP. VII. Post principia belli secundum Flavianos ] Ita Vulgò Mſſ. & libri omnes editi. A Mſſ. Flor. & Jeſ. abeſt *poſt.* In Mſ. Guelf. alterâ tantùm manu additum eſt. Tentabat Jac. Gronovius, *per.* Fortè hæc omnia ſpuria ſunt, & additamenta quæ e margine in ipſam hiſtoriam tranſiere. Quod Cl. Erneſto jam obſerva-

tum. Ea retinuit Cl. Gordon, & vertit: *After the victory was grown public, and as to the party of Veſpaſian the firſt actions of the war had proved proſperous.*

ADDUCTIUS ] Bene Mſſ. Vatic. Flor. Corb. Lipſius, Pichena & Recentiores. Corruptè Mſ. Reg. *adducius.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & editiones veteres, *audacius.*

SI PLACERE ] Bene Mſſ. Flor. Guelf. Harl. Bodl. Jeſ. Pichena & Recentiores. In Mſ. Corb. & editionibus veteribus, *ſi placeret.* Tentabat Muretus, *ſibi placeret.*

REVIRESCERE ] Mſſ. Jeſ. & Guelf. *reviviſcere.*

CAP. VIII. VICETIA ] Bene Pichena e Mſ. Flor. Vulgò in Mſſ. & veteribus editionibus, *vincentia*, aut *vicentia.*

INTERJECTUS ] Bene Lipſius, Pichena & Recentiores. Malè Mſſ. Flor. Reg. Corb. & editio princeps, *interiectus.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *interceptus.*

RÆTIAM ] Bene Mſſ. Vatic. Farneſ. Corb. & Pichena. Corruptè Mſſ. Flor. Reg. & editio princeps, *pretiam.* Unde Puteolanus, Jac. Gronovius, & alii multi, *per Rhætiam.* Sed Flavianus exercitus non interjectus eſt per Rætiam, quæ pro Vitellianis ſtabat. Poſita tantùm auxilia in latus Rætiæ, quòd ea erat infeſta, ut vidimus ſuprà cap. 5. Fruſtra tentabat Lipſius, *Ræticas Juliaſque Alpes.*

NE PERVIUM ] Mſſ. & veteres recentioreſque editiones, *ac ne pervium.* *Ac* omittendum optimè viderunt Pichena & Lipſius; idque rerum ſeries poſtulat.

OBSEPSERAT ] Malè Mſ. Jeſ. *obſeſſerat.* Editio princeps, *obſederat.*

POST RES ] Peſſimè Mſ. Reg. *poſt tres.* Inde ſciolus aliquis ſcripſit in Mſ. Bud. *poſt tres menſes.*

CAP. IX. CASTRA PERMUNIIT ] Mſſ. Reg. & Jeſ. *permunivit.* A Mſ. Jeſ. abeſt, *caſtra.*

POTUERE ] Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps, *potuiſſent.*

CONSCIVISSENT ] Mſ. Jeſ. primâ manu, *conciviſſent.* Sic quoque volebat Muretus. Alterâ manu emendatum in Mſ. Jeſ. *conſciviſſent.*

VIPSTANIUS MESSALA ] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Reg. & Puteolanus, *Vipſanus.* Editio princeps, *Vipſanius.* Rupertus, Ryckius & Recentiores, *Vipſtanus.* Meliùs, *Vipſtanius.* Nam in veteri Inſcriptione apud Muratori, *Novus Theſaurus Inſcript.* Tom. I. pag. CCCXIX. num. 2. ejus conſulatus, Trajano Principe, memoratur.

L. VIPSTANIO MESSALA
M. VERGILIANO PEDONE.

Sic quoque veteres lapides apud Gruterum, pag. MLXVI & MLXX.

LAUDIBUS ATTOLLEBATUR ] *Laudibus* abeſt a Mſ. Corb.

De exitu ] Bene Lipſius & Recentiores. In Mſſ. & veteribus editionibus, *de exercitu.*

In Vitellium ] Bene Mſſ. Flor. Corb. Agr. Pichena & Recentiores. *In Vitellium*, id eſt *adversùs Vitellium.* A Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolano abeſt præpoſitio *in.*

Præsumpsere ] Mallet Freinshemius, *reſcripſere.* At neſcio quid audacius & magis Cornelianum habet, *præſumpſere.*

Facta tribunis centurionibusque ] Bene Mſſ. Flor. Agr. Harl. Lipſius, Ryckius & Recentiores. In Mſſ. Bodl. Jeſ. & veteribus editionibus, *facta a tribunis.* Puteolanus, *& centurionibus.*

CAP. X. Aponianus ] Bene Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. & veteribus editionibus, *Apontanus.* At mox infrà, cap. II. *Aponianus.*

Galbianæ legioni ] Bene Mſ. Corb. editio princeps, & recentiores. Puteolanus, *Galbiæ.*

Et ut proditionis ] Ita libri omnes ſcripti & editi. Lipſio videtur vox abeſſe; legendumque, *proditionis auctorem*, vel *compertum:* niſi tamen, inquit, compendio fuit, *& ut proditione, ira militum:* id eſt, ut in proditione, quaſi eſſet proditio. Tentabat Pichena, *& ut proditorem:* Grotius, *ut proditi ira militis.* Faernus & Acidalius emendabant, *rapiuntur arma metu proditionis. Ira militum.* Vulgatam ſcripturam defendunt Gronovius & Erneſtus. Nec ego damnare auſim, quòd plurimus ſit apud optimos ſcriptores genitivorum uſus.

Aponius ] Sic libri omnes ſcripti & editi, præter Rhenanum, qui omiſit, *Aponius;* & Pichenam, qui emendavit, *Aponianus;* quòd id ad Dillium Aponianum referret. Verùm, ut rectè obſervat Ryckius, hæc ſpectant Aponium Saturninum, de quo ſuprà cap. *9.*

Namque ] Sic ſcripti & editi libri, præter Lipſium, qui omiſit, *que.*

Crudescere ] Sic adhuc ſcripti & editi libri, præter J. Fr. Gronovium, qui, fortè operarum vitio, edidit, *candeſcere.*

Ac probris ] Ita Mſſ. & veteres editiones. Rhenanus Recentioreſque, *& probris.* In Mſſ. Harl. Jeſ. alterâ manu emendatum, *ac vocibus.*

Militari decore ] Ita Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Reg. Corb. editione principe, & Lipſius, *militari honore.*

Injicerent ] Mſ. Corb. *mitterent.*

Fatisceret ] Bene Mſ. Corb. & editiones recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *fatiſcere.* Corruptè editio princeps, *ſatisfacere.*

Dilaberentur ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *dilaberetur.*

CAP. XI. DEPOSCERENT ] Malè Mſ. Bodl. *repoſcerent.*

MŒSICÆ LEGIONES ] Bene Mſſ. & veteres recentioreſque editiones. Rhenanus, *Mœſici.*

DEVERTEBATUR ] Sic editio princeps & recentiores. At Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Reg. & Puteolanus, *divertebatur.*

NISI ] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *nixi.*

FORNACIBUS ] Ita Mſſ. Flor. Agr. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *fornicibus.* Notatum in margine Mſ. Harl. *alius* habet *fornicibus.* Suprà in Mſ. Reg. & editione principe, *balneorum.*

VIS ET POTESTAS ] Mſſ. Harl. Bodl. Corb. *jus & poteſtas.*

MILITUM STUDIIS ] Mſſ. Flor. & Corb. *militibus.* Inde Pichena tentabat, *militaribus:* Jac. Gronovius, *militis ſtudiis.*

CAP. XII. VESPASIANO ] Mſ. Corb. *a Veſpaſiano.*

CORNELIUM FUSCUM ] Bene editio princeps, Lipſius & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *Cornelium Tuſcum.* Hic eſt Cornelius Fuſcus, de quo dictum eſt ſuprà Hiſt. II, 86.

ADCUCURRIT ] Ita Mſ. Flor. Pichena & Recentiores. In Mſſ. Reg. Corb. *accucurrit.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *accurrit.*

ATRIAM PERVECTUS ] Bene Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps. Sic quoque Plinius III, 16. *Nobili portu oppidi Thuſcorum Atriæ, a quo Atriaticum mare antè appellabatur, quod nunc Adriaticum.* Malè Puteolanus & Recentiores, *Hadriam.* Rectè Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Corb. & Puteolanus, *pervectus.* In Mſ. Reg. & editione principe, *provectus.*

MENNIO RUFINO ] Ita Mſ. Harl. primâ manu, Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Jeſ. *Memmio*: ſic quoque emendatum alterâ manu in Mſ. Harl. In Mſſ. Vatic. Agr. Corb. & editione principe, *juveniorum.* Unde quidam finxere alam juveniorum, quæ nuſquam in antiquis monumentis memoratur. Mſ. Flor. *Vivennio Rufino.*

ILLIC AGITANTE ] *Illic* abeſt a Mſ. Corb.

CAP. XIII. SECRETA CASTRORUM ] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & libri omnes editi, præter Ryckium, qui e Mſ. Agr. edidit, *ſecretum.* In Mſſ. Flor. Reg. Corb. Bud. *ſecretorum.* A Mſ. Reg. abeſt, *caſtrorum.*

IN ARCTO COMMEATUM ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Flor. Reg. & editione principe, *in arce commeatum.* Mſſ. Corb. Agr. *in arcem commeatum.* Inde emendaverat Rhenanus, *inopiâ commeatuum:* Lipſius, *arcem commeatuum.*

DEREPTÆ IMAGINES ] Bene Erneſtus & Recentiores. Detractæ enim de ſignis imagines, *dereptæ* dicuntur, non verò *direptæ*, ut habent Mſſ. & veteres editiones.

In fama proditio ] Ita Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. Guelf. Puteolanus & libri omnes poſtea editi. In Mſ. Reg. & editione principe, *infamia prodidit.* Mſ. Agr. primâ manu, *infamia prodita:* alterâ, *infamis proditio.* Mſ. Mirandulanus, aut potius Marquardus Freherus, *rei fama didita.* Ferri poteſt vulgata ſcriptura. Fortè tamen aliquid vitii hìc latitat, maximè cùm mox & ante *recurrens* deſideretur. Quod Cl. Erneſto jam obſervatum.

Cuncta simul ] Acidalius mallet, *cuncti.* Et meritò quidem. Mox enim cap. ſeq. *Hæc ſinguli, hæc univerſi.*

Huc cecidisse ] Placet Heinſio, *huc recidiſſe.* Nec immeritò. Sic ſuprà Annal. III, 59. *Huc recidiſſe cuncta.*

Germanici exercitus ] Malè Mſſ. Harl. Jeſ. & Puteolanus, *Germani.*

Vinctas manus ] Bene Rhenanus & Recentiores. In Mſ. Reg. & veteribus editionibus, *junctas manus.*

Quos tamen ] Malè Rhenanus, *quos tum iiſdem campis illis.*

Tot armatorum millia ] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Puteolanus, & Recentiores. A Mſſ. Reg. Flor. Bud. Agr. & editione principe abeſt, *tot.* Inde illud omiſere Ryckius & Gronovius. At meliùs retinetur.

Donum darentur ] Mſ. Bodl. *dono.*

Abstulerint ] Mſ. Corb. *abſtulere.*

Etiam militibus principem auferre, licet integros ] Ita quidem Mſſ. & libri omnes editi. Tantummodò in Mſſ. Flor. Reg. Corb. & editione principe pro *licet* legitur *litem.* Hæc cùm inter ſe non cohæreant, Ferretus, Lipſius Grotiuſque corrigebant, *etiam milites auferre, licet integros* &c. Sic quoque vertit Cl. Davanzati : *Voler Baſſo, e Cecina ſopra le caſe, giardini, e tante richeſſe rapite al Principe, torgli anche i ſoldati, quantunque no menomati, ne feriti, e vili alli ſteſſi Flaviani: e che riſponderel bero a chi domandaſſe di lor proſperita, o avverſità?* Sic Cl Gordon aliique optimi interpretes, ſed non eâdem brevitate. Manet tamen difficultas, neque hæc cum præcedentibus ſatis connexa, *licèt integros... Flavianis quoque partibus viles.* Fruſtra tentavit J. F. Gronovius, *etiam milites auferre, deditos, integros* &c. & Jac. Gronovius, *etiam militibus Principem auferre. Sic & integros incruentoſque, Flavianis quoque partibus viles, quid dicturos* &c. Minimè Corneliana ſunt *deditos .... ſic & integros.* Itaque cùm optimi Mſſ. & editio princeps habeant *litem* pro *licet*, & in veteribus libris, *quid dicturos* a ſuperioribus non ſint ſeparata, omnino probabilis, immo neceſſaria mihi videtur ſcriptura Mſ. Agr. *etiam militibus Principem auferre, Principi militem: integros incruentoſque, Flavianis quoque partibus viles, quid dicturos* &c. Sive hæc repetita ſint ab aliquo vetere libro, ſive oriantur a conjecturâ eruditi viri, qui multa in Mſ. Agr. emendavit, certè Corneliana ſunt, & cum

præcedentibus ſequentibuſque optimè conſentiunt. Facilis autem fuit librariorum error, maximè ſi olim ſcriptum fuit, *militibus Principem*, *Principi auferre militem.*

CAP. XIV. Fabium Fabullum ] Bene Mſſ. Ryckius & Recentiores. In veteribus editionibus, *Fabulum.* Ad virum ejuſdem nominis eleganter ſcripſit Catullus, carm. XIII.

*Cenabis bene, mi Fabulle, apud me*
*Paucis* &c.

Unietvicesimæ ] Rectè Mſſ. Flor. Reg. Agr. Guelf. editio princeps & recentiores. Puteolanus aliique, ſolemni errore, *undeviceſimæ.* Berneggerus & J. F. Gronovius, *unaetviceſimæ.*

CAP. XV. Et ex Britannia ] Ita Mſſ. Bodl. Jeſ. Corb. Agr. Puteolanus & Beroaldus. In editione principe, *e Britanniâ.* In recentioribus, *& Britanniâ.*

Belli luem ] Optimè Mſſ. Harl. Bodl. Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Reg. Jeſ. & editione principe, *lucem.*

A Bebriaco ] Mſ. Reg. *e Bebriaco.*

CAP. XVI. Diductis ] Mſ. Corb. *deductis.*

Vacuum medio ] Bene Mſſ. editio princeps, Ryckius & Recentiores. Puteolanus, *vacuo medio.*

Occurrerent ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus. In Mſſ. Flor. Reg. Agr. Corb. & editione principe, *occurreret.* Malè Acidalius, *accurrerent.*

Suometipsi metu ] Mſ. Corb. *ſuo & ipſi metu.* Mſſ. Harl. Jeſ. *ſuometipſi impetu.* At in utriuſque margine notatum : *alius* habet *metu.*

CAP. XVII. Occursare ... retinere ] Ita Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Reg. Corb. Agr. & editione principe, *occurſat .... retinet.*

Transverberaret ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Reg. Corb. Agr. editiones veteres & recentiores. Malè Mſ. Guelf. *tranſverberaſſet.* Lipſius, *tranſverberarit.*

Atque illi consternantur ] Ita Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. Flor. Reg. Harl. Jeſ. Guelf. & editionibus veteribus, *atque illic conſternantur.* Mſ. Bodl. & Puteolanus, *conſternuntur.*

Et exciti ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps ac recentiores. *Et* abeſt a Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Omiſit quoque Puteolanus.

CAP. XVIII. Forte victi ] Sic vulgò Mſſ. & libri omnes editi. Sed nondum victi erant Vitelliani, nutabant tantùm. Inde Freinſhemius tentabat, *fortè acti*, id eſt temere ac ſine conſilio. At meliùs

Mſ. Agr. *pugnando feſſum fortè victuri : haud perinde rebus proſperis* &c. Idque narrationi optimè convenit. Favent quoque Mſ. Reg. & editio princeps, in quibus eâdem ac Mſ. Agr. diſtinctione ſcriptum, *pugnando feſſum fortè victi. Haud perinde.* Scripturam Codicis Agr. Acidalio, Rodolpho Agricolæ, Ryckio aliiſque jam probatam ſecutus eſt Cl. Gordon. *Nor take the opportunity of falling upon forces ſpent with fighting and long purſuit; an opportunity which probably might have rendered them victorious. In truth, during proſperity they perceived not ſo ſenſibly the uſe of a General as in adverſity that they wanted him.*

Militiæ gloria ... æquabat ] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus aliique multi. Corruptè Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. & editio princeps, *militiæ legionarii ... æquabant.* Alterâ manu poſt *militiæ* additum in Mſ. Agr. *gloria.* Perperam emendavit Pichena, *militibus legionariis ... æquabat.* Hunc tamen ſecutus eſt Cl. Davanzati. Cll. Erneſtus & Lallemand edidere, *militiæ legionariis ... æquabant*, ita ut *militiæ* ſint in plurali, quod nec probabile, nec Mſſ. auctoritate nixum. *Militiæ gloriâ*, rectè vertit Cl. Gordon, *in feats of war.*

Raptim ductos ] Ita libri omnes, & bene. Nec tentandum, ut placuit Lipſio, *raptim delectos.* Optimi militis eſt, quamquam raptim ducti, vincere.

Rupere ] Mſ. Corb. *erupere* Mſ. Agr. *irrupere.*

Tanto minorem ] Sic editiones omnes veteres. Lipſius & Recentiores omiſere *tantò.* Additum eſt in margine Mſ. Harl.

CAP. XIX. Prœlii fortuna ] Sic Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *belli fortuna.* Additum in margine Mſ. Bodl. *prelii.*

Illa sibi ] *Illa* abeſt a Mſ. Corb. & editione principe.

Plano sitam ] Sic Mſſ. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *in plano.*

Et majorem ] Fruſtra emendat Rhenanus, *ſed majorem.*

Clementiam et gloriam, inania ] Bene libri omnes ſcripti & editi : nec tentandum cum Urſino & Mureto, *clementiæ gloriam inanem.*

Rupturi imperium ] Bene Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Agr. editio princeps & recentiores. Sic dictum ſuprà Annal. XIII, 36. *ſed rupto imperio.* Puteolanus, *rapturi.*

CAP. XX. Pugnandi cupidinem ] Sic Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus. Ad aures accommodatè. Alii, *cupidinem pugnandi.*

Noctem, et ignotæ situm urbis ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. Malè Mſſ. Flor. Corb. Agr. & editio princeps, *nocte* : quod tamen defendit Ryckius. Hic, ut in

multis, Tacitus imitatur Livium V, 39. *Noctemque veriti, & ignotæ ſitum urbis.*

Nisi explorato, nisi die ] Ita vulgò Mſſ. Puteolanus & Recentiores. In editione principe, *niſi exploratò, non die.* Inde emendatum in Mſ. Agr. *non die, niſi exploratò;* quod immeritò probavit Ryckius.

Vineis adgredienda ] Optimè Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. Fœdum gloſſema irrepſit in Mſſ. Flor. Reg. Corb. & editionem principem, *vineis machinamenti genus ad expugnandum muros in modum turrium factum his aggredienda urbs foret.*

Cetera expugnandis urbibus ] Mſ. Agr. *oppugnandis.* Secundâ manu in Mſ. Harl. fruſtra additum, *neceſſaria.*

Tormentis machinisque ] *Machiniſque* abeſt a Mſ. Bud. & fortè librariorum eſt additamentum. *Que* enim abeſt a Mſ. Jeſ. & alterâ tantùm manu additum in Mſ. Harl.

Ceteraque usui allaturos ] Ita Mſſ. Corb. Reg. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Guelf. & Puteolanus, *ceteraque, quæ uſui forent allaturos.* Ita quoquè Mſ. Jeſ. ſed omiſit *que.*

CAP. XXI. Cum progressi ] Malè editio princeps, *tum progreſſi.*

Ex Cremonensibus ] Mſ. Reg. & editio princeps, *e Cremonenſibus.*

Tertiamdecimam legionem ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. Guelf. Agr. editiones veteres & Cl. Erneſtus. Malè Rhenanus aliique multi omiſere, *decimam.* In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *ternam decimam.* Hìc agitur de Pannonicis legionibus, quæ erant ſeptima Galbiana & tertiadecima, ut videre eſt in Notis & Emendationibus ad Hiſt. II, 6.

Mox tertia ] Malè Mſſ. & libri omnes editi, *mox tertiadecima.* Hìc enim memorantur Mœſicæ legiones, ſcilicet ſeptima Claudiana, octava, & tertia, quæ e Syriâ in Mœſiam venerat. Idque ſuadet tum ordo, qui hoc in loco exponitur, tum quæ mox narrantur cap. 23 & 24. ac demum legionum ſeries, quam propoſui in Notis & Emendationibus ad Hiſt. II, 6.

CAP. XXII. Inops consilii ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *vacuus conſilii.*

Paratis jam dispositisque ] Sic Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. editiones veteres, Pichena & Recentiores. In intermediis editionibus, *paratis jamque diſpoſitis.*

Dextro suorum cornu ] Ita libri omnes ſcripti & editi. *Dextrum* mallet Faernus; & certè cum ſequentibus optimè conveniret.

Alii intelligunt *ſteteſſe*. *Suorum* ſuſpectum habet Erneſtus, & in eo verbum latitare exiſtimat.

DUOETVICESIMANOS ] Mſſ. Reg. Agr. & editio princeps, *duoviceſimanos*. Malè Mſſ. plurimi & Puteolanus, *duodeviceſimanos*. Rectè Rhenanus & Recentiores, *duoetviceſimanos*; ut jam ſæpe monuimus.

EQUES AUXILIAQUE ] Bene Mſſ. editiones veteres & recentiores. Intermediæ, *equites*.

HIS, RURSUM ILLIS ] Sic Mſ. Corb. & editio princeps. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *rurſuſque illis*. Recentiores, *rurſus illis*.

EADEM UTRAQUE ACIE ] Bene Mſſ. Flor. Agr. Reg. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Bud. Guelf. *eademque acie*. Inde Puteolanus aliique, *eademque utraque acie*.

CAP. XXIII. LABANTEM ACIEM ] Bene Mſſ. Reg. Corb. Agr. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *labentem*.

QUINTÆDECIMÆ LEGIONIS ] Bene Lipſius, Pichena & Recentiores. In Mſſ. & veteribus editionibus, *quartædecimæ legionis*. Mendoſè quidem, cùm quartadecima legio tunc eſſet in Britanniâ, in quam fuerat tranſvecta, ut vidimus ſuprà Hiſt. II, 66 & 86. Fortè quibuſdam videbitur potiùs emendandum, *ſextædecimæ*, quòd facilis ſit error in numeris XIV & XVI. At præterquam quòd veteres ſcriberent XIIII, non verò XIV, baliſta illa ſanè occupavit aggerem viæ, ac proinde mediam aciem, in quâ ſtabant quintadecimani. Contrà ſextadecimani erant in lævo cornu.

TORMENTORUM ] Lipſius emendatum vellet, *tormento tum*; aut ſuperiùs corrigebat, *baliſtæ ... proruebant*. At nihil mutandum, cùm, præter baliſtam, plura fuerint tormenta, quorum vincla abſcindi potuerunt.

INCLINAVERAT ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps, Rhenanus & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *inclinata*. Margini Mſ. Bodl. additum, *inclinaverat*.

FALSO, UT IN CORPORA, ICTU ] Bene Mſſ. Puteolanus & Recentiores, *falſo*. Malè editio princeps, *falſæ*. Rectè autem Mſ. Corb. editio princeps & recentiores, *corpora*. In Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf. & intermediis editionibus, *corpore*. Secundâ manu emendatum in Mſ. Harl. *corpora*. Pro *ictu* mallet Acidalius, *jactu*. At *ictu* dixit quoque Lucanus, III, 469. laudatus ſuprà in Notis.

INCAUTI OFFEREBANTUR ] Editio princeps perperam omiſit, *incauti*.

CAP. XXIV. CUR RARI SUMPSISSENT ARMA ] In Mſ. Corb. *cur nam ſumpſiſſent arma*. Ceteri Mſſ. & libri omnes editi, *cur rari*, &c. Optimè Lipſius tentabat, *cur reſumpſiſſent arma*. Id ſenſus, id hiſtoria

clamat. Tentat quoque Ferretus, *cur rurſus ſumpſiſſent*, &c. Nec malè. At ſæpe Tacitus uſurpat, *arma*, *militiam reſumere*. Bene Davanzati, *perche aveſſero ripreſo l'armi*? Sic optimi quique interpretes.

Tolerent] Meliùs, *tolerarent*: ut jam monuit Cl. Erneſtus. Priùs præceſſit, *poſſent*.

Mox infensus] J. F. Gronovius mallet, *infenſiùs*. Iis enim non fuit infenſus, ſed eos infenſiùs acriuſque allocutus eſt. Fortè tamen *infenſus*, idem eſt, ac iratus.

CAP. XXV. Vagus inde, an consilio] Bene Mſſ. Flor. Corb. editio princeps, Pichena & Recentiores. In Mſ. Reg. *vagus inde a conſilio*. Mſ. Harl. & Puteolanus, *vagus inde conſilio*. Sed in Mſ. Harl. altera manu additum, *an*.

Exercitus] Mſ. Corb. *exercitum*.

Diduceretve] Ita Lipſius & Recentiores ob ἀντίθεσιν. In Mſſ. & veteribus editionibus, *duceretve*.

Postquam perculsos] Bene Acidalius & Cl. Erneſtus. Malè Mſſ. & veteres editiones, *pulſos*. Nondum pulſi erant, ſed perculſi tantùm. Quæ duæ voces a librariis facile commutantur.

Obturbabat] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *obturbat*.

Impubem filium] Sic Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. Guelf. Gronovius & Recentiores. In Mſ. Reg. & editionibus veteribus, *impuberem*.

Precabatur placatos] Sic Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Bud. Guelf. Puteolanus, Erneſtus & Cl. Lallemand. In Mſ. Flor. *platos*, ſuprà additis duabus literis *ca*. Editio princeps, Lipſius aliique multi, *precabatur piatos*. In Mſſ. Corb. Agr. & in altero Mſ. Flor. *precabatur ne piatos*. Unde fortè ſcriptum fuit olim, *voce flebili deos precabatur ne piatos patris manes, neve ſe ut parricidam averſarentur*.

Aversarentur] Bene Mſ. Flor. Pichena & Recentiores. In aliis Mſſ. & editionibus veteribus, *adverſarentur*.

Trucidatos spoliant] Ita vulgò Mſſ. & libri omnes editi. In Mſ. Flor. *trucidati*. Inde fruſtra tentat Gronovius, *trucidant*. Probat tamen Cl. Erneſtus.

CAP. XXVI. Fesso ... exercitu] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Jeſ. *feſſo ... exercitum*. Mſſ. Flor. Reg. editio princeps, *feſſos ... exercitum*. Mſ. Agr. *feſſos ... exercitus*. Mſ. Corb. *feſſum ... exercitum*.

Quæ super cuncta ... ipsorum miles] Mſ. Ag. *ſuper quæ cuncta terrebat ipſe miles*.

Ingrata, quæ tuta] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. Malè Mſ. Corb. & editio princeps, *ingrata tutaque*.

Ex temeritate spes ] Optimè Mſ. Flor. editio princeps & recentiores. Sic quoque emendatum alterâ manu in Mſſ. Harl. Bodl. Antea, ut & Mſ. Jeſ. ac Puteolanus, habebant, *& temeritate.* Inde in intermediis editionibus, *& ex temeritate.*

Omnisque cædes ] Mallet eruditus Petavius, *animuſque cædes.* Si quid mutandum foret, corrigendum, *animuſque & cædes.* At nihil peccat vulgata ſcriptura.

CAP. XXVII. Strage. Incesserat ] Ita Mſ. Flor. editio princeps, Pichena & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *proſternerent. Multâ cum ſtrage inceſſerat cunctatio*, &c.

CAP. XXVIII. Ut Messala tradit] Mſ. Agr. *ut Meſſalæ traditum.*

Prensarent ] Ita Mſſ. Corb. Guelf. editio princeps, ut ſæpe aliàs. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *prehenſarent.*

Semineces ] In Mſſ. Reg. Agr. & editione principe, *ſemianimes.*

CAP. XXIX. Tertiæ septimæque ] Bene Mſſ. Corb. Agr. In libris editis, *ſeptimæ tertiæque.*

Superjecta tela ] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Flor. *ſuperjacta.* In Mſſ. Reg. Corb. Agr. & editione principe, *ſuperjactata tela.* Dixit quidem Valerius Maximus IX, 2. num. 4. Munatius Flaccus *maternis gremiis ſuperpoſitos liberos trucidavit, infanteſque alios in conſpectu parentum humo infligi, alios ſuperjactatos pilis excipi.* Nihil tamen mutandum. Hæc enim differunt.

Disjecit obruitque ] Sic Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Corb. & editione principe, *disjecta breviterque.* Mſ. Reg. *disjecto.* Cl. Erneſto diſplicet, *obruit:* mallet, *obtrivit.* Haud tamen vitioſum crediderim, *obruit.* Nempe propulſa baliſta *disjecit* teſtitudinem, & eos omnes, in quos inciderat, *obruit.*

Quos inciderat ] Mallet Cl. Erneſtus, *quîs* vel *in quos inciderat.* Præpoſitio intelligi poteſt. Veriùs tamen putaverim olim ſcriptum fuiſſe, *quîs.*

Securibus gladiisque ] Emendabat Heinſius, *ſecuribus dolabriſque.* Quod quidem probabiliſſimum foret, ſi de portâ urbis ageretur. At cùm hìc memoretur valli porta, haud ita valida, in tanto tertianorum impetu ſecuribus gladiiſque potuit perfringi.

Qui restiterant ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Corb. editiones veteres & recentiores. Mſſ. Jeſ. Guelf. & Rhenanus, *qui reſiſterent.* Corruptè Mſ. Flor. *reſiſterant.*

CAP. XXX. At rursus ] Bene Mſ. Corb. Sic quoque ediderat Cl. Erneſtus. Vulgò in Mſſ. & veteribus editionibus, *ac rursùs.*

Illi trabibus ] Mallet Cl. Erneſtus, *hinc* vel *illinc.* At retinen-

dum, *illi.* Pro *trabibus* vellet quoque Heinſius, *lateribus*; Erneſtus, *lapidibus.* Minimè diſplicet, *trabibus.* In hoc militum furore, non tegulis tantùm, ſed & trabibus deturbabantur propugnatores; tectaque erant muris propinqua.

CAP. XXXI. GLOMERABANTUR ] Bene Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Guelf. Pichena & Recentiores. In Mſ. Reg. & veteribus editionibus, *glomerantur.*

SAXA TELAQUE ] Ita Mſſ. Harl. Jeſ. Corb. & editio princeps. Non ita bene Puteolanus, *tela ſaxaque.*

CUM LANGUESCERE ] Sic Mſ. Flor. Pichena & Recentiores. In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *cùm langueſcerent.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *cùm languere.*

UT QUISQUE ] Bene Mſſ. Flor. Corb. Jeſ. Agr. editio princeps & recentiores. Mſſ. Bodl. Harl. ac Puteolanus, *& ut quiſque.* In Mſ. Corb. *quis* pro *quiſque.*

REVERTERETUR ] Mſ. Agr. *revertebatur.* Urſino ac Mureto placebat, *verteretur.*

TOT FORTISSIMI ] Bene Mſſ. Reg. Corb. Harl. editiones veteres & recentiores. Mſſ. Jeſ. Guelf. Bud. & Rhenanus, *ac fortiſſimi.* Mſ. Bodl. *at.*

CIRCUMSTITERANT ] In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *circumſteterant.* Sic quoque emendatum ſecundâ manu in Mſ. Harl.

OMNI FEROCIA ] Bene Mſſ. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *omni fiduciâ.* Additum margini Mſ. Bodl. *ferociâ.*

SUBIT RECORDATIO ] Bene Mſ. Corb. & libri editi. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Bud. Guelf. *fuit ratio.* Unde fruſtra tentabat Rhenanus, *fuit miſeratio.* Alterâ manu emendatum in Mſ. Harl. *recordatio.*

INCESSIT ] Perperam in Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf. *inceſſiſſet.* Secundâ manu emendatum in Mſ. Jeſ. *inceſſit.*

OBJECTABANT ] Mſ. Guelf. *objectant.*

CAP. XXXII. A CÆCINA . . . EADEMQUE ] Præpoſitionem *a*, copulam *que* perperam omiſit Rhenanus, adverſantibus libris ſcriptis & editis.

MAJORE OPUM SPECIE ] Bene Mſ. Bodl. & Puteolanus. Sic quoque volebat Muretus. In Mſſ. Corb. Harl. & editione principe, *majorem opum ſpeciem.* Rhenanus ſine ullâ veterum librorum auctoritate emendaverat, *majorum.*

BALINEAS ] Pichena e Mſ. Flor. In Mſſ. Reg. Corb. Bud. & editione principe, *balnea.* Puteolanus, *balneas.*

ABLUENDO CRUORI ] Ita libri omnes ſcripti & editi, præter Rhenanum, qui emendavit, *cruore*, non neceſſariò.

INCALESCERENT ] Non ita bene Mſſ. Harl. Jeſ. *inardeſcerent.*

IN EUM VERTIT ] Mſ. Corb. *in eum convertit.*

CAP. XXXIII. AC SÆVITIAM ] Mſ. Corb. *atque ſævitiam.*

VILES AD PRÆDAM ] Malè tentabat Turnebus, *miles ad prædam.*

AUT QUIS FORMA ] Fruſtra conjicit J. F. Gronovius, *aut puer formâ.*

TRUNCABANTUR ] Mallet Erneſtus, *obtruncabantur*, vel *trucidabantur.* Sed proba quoque vulgata ſcriptura.

DOMINORUM ] Urſino ac Mureto placet, *domorum.* Eleganter quidem. Dici tamen poteſt, *dominorum.* Sic ſuprà Hiſt. II, 13. feminam, Ligurem, vidimus per cruciatus interrogatam, ubi filium occuleret.

EXERCITU VARIO ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. editio princeps Rhenanus & Recentiores. Intellige præpoſitionem *in*, quàm ſæpe omittit Tacitus. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *exercitui vario.*

INTERESSENT ] Mallet Erneſtus, *ineſſent.*

IN IGNE CONSIDERENT ] Ita libri omnes ſcripti & editi. Mallet tamen Heinſius, *in ignem*, vel *in ignes*: ſic quidem poetæ, ac maximè Virgilius, quem ſæpe imitatur Tacitus, Æneid. II, 624.

*Tum verò omne mihi viſum conſidere in ignes*
*Ilium.*

CAP. XXXIV. HIC EXITUS CREMONÆ ] Ita Mſ. Corb. editio princeps & recentiores. Sic quoque Mſ. Agr. ſecundâ manu. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *hic exitus Cremonam habuit.* In Mſſ. Flor. Bud. omiſſum, *habuit.*

A PRIMORDIO SUI ] Mſ. Corb. *ſuo.*

TI. SEMPRONIO ET CORNELIO ] Malè Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *T. Sempronio.* Tiberius appellabatur, non Titus, ut ex Livio & Faſtis conſtat. Rhenanus edidit *P. Cornelio*, adverſantibus Mſſ. & veteribus editionibus, in quibus omiſſum prænomen. Sic ſuprà Annal. XIV, 1. ſiletur prænomen Fonteii.

PER ALPES RUERET ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps, Rhenanus & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *irrueret.* Fruſtra tentabat Lipſius, *ingrueret.*

ANNEXU ] Mſ. Agr. *connexu.*

CONUBIIS ] Mſ. Corb. *connubio.*

PUDORE FLAGITII ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Corb. Harl. Jeſ. editio princeps & recentiores. Mſ. Bodl. & Puteolanus, *poſt rem flagitii.*

CREMONENSES CAPTIVOS ] Mſ. Agr. *Cremonenſem agrum.*

MILITIBUS EFFECERAT ] In Mſ. Corb. *inritamque prædam militibus fecerat, conſenſu Italiæ emptionem talium mancipiorum aſpernante.* Corruptè editio princeps, *conſenſu . . . aſpernantes.*

OCCIDI COEPERE ] Bene Mſſ. Flor. Corb. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *cædi cœpere.*

Redemptabantur ] Ita Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Agr. Guelf. Pichena & Recentiores. In Mſ. Reg. & editionibus veteribus, *redimebantur*. Mendosè Mſ. Corb. *redeprecabantur*.

Munificentia municipum ] Sic Mſ. Reg. editio princeps & Cl. Lallemand. Ita quoque Mſ. Agr. ſecundâ manu. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *magnificentiâ*.

CAP. XXXV. Noxia tabo ] Mſ. Agr. *tabe*.

CAP. XXXVI. Ad bellum impulisset ] Mallet Cl. Erneſtus, *expuliſſet*. At probum, *impuliſſet*.

In ore vulgi ] Bene Mſſ. Flor. Agr. Lipſius & Recentiores. In Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. & editionibus veteribus, *more vulgi*.

Perculit ] Mſ. Reg. *percutit*. Tentabat Cl. Erneſtus, *percuſſit*; quòd, inquit, nuntii non percellunt, ſed percutiunt. At id nimis delicatum cenſuerim.

CAP. XXXVII. Is enim, in locum Cæcinæ, supererat ] Mſ. Bodl. *Is enim Cæcinæ ſupererat*. Additum in margine, *in locum*. Hæc autem loco ſuo mota exiſtimat Cl. Erneſtus; ſicque refingenda putat: *in locum Cæcinæ* (*is enim ſupererat*), vel (*is enim ſupererat in locum Cæcinæ*).

Cum inrisu ] Mſ. Corb. *cum riſu*.

Tribuentis accipientisque ] Ita Mſſ. Reg. Corb. veteres & recentiores editiones. In Mſ. Flor. *tradentiſque accipientiſque*. Rhenanus, inverſo ordine, *accipientis tribuentiſque*.

Eblandiretur ] Sic Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. & veteribus editionibus, *blandiretur*. At prima hujus verbi litera facilè excidit, cùm ſuperior vox in eamdem deſineret.

Rosius Regulus ] Ita Mſſ. Flor. Corb. Bud. Guelf. editiones veteres & recentiores. Beroaldus, *Roſſius*. Mſſ. Reg. Harl. Jeſ. Agr. & Ryckius, *Roſcius*.

Numquam antea ] Vertranius aliique emendant, *nonnumquam*. At nihil mutandum. Roſius Regulus conſul fuit ſuffectus, vivente adhuc Cæcinâ, neque abrogato magiſtratu, neque lege latâ, quod numquam antea viſum. Conſul quidem antè fuerat Caninius Rebilus uno die, ſed defuncto conſule.

CAP. XXXVIII. Asperatum ] Malè Puteolanus, *aſpernatum*.

Ille infensus ] Malè Puteolanus, *illic infenſus*.

Pro liberis ] Cl. Erneſtus, *pro libertis*. Sanè operarum errore. Adverſantur enim libri omnes.

Terrarum ac maris ] *Ac maris* omiſſum in Mſ. Corb.

Fato accidat ] Mſ. Corb. *fato decidat*.

CAP.

CAP. XXXIX. Maturam perniciem] Bene Mſſ. Flor. Corb. Agr. editio princeps, Rhenanus & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *maturam pœnitentiam.*

Palam jussa] Malè editio princeps, *palam viſa.* Mſ. Agr. *palam juſſa autem atrocem*, &c.

Nobili gaudio] Mallet Lipſius, *notabili.* Melius, ut opinor, *ignobili gaudio.*

Qua se] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *qua ( ipſa enim verba referam ) ſe paviſſe.*

Sanctus] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. In editione principe, *factus.* Inde conjiciebat Cl. Erneſtus, *factis inturbidus.*

Parum effugerat] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. Quod meritò probatum Jac. Gronovio & Recentioribus. Editio princeps & Rhenanus, *ut parum effugeret.* Mſ. Agr. *effugerit.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ut parum abfuerit.*

CAP. XL. Adsequi legiones] *Legiones* abeſt a Mſ. Corb.

Accitis ex Urbe] Mſ. Corb. *accitis ab Urbe.*

CAP. XLI. Ne in tanto quidem] Malè Rhenanus e Mſ. Bud. *ne in tanto diſcrimine quidem.*

Tam parva manu] Mallet Cl. Erneſtus, *tam parva manus.*

Morabatur] Malè Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps, *hortabatur.*

Avidos periculorum] Fruſtra tentat Faernus, *pavidos periculorum.* In civilibus bellis periculorum mutationumque avidi milites.

Dedecoris securos] Bene Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. Guelf. editio princeps, Pichena & Recentiores. Rhenanus, *decoris.*

Et paucis] Ita Mſſ. & veteres recentioreſque editiones. Copulam *&* omiſit Rhenanus.

Inde Etruriam] Rhenanus, *inde in Etruriam*; refragantibus libris ſcriptis & editis.

Gallias et exercitus et Germaniæ gentes] Ita Mſſ. Vatic. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Agr. Puteolanus & Recentiores. A Mſ. Reg. & editione principe abeſt, *Gallias.* Rhenanus omiſit, *& exercitus.* Pars quidem magna exercituum Germanicorum tum erat in Italiâ, manebat tamen pars in ſuperiore inferioreque Germaniâ, quam Valens ciere poterat. Hæ legiones memorantur infrà cap. 46.

CAP. XLII. Apennini jugis] Mſſ. Corb. Reg. & editio princeps, *Apenninis jugis.*

Segnitia maris] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. editio princeps, Pichena & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ſævitiâ*

*maris. Segnitiâ* autem *maris*, id eſt, tranquillo mari; ſeu, ut explicat Pichena: Valens, cujus naves non remis, ſed velis utebantur, aut nullo vento, aut adverſo uſus eſt. Vertit Cl. Davanzati: *Fabio Valente dalla ſpiaggia Piſana da fortuna di mare, o contrario vento, fu gittato a Monaco.*

NONDUM EXUERAT] Sic Mſ. Flor. editio princeps, Pichena & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *non exuerat.*

METU INFRACTA] Bene Mſ. Bodl. Pichena & Recentiores. Corruptè Mſ. Flor. *inracta.* In Mſſ. Reg. Harl. Jeſ. & editionibus veteribus, *intacta.* Fruſtra volebat Lipſius, *intentata.*

NAMQUE] Sic Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. editio princeps, Ryckius & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & a Puteolano omiſſa copula *que.*

CAP. XLIII. CLAUSTRA MARIS] Ita Mſſ. Flor. Reg. Bud. Agr. editio princeps, Ryckius & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *clauſtraque maris.* Mox Mſ. Jeſ. & Beroaldus, *tuebantur.*

PARATU FIRMA] Mſ. Bud. & editio princeps, *parata.* Inde tentabat Rhenanus, *pacta firma*, repugnantibus libris ſcriptis & editis.

TOTIDEM CENTURIONIBUS] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. Bud. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *totidemque centurionibus.*

MATURO] Optimè Lipſius & Recentiores. Perperam Mſſ. & veteres editiones, *regreditur maturè.*

VOLENTIBUS FUIT] Bene Mſ. Corb. Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. Reg. Agr. & editione principe, *volentibus auctor fuit.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *volentibus liberum fuit.* Ἑλληνικῶς dictum, *volentibus fuit.* Sic Thucydides, II, 3. Τῷ γὰρ πλήθει τῶν Πλαταιέων ὀ βουλομένῳ ἦν τῶν Ἀθηναίων ἀφίσαϛαι. Id eſt, *populo Platæarum non volenti erat ab Athenienſibus deficere.*

ADFERTUR] Ita libri omnes ſcripti & editi. Mallet Cl. Erneſtus, *defertur.* Fortè ſcriptum olim, *fertur.*

CAP. XLIV. INCLITUS] Malè Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps, *inditus.*

CETERARUM] Bene libri omnes. Malè Faernus, e neſcio quo Codice, ſupplebat, *ceterarum cohortium.* Hìc agitur de legionibus, non de cohortibus.

CAP. XLV. AUCTORE VENUSIO] Mſ. Corb. *actore.*

AUXERAT POTENTIAM] Mallet Lipſius, *potentiâ.* At utrumque latinè dicitur.

VELLOCATUM] Mſ. Jeſ. *Velocatum.* Perperam Mſ. Reg. & editio princeps, *& locatum.*

CAP. XLVI. Perfidia ] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, & *perfidia*. Copulam & omittunt Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. editio princeps, Ryckius & Recentiores.

Proconsule ] Ita quidem Mſſ. Flor. Reg. Agr. editio princeps, Ryckius & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *proconſul*. Idem omnino eſt ſive *proconſule*, ſive *proconſul* ſcripſeris. Illud tantùm paulo antiquius.

CAP. XLVII. Haud temnendæ ] Malè Mſſ. Reg. Jeſ. & editio princeps, *haud tenendæ*. Mox perperam Puteolanus, *auctor* pro *ductor*.

Vetustam Asiæ civitatem ] Ita Pichena & Recentiores. Sic quoque vertit Cl. Gordon. Corruptè Mſ. Flor. *vetuſta mama civitatem*. Mſ. Reg. & editio princeps, *vetuſta manus civitatem*. Mſ. Corb. *manu*. Mſ. Bud. *vetuſtam manum*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *vetuſtam admodum civitatem*. At cùm *admodum* minimè ſit Cornelianum, potior videtur Pichenæ emendatio. Lipſius e Mſ. Flor. tentabat, *vetuſtâ famâ civitatem*. Librarius in Mſ. Agr. vitatâ difficultate, *vetuſtam civitatem*.

Classi quoque ] Sic Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. & veteribus editionibus, *claſſis quoque*. Quod immeritò probat Jac. Gronovius, quaſi hìc agatur de Aniceti claſſe.

Eludens ] Mſ. Reg. *illudens*.

Lectissimas liburnicarum ] Editio princeps, *lectiſſima*. Quod non ita diſplicet. Græcis enim ſæpe utitur Tacitus. Mſ. Reg. *lætiſſima*.

Contemptim vagabantur ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Flor. *contemti*, Jac. Gronovio fruſtra probatum. Librarius enim omiſit lineam in Mſſ. vocalibus ſuperaddi ſolitam, ut litera *m* ſuppleatur. Mſ. Corb. & editio princeps, *contenti*.

Camaras vocant ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Agr. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *quas cameras vocant*. *Quas* in Mſ. Corb. omiſſum.

Lata alvo ... connexa ] Bene Lipſius & Recentiores. In Mſ. Flor. *lata alvom*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. Guelf. Agr. & editiones veteres, *latam alvum ... connexam*. Cl. Erneſtus, aut omiſſum vellet, *connexâ*; aut emendatum, *connexis*.

CAP. XLVIII. Advertit ] Malè Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps, *avertit*.

Vespasiani animum ] Mallet Lipſius, *Veſpaſianum*.

Coegit ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *cogit*.

Fluminis Cohibi ] Malè Mſſ. Reg. Jeſ. *Cohibiti.* Nec ſatis accuratè in aliis Mſſ. & libris editis, *Cohibi.* Potiùs, *Cobi*, ut, ex ſcriptoribus Græcis ac Latinis, Colero ceteriſque viris eruditis jam obſervatum.

Sedochezorum regis ] Ita quidem Mſſ. Harl. Bodl. Puteolanus ac deinde ceteri omnes. In Mſ. Reg. & editione principe, *Sedotezorum.* Mſ. Corb. *Sedethegorum.* Mſ. Guelf. *Sodechzerum.* Mſ. Jeſ. *Sodochezorum.* Hæc omnia corruptiſſima. Optimè conjecit Colerus, *ſub Sedochi, Lazorum regis, auxilio.* Lazos in hoc terrarum tractu memorat Plinius, VI, 4. *Flumen Abſarum*, nunc *Fortunaſoui*, *cum caſtello cognomine in faucibus*, *a Trapezunte*, nunc *Trebizonde*, *CXL. mill. paſſuum. Ejus loci a tergo Iberia eſt : in orâ verò Heniochi*, *Ampreutæ*, *Lazi.* Gubazes, Lazorum rex, apud Cobum, interfectus narratur ab Agathiâ libr. III. Quod erudito Ryckio jam obſervatum.

Aniceti exitium ] Malè Mſ. Agr. *excidium.* Mſſ. Bodl. Jeſ. Guelf. *auxilium.* In margine Mſſ. Bodl. & Jeſ. additum, *exitium.*

Urbem quoque ] Malè Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. & editio princeps, *urbemque.*

CAP. XLIX. Vim sibi ] Ita Mſſ. & veteres ac recentiores editiones. Lipſius emendavit, *viam.* Placet quoque Cl. Erneſto, qui ſi *vim* retineatur, corrigit *vim ſibi ac potentiam ſtruere.* Nihil mutandum meritò cenſent Gronovius & Ryckius. Quid ni dicatur, *vim ſibi ad potentiam ſtruere?* Jam vidimus ſuprà Annal. XIII, 19, *fama potentiæ non ſuâ vi nixæ.*

Quæ seditiosa ] Aliter diſtinguit Ryckius: *Quæ ſeditioſa, & corrumpendæ diſciplinæ. Mox in prædam*, &c. Potior eſt vulgata diſtinctio, libris omnibus ſcriptis & editis probata.

CAP. L. Propinqua hieme ] Mſſ. Corb. Agr. *propinquante hieme*; ut volebat Muretus.

Vis consiliorum ] Mſſ. Harl. Bodl. *jus conſiliorum.*

CAP. LI. Distulerant ] Ita quidem Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & libri omnes editi. In Mſ. Reg. *diſtulerunt*, ut volebat Acidalius.

Exsolverentur ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *exſolverent.*

Adversus Cinnam ] Sic Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. & editiones veteres. In recentioribus, *adversùm.*

Fratrem suum ] Cinna conſul anno Urbis conditæ DCLXVII, adjunctis ſibi Mario, Carbone & Sertorio, patriæ bellum indixit, Urbemque cepit. Inde ſanè atrox facinus hoc bello patratum, quo frater fratrem occidit, ad Sertorianum militem retulit Valerius Maximus, V, 5, num. 4. *Omnis memoriæ clariſſimis imperatoribus profectò non*

*erit ingratum , ſi militis erga fratrem ſuum pietas huic voluminis parti adhæſerit. Is namque in caſtris Cn. Pompeii ſtipendia peragens, cùm Sertorianum militem acriùs ſibi in acie inſtantem cominus interemiſſet , jacentemque ſpoliaret : ut fratrem germanum eſſe cognovit , multùm ac diu convitio deos ob donum impiæ victoriæ inſectatus, prope caſtra tranſtulit, & pretioſâ veſte opertum, rogo impoſuit. Ac deinde ſubjectâ face, protinus eodem gladio, quo illum interemerat, pectus ſuum tranſverberavit : ſeque ſuper corpus fratris proſtratum , communibus flammis cremandum tradidit. Licebat ignorantiæ beneficio innocenti vivere : ſed ut ſuâ potiùs pietate, quàm alienâ veniâ uteretur , comes fraternæ neci non defuit.*

TANTO ACRIOR] Malè Mſ. Jeſ. *tanto ardore.*

SICUT VIRTUTIBUS] Malè Mſſ. Bodl. Jeſ. *quam ſicut.* Mſ. Harl. & Puteolanus, *quod ſicut.*

FLAGITIIS PÆNITENTIA] Mſ. Bud. *flagitii.*

EX VETERI MEMORIA PETITA ] Mſſ. Bodl. Jeſ. *vetere.* Malè Rhenanus , *repetita.*

POSCET ] Sic Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Bud. Corb. Gronovius & Recentiores. In Mſ. Reg. & editionibus veteribus, *poſcent.*

CAP. LII. ANTONIO DUCIBUSQUE] Bene Mſ. Corb. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *Antonio ac ducibus.* Quod durius.

EX MUCIANO] Ita Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Corb. Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Reg. Agr. & editione principe, *de Muciano.*

VEL PROSPERA AGNOSCERET ] Malè Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps, *cognoſceret. Vel* abeſt a Mſ. Corb.

AB VESPASIANO] Mſ. Reg. & editio princeps, *a Veſpaſiano.*

SENATORIUM ORDINEM] Non ita bene Mſ. Reg. & editio princeps, *Senatorum.*

VOLENTIA RESCRIPSERE ] Sic Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Reg. & editione principe, *reſcribere.* Malè Rhenanus, *volenti ſcripſere.*

FACTAQUE EJUS ] Mſ. Bud. *aut facta ejus.*

CAP. LIII. ID PATI ] *Id* abeſt a Mſ. Corb.

EVILUISSENT PERICULA ] Bene Mſ. Flor. Ryckius & Recentiores. Sic quoque emendandum divinarat Freinſhemius. Mſſ. Harl. Jeſ. & Puteolanus, *coaluiſſent.* Mſſ. Reg. Agr. & editio princeps, *luiſſent.*

IMMODICUS LINGUA ] Ita libri ſcripti & editi, præter Lipſium, qui edidit, *linguæ.*

ET SUI OPERIS ] Fruſtra tentat Cl. Erneſtus, *id ſui operis.*

CASUM CREMONÆ ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *Cremonenſi.*

Sic quoque alterâ manu in Mſ. Harl. Mſ. Agr. *Cremonenſium.*

Adfuerint ] Mſ. Reg. *affuerunt.*

CAP. LIV. Vera narraturi ] Bene Beroaldus & Recentiores. Sic infrà cap. 56. *vera dicturis.* Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *verè narraturi.* Malè Mſ. Reg. & editio princeps, *verè narranti.* In Mſ. Corb. *vera narrare.*

Ut ad vires ] *Ut* perperam omiſit Rhenanus.

Quæ adferret ] Bene Mſſ. & veteres ac recentiores editiones. Rhenanus, *referret.* Mſ. Jeſ. *afferrent.*

Opus est ] Ita Mſſ. editio princeps & recentiores. Puteolanus omiſit, *eſt.*

CAP. LV. Secuta e classicis legio ] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Reg. & editione principe, *ſecutæ claſſicis legio.* Mſſ. Corb. & Agr. *ſecutæ claſſicæ legiones;* uti volebat Muretus. At immeritò. Vitellio non fuere multæ legiones, ut patet ex cap. 58, 64 & 67. Legio autem illa videtur conſcripta e claſſicis, qui erant Romæ in caſtris Ravennatium & Miſenatium.

Si dux alius ] Malè Rhenanus, *ſi alius dux.* Quod durum; nec favent libri ſcripti aut editi.

Nulla in posterum cura ] Malè Mſ. Reg. & editio princeps, *curare.*

Aderat ] Malè Mſ. Reg. & editio princeps, *aberat.* Mſ. Flor. *haberat.* Inde fruſtra tentabat J. F. Gronovius, *hiabat.*

Pecuniis mercabatur ] *Pecuniis* abeſt a Mſ. Agr.

Qui Mevaniam ] *Qui* perperam omiſit Rhenanus.

CAP. LVI. Fœdarum volucrum ] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *fœdarum avium.* In margine Mſ. Bodl. additum, *volucrum;* ut habent Mſ. Corb. & editio princeps ac recentiores.

Nube atra diem obtenderent ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus, & Recentiores. In Mſſ. Reg. Corb. Agr. & editione principe, *nube radium obtenderent.* Fruſtra emendabat Rhenanus, *obtunderent.* Neque enim aliter, ut conſtat ex optimis Mſſ. Seneca in Œdip. Act. III. vers. 625.

*Pædore fœdo ſqualidam obtentus comam.*

Longe, nec ubi ] Ita Lipſius & Recentiores, e Mſ. Vatic. in quo *longè necui.* In Mſſ. Flor. Agr. & editione principe, *ne cui.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *longè, quàm ubi.*

Hostes adgredi ] Mſ. Corb. *aggrediendi.*

Et usque ] *Et* abeſt a Mſ. Corb.

Arcuere eos ] Bene Lipſius & Recentiores. In Mſſ. & veteribus editionibus, *arguere eos.*

ACCIPERET ] Faerno Acidalioque placet, *acciperent*, ut ad aures referatur.

CAP. LVII. APINIUS TIRO ] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. Mſ. Corb. *Apinus*. Mſſ. Reg. Agr. & editio princeps, *Apinius*. At infrà cap. 76. idem Mſ. Agr. habet *Apinus*. Ibidem Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *Tyro*.

UT COLLATA ] Bene Mſſ. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *&*.

CAP. LVIII. ET QUINGENTIS ] Mſ. Corb. & editio princeps, *&* *equitibus quingentis*.

EXERCITUM ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *exercitus*.

DANTES NOMINA ] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *data nomina*. Mſ. Bud. *dat*. Inde fruſtra tentabat Rhenanus, *dant*. Meliùs *dantes*, ut habent Mſ. Corb. editio princeps, Beroaldus & Recentiores.

INDICIT ] Malè Puteolanus, *inducit*.

PECUNIASQUE ] Ita libri omnes, præter Cl. Lallemand, qui edidit, *pecuniamque*. At plurali ſæpiſſimè utitur Tacitus.

SIMULATIO OFFICII A METU PROFECTA ] Optimè Mſ. Bodl. & Cl. Erneſtus. Malè Mſſ. Harl. Jeſ. & Puteolanus, *officia metu profecta*. Mſ. Reg. & editio princeps, *profecto*.

ET PLERIQUE ] Mſ. Corb. *at*. Editio princeps, *ac*.

CONTEMPTIM ET SINE DISCRIMINE ] Optimè Pichena & Recentiores. In Mſſ. Flor. & Corb. *contempti mæſtive diſcrimine*. Mſſ. Reg. Agr. & editio princeps, *contenti*. Mſ. Bodl. & Puteolanus, *conterriti*. Mſſ. Harl. & Jeſ. *contriti*.

QUÆ NON DABANTUR, REMISIT ] Optimè Mſſ. & veteres recentioreſque editiones. Tantùm in Mſ. Bud. *omiſit*, quod perperam edidit Rhenanus. Tentabat præterea, *quæ nuntiabantur*.

CAP. LIX. POSSESSA MEVANIA ] Mallet Muretus, *obſeſſa*. Illam obſeſſam vidimus ſuprà cap. 55. Et ſanè citò fuit poſſeſſa. Suprà cap. 8. *poſſeſſa ipſo tranſitu Vicetia*.

ERECTUS SAMNIS ] Bene Mſ. Flor. editio princeps, Pichena & Recentiores. Mſſ. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ereptus Samnis*. Verùm hi populi Vitellio non ſunt erepti, ſed pavido ejus diſceſſu erecti animoſique Flavianas partes amplexi ſunt.

NIVES ELUCTANTIBUS ] Bene Rhenanus & Recentiores e Mſ. Bud. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *nive ſe luctantibus*. Inde Puteolanus, *nive ſe eluctantibus*.

MULTI TRADIDERE ] Mſ. Agr. *multi prodidere*.

A VITELLIO ADDITI ] Malè editio princeps, *abditi.*

CAP. LX. UT PRÆDÆ ] Mſ. Corb. *Ut prædæ potiùs.* In aliis *potiùs* rectè intelligitur.

PERICULORUM SOCIAS ] Malè Mſ. Corb. & editio princeps, *ſocios.*

VICTORIAM CONSILIIS ET RATIONE PERFICI ] Bene Lipſius & Recentiores. In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *profici.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *a conſiliis & ratione proficiſci.*

CAP. LXI. HIS AC TALIBUS ] Sic Mſſ. Harl. Bodl. & editiones veteres. In Mſſ. Jeſ. & Corb. *his atque talibus.* In recentioribus editionibus, *his & talibus.*

TRADERE ... CERTABANT ] Malè Mſ. Reg. & editio princeps, *tradidere.* Immeritò probat Gruterus, ut, *certabant*, quaſi inſititium repudiet.

AMISSI PRÆSIDII ] Malè Mſ. Jeſ. *amiſſi præmii.*

VERA FIDES ] Ita Mſ. Agr. Puteolanus, Ryckius & Recentiores. In Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Corb. & editione principe, *verba fides.* Inde emendavit Freinshemius, *verſa fides.* Mallet Erneſtus, *certa fides;* ut apud Horatium, III Od. XVI, 30.

*Et ſegetis certa fides meæ.*

INDURUERAT ] Mſ. Corb. *induraverat.*

EXSOLVERENT ] Mſ. Corb. *exſolvere.*

CAP. LXII. URBINI, IN CUSTODIA ] Mſ. Corb. & editio princeps, *in cuſtodiâ Urbini.*

QUANTUM ANIMO ] Corruptè Mſ. Reg. & editio princeps, *quantum animæ.* Supplebat Acidalius, *quantum animo auctus.*

IN LUDICRO JUVENALIUM ] Ita Lipſius & Recentiores. In Mſſ. & veteribus editionibus, *in ludicro juvenum.*

FONTEIUM CAPITONEM CORRUPTUM ] Ita vulgò Mſſ. & veteres recentioreſque editiones. Beroaldus, *Fonteium Capitonem in proditionem corruptum.* Ita quoque habet Mſ. Corb. ſed omittit, *Capitonem.*

CAP. LXIII. INTENTUS ARMATUSQUE ] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Reg. Corb. Agr. editio princeps, Beroaldus & Recentiores. Mſſ. Flor. Bud. & Puteolanus, *intentus ornatuſque.* Quod Pichenæ & Ryckio placuit. Plus auctoritatis habet *armatus*, nec minus veritatis & elegantiæ.

IN MEDIUM ] Malè Mſ. Reg. *ad medium.*

ELECTIONE LITORUM ] Bene Mſſ. Flor. Guelf. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Reg. & Puteolanus, *electione lictorum.*

CAP.

CAP. LXIV. Concederet ] Malè Mſ. Reg. & editio princeps, *recederet.*

Si se ducem ] Mſ. Corb. & editio princeps, *ſi ducem ſe.*

Easdem illas ] Mſ. Corb. *eas illas.*

CAP. LXV. Invalidus senecta ] Mſ. Agr. *invalidus ætate ſenſuque.* Mirâ librariorum incuriâ, verba illa, *invalidus ſenectâ*, in Mſſ. Flor. Reg. Agr. Guelf. & editione principe conjunguntur cum ſequentibus verbis capitis 67, *ſimul ferebatur lecticulâ.* Errorem deprehendit emendavitque Puteolanus.

Suspicionibus incesserent ] Ita Puteolanus & Recentiores. Sic quoque Mſ. Guelf. primâ manu. Alterâ emendatum, *incederent*; utì habent Mſ. Reg. & editio princeps. In Mſ. Agr. *incenderent.*

Fortunam fratris ] In Mſ. Bud. *fortunæ*; quod immeritò probat Rhenanus. Malè Mſſ. Guelf. Jeſ. *matris.*

Namque Flavius ] Mſ. Corb. *nam Flavius.*

Fidem præjuvisse ] Mſ. Agr. *præiviſſe.* Ceteri omnes libri ſcripti & editi, *præjuviſſe.* At cùm verbum *præjuvare* nuſquam in ſcriptoribus Latinis occurrat, Nicolaus Heinſius tentabat, *præs juviſſe*: quod Ryckio Grævioque placuit. Diſplicuit autem Cl. Erneſto. Nec ſanè *præs* fuiſſe videtur Sabinus; ſed ipſe affectam Veſpaſiani fidem præjuvit, domo agriſque pignori acceptis.

Offensarum operta ] Malè Mſſ. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *offenſarum opera.*

Per conditionem ] Mſ. Agr. *per conditiones.*

Duos testes ] Mſ. Jeſ. *duo teſtes.*

Sabinus non insultans ] Acidalius fruſtra tentat, *Sabini.*

CAP. LXVI. In libidine ] Malè Mſſ. Reg. Bodl. Corb. & editio princeps, *in libidinem.*

Ne victos quidem laturos ] Conjiciebat Vertranius, *ne victor quidem laturus*: Rhenanus, *ne victum quidem laturus.* At nihil peccat vulgata ſcriptura, quæ eadem eſt in omnibus libris ſcriptis & editis.

Promitti : sed ubi ] Malè Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps, *promittis : & ubi* &c. In Mſ. Bodl. *promitti : ſed imperium ubi Veſpaſianus* &c. Mox Mſ. Corb. *invaſerat.*

Æmulatu redituram ] Ita Lipſius & Recentiores. Favet Mſ. Flor. in quo, *æmulatore dituram.* Fortè tamen legendum, *æmulatore redituram*: ſic enim habent Mſſ. Harl. Jeſ. & Puteolanus. In Mſſ. Reg. Agr. & editione principe, *æmulatore daturum.* Mſſ. Corb. & Bud. *daturam.* Fruſtra tentat Rhenanus, *æmulo, redituram*: J. F. Gronovius, *æmulatore, futuram.*

Casibus dubiis reservatum ] Bene Puteolanus & Recentiores. Nec variant Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. In Mſſ. Flor. Reg. Corb. & edi-

tione principe, *captis diebus reſervatum.* In Mſ. Agr. *paucis diebus.*

Ac Fuscus ] Bene Mſ. Corb. editio princeps & recentiores. Malè Puteolanus, & *Fuſtus.*

Altiores spiritus ] In Mſ. Reg. & editione principe, *altiorem ſpiritum.*

Honores deceret ] Malè Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps, *degeret.* Mſ. Agr. *negligeret.* Perperam tentat Jac. Gronovius, *deleret.*

Moriendum victis, moriendum deditis ] *Moriendum victis*, abeſt a Mſ. Bodl. Contrà, *moriendum deditis*, omiſſum in Mſſ. Harl. Jeſ. Additum eſt margini Mſſ. Bud. & Guelf.

CAP. LXVII. Nihil principatu ] Mſ. Corb. atque editio princeps, & *nihil e principatu.*

Degreditur ] Bene Mſ. Corb. Rhenanus & Recentiores. Alii, *digreditur.*

Simul ferebatur ] Malè Mſſ. Reg. Harl. Guelf. & editio princeps, *ſeu ferebatur.*

Parvulus filius ] Mſ. Bud. *parvus.*

CAP. LXVIII. Quem non commoveret ] Mſ. Jeſ. *Commoverat.*

Exire de imperio ] Mſ. Corb. *exire imperio.*

Audierant ] Mſſ. Harl. Jeſ. *audiverant.*

Absconderant ] Mſ. Bodl. *abſconderat.* Mſ. Reg. *abſconderunt.*

Cecidere ] Mſ. Corb. *occidere.* Corruptè Mſ. Bud. *cecidebant.* Inde tentabat Rhenanus, *ceciderant.*

Reipublicæ causa ] *Causâ*, perperam abeſt a Mſ. Reg. & editione principe.

Aliud iter ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. Guelf. editio princeps, Pichena & Recentiores. Mſ. Bud. & Rhenanus, *alterum iter.*

Quod in sacram viam ] Mſ. Jeſ. *quo.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *in ſacrâ viâ.*

CAP. LXIX. Cessisset ] Bene libri omnes editi. In Mſſ. Reg. Corb. Agr. *cecidiſſet.* Corruptè Mſ. Flor. *cecíſſiſſet.* Inde fruſtra tentat Ryckius, *ſe dediſſet.*

Lacum Fundani ] Romæ fuere lacus mille trecenti quinquaginta duo, teſte P. Victore, *de Regionibus Urbis.* Quorum quidem plurimi ſine nomine, quidam inſigniti nomine, ut *lacus Veſpaſiani*, *lacus Torquati*, *lacus Mamertini*, aliique recenſiti a Sexto Rufo, *de Regionibus Urbis.* Reg. I. Lacum autem hunc Fundani memorat lapis Tiburtinus in monte Quirinali, eoque loco, ubi ædes fuit dei Fidii, ſeu dei Sangi, repertus, auctore Urſino. Lapidem exhibet Gruterus, *Inſcript. Antiq.* pag. CCCXCVIII. num. 5.

L. CORNELIO. L. F
SVLLAE. FELICI
DICTATORI
VICVS. LACI. FVND

*Laci* hìc dicitur, ut apud P. Victorem, *de Regionibus Urbis*, Reg. XII. *Vicus laci tecti*. & Reg. XIV, *Vicus laci reſtituti*. Lacus illos Gallicè dicimus *des fontaines*.

Modicum ibi prœlium ] Mſ. Corb. *modicumque prælium*.

Insedit milite ] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Bud. Guelf. Puteolanus, Erneſtus & Recentiores. In Mſſ. Flor. Reg. & editione principe, ac Beroaldus aliique multi, *inſedit mixto milite*. Sic quoque habet Mſ. Guelf. alterâ manu. *Mixto* a librariis additum videtur, quòd mox ſequatur, & *quibuſdam ſenatorum equitumque*. In Mſ. Bud. *ex quibuſdam*.

Verulana Gracilia ] Malè Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf. *vernula*. Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores, *Gracilia*. Mſſ. Flor. Agr. Guelf. Corb. & editio princeps, *Gratilia*. Inde tentat Cl. Erneſtus, *Gratilla*; & ita edidit Cl. Lallemand. At Pomponia Gratilla, de quâ Plinius, III, Ep. II. & V, Ep. I. eſt omnino diverſa.

In Capitolium accivit ] Ita libri omnes ſcripti & editi. Redundare tamen *in Capitolium* exiſtimat Lipſius. Intelligi quidem hæc poterant: non ideo tamen inſititia, ut rectè obſervat Erneſtus.

Misso per neglecta ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *at Sabinus miſſò*, &c. Hæc addita a librariis, qui partem hanc hiſtoriarum Taciti ſuſdeque verſam miſerè deturpaverant.

Ipsos, et, ni subveniretur ] Bene Pichena & Recentiores e Mſ. Flor. in quo tamen corruptè, *ipſo ſel ni ſubveniretur*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ipſos, ni ſubveniretur*. Peſſimè Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps, *ipſi ſeni*.

CAP. LXX. Cœptarent ] Mſ. Jeſ. *cœptaret*.

Judicatur ] Malè Mſ. Corb. *vindicatur*.

Culpam in militem conferens ] Ita libri omnes ſcripti & editi, præter Cl. Lallemand, qui omiſit *culpam*, ſanè operarum errore.

A militibus ] In Mſ. Reg. & editione principe perperam omiſſa præpoſitio, *a*, quam habent ceteri omnes libri.

CAP. LXXI. Dextræ subeuntibus ] Bene Mſſ. & editiones veteres ac recentiores. Gryphius, aliæque intermediæ editiones, *dextrâ*.

Vitellianos obruebant ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps, Pichena & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *Vitellianos deturbabant*.

Arcessere tormenta ] Bene libri omnes editi. In Mſ. Corb. *accerſere.*

Tarpeia rupes ] Mſ. Harl. *Tarpeii.* Mſſ. Bodl. Jeſ. Guelf. & editiones veteres ante Beroaldum, *Tarpei.*

Sisti poterant ] Malè Mſ. Guelf. *poterat.* Ni fortè emendandum, ut habet Mſ. Corb. *nec ſiſti poterat, ſcandentibus per conjuncta ædificia.* Quod elegantius foret.

Depellerent ] Bene Mſ. Bodl. Puteolanus & Recentiores. A Mſ. Reg. & editione principe abſunt hæc omnia, *an obſeſſi, quæ crebrior fama eſt, quo nitentes ac progreſſos depellerent.* A Mſ. Corb. abeſt tantùm, *eſt, quo.* In Mſſ. Harl. Jeſ. Bud. Guelf. *depulerint.* Additum in margine Mſ. Harl. *depellerent.* Mſ. Jeſ. *depelleret.*

Traxerunt flammam alueruntque ] Ita Mſſ. Flor. Corb. Pichena & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & veteribus editionibus, *traxere.* Mſ. Agr. *aluereque.*

CAP. LXXII. Dedita urbe ] Mſ. Corb. *traditâ.*

Temerare potuissent ] Malè Mſ. Bud. & Rhenanus, *tenere.* Ceteri libri ſcripti & editi, *temerare.*

Furore Principum exscindi ] Bene Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. Puteolanus & Recentiores. Sic quoque Mſ. Guelf. manu primâ. In editione principe, *furore Principum exſcindi potuit.* Secundâ manu in Mſ. Guelf. *furor . . . potuit.*

Arserat et ante ] *Et*, abeſt a Mſſ. Harl. & Jeſ.

Quo tantæ cladis pretio stetit? ] Ita Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. Agr. Guelf. editiones veteres, Ryckius & Recentiores. A Rhenano tamen omiſſum, *ſtetit*; idque probabat Freinshemius. Certè abeſſet ſine ullo ſenſûs diſpendio. Nonnihil tamen vis & eloquentiæ habet, *ſtetit.* Fruſtra emendabat J. F. Gronovius, *quid tantæ cladis pretio ſtetit?* Pichena, *quo tanta clades pretiò ſtetit?* Vertit Davanzati, *qual guerra cagionò, qual pregio di tanto male? Salvar la patria forſe!*

Ea magnificentia ] Quæ & quanta fuerit illa Capitolii magnificentia, quam immenſæ poſtea populi Romani res ornarent potiùs, quàm augerent, explicandum.

## *De Capitolio ejuſque magnificentiâ.*

Mons Tarpeius, dictus poſtea Capitolinus, aditu difficillimus, ac præruptus, faſtigiato adſurgebat vertice, cùm Tarquinius Priſcus, non præſentis temporis, ſed futuri imperii magnitudinem animo complexus, auguſtiſſimum Jovis templum in hoc vertice ædificare meditatus eſt. Jecit fundamenta, & immenſis ac laborioſiſſimis ſubſtructionibus, congeſtiſque aggeribus, planam effecit aream, ad excipiendas ſacras ædes aptiſſimam. Dionyſ. Halicarnaſſ. *Antiq. Rom.*

III, 49 & 69. Hæ ſunt ſubſtructiones, quas Plinius XXXVI, 15, *inſanas* appellat, ob incredibilem operum difficultatem, & immenſas lapidum moles.

Servius Tullius & Tarquinius Superbus, grande opus proſecuti, templum exſtruxere. Fundatum eſt in altâ crepidine, octo jugerum ambitu, ducentis ferme pedibus patens per latera ſingula, exiguâ latitudinis & longitudinis differentiâ: latitudo enim a longitudine non totis quindecim pedibus ſuperabatur. Ex eâ parte, quâ frons templi meridiem ſpectabat, triplici columnarum ordine cingebatur, a lateribus verò duplici. Intus tres erant cellæ, quæ æquali diſtantiâ communibus lateribus continebantur: media erat Jovis: a lateribus altera Junonis, altera Minervæ, & ſub uno eodemque tecto comprehendebantur. Hæc Dionyſius Halicarnaſſ. *Antiq. Rom.* IV, 61.

Quantum autem impenſarum in hoc templo ædificando fuerit factum æſtimari poteſt, cùm, teſte Livio, I, 55, *quadringenta talenta*, Gallicæ monetæ libræ 2,178,750, *vix in fundamenta ſuppeditavere*. In hæc fundamenta impenſa fuiſſe quadraginta millia pondo argenti, Gallicæ monetæ libras 2,514,500, tradit Plutarchus, in Poplicolâ, pag. 105. *Λέγεται δὲ Ταρκύνιον εἰς τὰς θεμελίους ἀναλῶσαι λίτρας ἀργυρίου τετρακισμυρίας.*

Tanta autem ædes (ea tum erat morum ſimplicitas) exædificata eſt, ut fictilis effigies Jovis in Capitolio locaretur. Aurum enim & argentum ne diis quidem conficiebatur. Fictilis tantùm colebatur Jupiter, & ideo miniari ſolitus: fictiles quoque in faſtigio templi quadrigæ. Plin. XXXV, 12. In hac tamen æde Jovis Capitolini ſcalpturatum pavimentum primum factum eſt poſt tertium Punicum bellum initum. Plin. XXXVI, 25. Ejus autem laquearia poſt Carthaginem everſam inaurata ſunt. Plin. XXXIII, 3.

Conflagravit iſtud templum, Syllano bello, anno Urbis conditæ DCLXXI. Mox iiſdem rurſus veſtigiis ſitum eſt. Sed cùm luxuria tunc adoleſceret, certatum eſt ut Tarquiniorum opus magnificentiâ vinceretur. Sylla, Romanorum ditiſſimus, Athenis ex Jovis Olympii templo columnas Capitolinis ædibus advexit. Plin. XXXVI, 6. Catulus tegulas æreas inauravit. Plin. XXXIII, 3. Cetera ejus decora, aliis ſæpe memorata, quid repetam? Satis ſit obſervaſſe ejus opes in immenſum fuiſſe auctas triumphantium, magiſtratuum, urbium, provinciarum, populorum, exterorum etiam regum, ac demum Cæſarum donariis. Principes in eas liberalitates adeo effuſi, *ut in cellam Capitolini Jovis ſedecim millia pondo auri*, Gallicæ monetæ libras, 15,120,000, *gemmas ac margaritas quingenties ſeſtertiûm*, Gallicæ monetæ libras 9,727,512, *unâ donatione contulerit* Auguſtus. Sueton in Aug. XXX.

Imaginare nunc picturas, ſtatuas, & præſtantiſſima artium mira-

cula, quæ huc undique congerebantur. Quanto autem ſtudio adſervarentur, ex uno diſce. *Ætas noſtra vidit in Capitolio, priuſquam id noviſſimè conflagravit a Vitellianis incenſum, in cellâ Junonis, canem ex ære vulnus ſuum lambentem, cujus eximium miraculum, & indiſcreta veri ſimilitudo, non eo ſolùm intelligitur, quòd ibi dicata fuerat, verùm & novâ ſatisdatione: nam ſumma nulla par videbatur: capite tutelarios cavere pro eâ, inſtituti publici fuit.* Plin. XXXIV, 7.

Tantas opes Capitoliumque iterum abſumpſit bellorum civilium furor. Quantò majore magnificentiâ a Veſpaſiano Domitianoque fuerit reſtitutum dicetur in Notis & Emendationibus ad Hiſt. IV, 53.

INTERJECTO CCCCXXV ANNORUM SPATIO ] In libris omnibus ſcriptis & editis *ccccxv annorum.* Immo expreſsè in editione principe, *quadringentorum quindecim annorum.* At cùm ex ipsâ temporum ratione, ut in Notis diximus ſuprà, conſtet interjectum fuiſſe quadringentorum viginti quinque annorum ſpatium, ita fuit omnino emendandum, ne narratio inquinaretur. Rectè quoque vertunt Davanzati, *quattrocento vinticinque anni:* Cl. Gordon, *four hundred and twenty five years.*

INTER TANTA ] Ita Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. Agr. editiones veteres & recentiores. Pichena tamquam e Mſ. Flor. ediderat, *inter tot.* At, ut rectè monuit ex Jac. Gronovio Ryckius, per literarum compendia in Mſ. Flor. ſcriptum *int ta*, vel *int at:* hoc enim vix diſcerni poteſt.

CAP. LXXIII. TREPIDI MILITES ] Sic omnes Mſſ. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *trepidus miles.*

FUGAM CŒPTANTEM ] Bene libri ſcripti & editi. Conjiciebat tamen Pichena, *tentantem*, vel *captantem.*

SUAMET VANITATE ] Mſ. Corb. *Suâ vanitate.* Corruptè editio princeps, *ſuâ unitate.*

JECERAT ] Eleganter & appoſitè dictum. Malè tentat Acidalius, *fecerat.*

CAP. LXXIV. IGNORATUSQUE ] Bene Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. Guelf. Agr. Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Vatic. & editione principe, *ignaruſque.*

CASUS SUOS IN MARMORE EXPRESSAM ] Optimè Mſſ. Flor. Corb. Agr. & Ryckius aliique. Sic quoque editio princeps: *ſuos*, tantùm in eâ omiſſum. Puteolanus, *caſuſque ſuos in marmore expreſſit.* Inſcriptone marmore, an cælato, caſus ſuos Domitianus expreſſerit incertum. Cælaturâ tamen probabiliùs, ut viſum eſt Lupano. Sic apud Virgilium, quem ſæpe imitatur Tacitus, Dædalus Icari, filii ſui,

*Bis conatus erat caſus effingere in auro.*
*Bis patriæ cecidere manus.*

Virgil. Æneid VI, 32.

Navatæ operæ ] Ita vulgò Mſſ. & veteres recentioreſque editiones. Male Ryckius e Mſſ. Bud. Bodl. Agr. edidit, *enavatæ operæ*. In Mſ. Bodl. primâ manu ſcriptum, *navatæ. e* ſuperadditum manu recentiore. In Mſ. Corb. *evacuatæ operæ.*

Tum confossum ] Mſſ. Corb. & Agr. *tunc.*

Absciso ] Ita Mſſ. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *abſciſſo*. Vide jam notata ſuprà in Notis & Emendationibus ad Hiſt. II, 88.

CAP. LXXV. In republica ] Ita libri omnes ſcripti & editi. Hæc tamen ſuſpecta habet Erneſtus. Certè ſi abeſſent, minimè deſiderarentur. Ni fortè quid humanitatis hìc lateat, quòd in republicâ, non in civilibus bellis ſtipendia fecerit.

Militiæque ] *Que*, abeſt a Mſ. Corb. & editione principe.

Innocentiam justitiamque ] *Juſtitiam*, abeſt a Mſ. Corb.

Dirempta æmulatione ] Bene Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. & veteribus editionibus, *direptâ*. Mſ. Jeſ. *direptam æmulationem.*

Sive aptum tempori mendacium fuit ] Mſ. Jeſ. *ſive aptum tempori fuerit.*

CAP. LXXVI. Intuta mœnium ] Non ita eleganter Mſ. Jeſ. *intuta mœnia.*

Conquirendis ] Nec bene Mſ. Corb. *adquirendis.*

CAP. LXXVII. Ad L. Vitellium ] Vitellii prænomen omiſit Pichena, fortè operarum errore.

Verginii Capitonis ] Ita Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. hìc & infrà Hiſt. IV, 5. *Vergilii* aut *Virgilii Capitonis*. Editio quoque princeps, *Virgilii*. At Verginiorum cognomen *Capito*, ut jam monuit Erneſtus.

Furtim traditurum ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Puteolanus & Recentiores. Perperam in margine Mſ. Bodl. aliiſque Mſſ. & editione principe, *tradi futurum.*

Sternunt inermes ] Mſ. Flor. *inermos.*

Neque inulti ] Malè veteres editiones, *neque multi*. In Mſ. Jeſ. *atque.*

Reliquæ in litore captæ ] Bene omnes ferme Mſſ. editiones veteres & recentiores. Malè Mſ. Corb. & Beroaldus, *reliquas .... captas.*

Fuere, qui... incesserent ] Bene Cl. Erneſtus, & ex uſu Taciti : ut mox infrà cap. 78. *Nec defuere, qui Antonium ſuſpicionibus arguerent.* In Mſ. Corb. & editione principe, *inceſſerant*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *inceſſerint.*

Gestæ prospere rei ] Bene Mſſ. Harl. Bodl Jeſ. Guelf. editiones veteres & recentiores. Malè Beroaldus, *proſperæ*. Unde Rhenanus emendaverat, *proſpere geſtæ rei.*

Insistere juberet ] Mſ. Corb. *conſiſtere juberet.*

Recens victoria miles ] Ita vulgò Mſſ. editiones veteres & recentiores. Ryckius e ſuo Mſ. Agr. edidit, *recenti victoriâ miles.* Sic quoque habet Mſ. Corb.

Ut boni ] Mſ. Corb. *ut bonus.* Corruptè editio princeps, *ut bonis.*

CAP. LXXVIII. Ocriculi ] Bene Mſ. Agr. Ryckius & Recentiores. Malè Mſ. Reg. & editio princeps, *Otriculi.* Corruptè Mſ. Jeſ. *Ariculi. Ocriculum* memoratur a Plinio III, 5. Sect. 9. Ὀκρίκλων quoque meminit Strabo libr. V. pag. 227.

Pravæ moræ ] Mſſ. Corb. & Agr. *parvæ moræ.*

Nec defuere ] Malè Mſ. Reg. & editio princeps, *nec deficere.*

Abscisis ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Guelf. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *abſciſſis.*

Nequivisset ] Sic Mſſ. Flor. Reg. Agr. Corb. Erneſtus & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & veteribus editionibus, *nequiſſet.*

Dum regerit ] Bene Pichena & Recentiores. In Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. & editione principe, *regeret.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *tegeret.*

Peractum bellum ] Malè editio princeps, *paratum bellum;* non verò *patratum*, ut habet Lipſius.

CAP. LXXIX. Procul Urbe ] Ita vulgò Mſſ. & libri omnes editi. In Mſ. Reg. *procul ab Urbe.* Laudat Lipſius e Mſ. Hiſpano, codice nempe Covarruviæ, *procul Urbem.*

Et anfractus ] Malè Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. *& confractus.*

Tullius Flavianus ] Sic Mſ. Reg. & libri omnes editi. In Mſſ. Harl. Guelf. *T. Flavianus.* Secundâ manu in Mſ. Harl. *Tullius.* Mſ. Flor. *Tulius.* Mſ. Agr. *Julius.*

Fœda fuga consternantur ] Ita Mſſ. & libri editi. Beroaldus, operarum ſanè errore, *conſternuntur.* Mallet Cl. Erneſtus, *in fœdam fugam*; ut apud Livium, X, 43. *Repentè in fugam conſternantur.*

CAP. LXXX. Arma cepit ] Malè veteres editiones, *cœpit.*

Telis ] Fruſtra tentat Heinſius, *quod cuique obvium teli.*

Deliguntur legati ] Malè editio princeps, *diriguntur.*

Prætexto reipublicæ ] Sic Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Bud. Puteolanus, Jac. Gronovius & Recentiores. In Mſ. Reg. & editione principe aliiſque nonnullis, *prætextu reipublicæ.*

Occurrerant ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Agr. editio princeps & recentiores. Mſſ. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *occurrerunt.* Mſ. Corb. *occurrerent.*

Extremum discrimen adiere ] Malè editio princeps, *ad extremum.* Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf. *adire.*

Arulenus ]

Arulenus ] Malè Mſſ. Flor. Bodl. Jeſ. Guelf. & editio princeps, *Arulenius.*

Ausus ] Mſ. Agr. *annixus.*

Sacrum etiam inter exteras gentes ] *Etiam*, abeſt a Mſ. Corb. In Mſſ. Flor. Reg. Jeſ. Bud. Agr. Corb. & editione principe, *in exteras gentes.* Quod Ryckio & Jac. Gronovio probatum; hoc ſenſu: jus, quod ſacrum inviolatumque erga exteras gentes ſervamus. Meliùs certè Mſſ. Harl. Bodl. Puteolanus & Recentiores, *inter exteras gentes.* Id enim, ut rectè obſervat Erneſtus, iis, quæ mox ſequuntur, *ante ipſa patriæ mœnia*, opponitur.

CAP. LXXXI. Disserens, armatos monere ] Perperam Mſſ. Harl. Guelf. & Puteolanus, *movere.* Inde cùm intempeſtivâ hominis ſapientiâ animi non fuiſſent moti, hæc ſuſpecta & inſititia conjiciebat Gruterus. At verbo *monere*, quod habent vulgò Mſſ. editio princeps & recentiores, penitus tollitur difficultas.

Supremo certamini ] Mſſ. Reg. Agr. & editiones veteres, *ſupremo certamine.*

Unum diem ] In recentioribus tantùm editionibus, *unam diem.*

Postulabat ] Bene Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. Guelf. Agr. Ryckius & Recentiores. In Mſ. Reg. & editionibus veteribus, *poſtulabant.*

Dirempta belli commercia ] Malè Mſſ. Reg. Harl. Jeſ. *direpta.* Peſſimè tentabat Rhenanus, *bellico commercia.*

CAP. LXXXII. Pontem Milvium ] Sic Mſſ. & veteres editiones, ut jam dictum eſt ſuprà in Notis & Emendationibus ad Annal. XIII, 47. Mſ. Corb. *pontem Milvi.*

Ingrederentur ] Mſ. Jeſ. *ingrederetur.*

Omnem prolationem ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Harl. Jeſ. Corb. Guelf. editio princeps, Jac. Gronovius & Recentiores. Mſ. Bodl. & Puteolanus, *omnem prolatationem.* Additum adhuc in margine Mſ. Bodl. *prolationem.* Unde videtur vocem, *prolatationem*, a Latio prorſus eſſe ablegandam, cùm nuſquam occurrat apud alios ſcriptores Latinos, neque hoc Taciti loco ſatis nixa.

Ut adstiterat ] Mſ. Jeſ. *ut adſiſteret.*

Plebs ] Sic Mſſ. editiones veteres & recentiores. Pichena, *plebes.*

Ii tantum conflictati sunt ] Malè Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps, *in tantùm.* Mſ. Agr. *nonnumquam conflictati ſunt. Qui* &c. Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf. *hi tantùm.*

Ad serum usque diem ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Agr. editiones veteres & recentiores. Sic Virgilius, Georg. IV, 132.

*Seráque revertens*
*Nocte domum dapibus menſas onerabat inemptis.*

Lipſius minimè neceſſariò emendavit, *diei.*

CAP. LXXXIII. Hos, rursus illos ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. editio princeps, Jac. Gronovius & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *hos modò, rurſus illos.* Jam vidimus ſuprà Hiſt. III, 22. *his, rurſum illis exitiabile.*

Additos in tabernis ] Malè Beroaldus emendavit, *abditi*; adverſantibus libris ſcriptis & editis.

Si quam in domum ] *In*, abeſt a Mſſ. Corb. Agr. & editione principe.

Expostulantes ] Fruſtra Rhenanus emendavit, *poſtulantes*; libris ſcriptis & editis refragantibus.

Ad sanguinem et cædes obverso ] Malè Mſ. Reg. & editio princeps, *adverſo.* Ceterùm Mſ. Agr. & editio princeps habent, *ad cædes & ſanguinem.*

Balineæ ] Ita Mſ. Corb. & editiones recentiores. Corruptè editio princeps, *balnicæ.* Mſſ. Reg. Harl. Bodl. & Puteolanus, *balneæ.*

Scortis similes ] Bene Mſſ. editio princeps, Rhenanus & Recentiores. Perperam Puteolanus, *ſcortis miles.*

Victoribus ] Mſſ. Corb. & Agr. *victore iterum.*

Velut festis diebus id quoque gaudium accederet, exsultabant, fruebantur ] Malè diſtinxit Cl. Erneſtus, *velut feſtis diebus ( id quoque gaudium accederet ) exſultabant, fruebantur.* Perperam quoque diſtinxere veteres editiones, *exſultabant. Fruebantur nullâ* &c. Acidalius omiſſum volebat, *fruebantur.* Lipſius tentabat, *furebant.* At minimè diſplicet, *fruebantur:* immo exquiſitè dictum. Sic, ſed meliore ſenſu, Tullius de Finibus bonorum & mal. I, 1. *Sive enim ad ſapientiam perveniri poteſt: non paranda nobis ſolùm ea, ſed fruenda etiam ſapientia eſt.* Mendosè editio princeps, *accideret* pro *accederet.*

CAP. LXXXIV. Ut novissimam spem ] Bene editio princeps & recentiores. Malè Mſ. Jeſ. & Puteolanus, *ſpeciem.* Mſ. Corb. *in noviſſimam ſpeciem.*

Eo intentius ] Mſ. Jeſ. *eo contentiùs.*

Quidquid ] Mſ. Corb. atque editio princeps, *& quicquid.*

Fatoque dispares ] Bene Mſſ. Harl. Jeſ. & editiones recentiores. In Mſ. Reg. & editionibus veteribus, *factoque.* Sic quoque in margine Mſſ. Harl. Jeſ.

Domos arasque cruore fœdare: suprema victis solatia amplectebantur ] Hæc omnia abſunt a Mſ. Reg. Acidalius mallet, *fœdatas;* Muretus, *fœdas.* At melior eſt vulgata ſcriptura. Inter bellorum civilium furores, vel victis ſolatium eſt ſævire, evertere, ſacra, profana fœdare. *Amplectebantur*, habent Mſſ. Flor. Corb. & Jac. Gronovius. Perperam editio princeps, *contemplabantur.* Mſ. Jeſ. *compectebantur.* Puteolanus, *complectebantur.*

CAP. LXXXV. AVERSAM PALATII PARTEM ] Non ita bene editio princeps, *adverſam palatii portam.* Mſ. Corb. habet quoque, *adverſam.* Fruſtra tentat Lipſius, *per averſa palatii.* Non ſemper græciſſat Tacitus. Jam vidimus ſuprà cap. 70. *Secretam ædium partem:* non verò, *ſecreta ædium.*

AB JULIO PLACIDO ] Malè Puteolanus, *Placito.* Mſ. Corb. *a Julio Placido.*

PONE TERGUM ] Mſſ. Corb. Agr. & editio princeps, *tergum pone.*

LUDIBRIO EXIMERET ] Ita Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. Guelf. & veteres editiones. Rhenanus e corruptâ ſcripturâ Mſ. Bud. *ludibus*, emendaverat, *ludibriis.*

IN INCERTO ] Malè Mſ. Reg. *in incerta.* Mſ. Guelf. *incerto;* unde alterâ manu emendatum, *incertum.*

AUT GALBÆ ] Ita Mſſ. editiones veteres & recentiores. Fruſtra Rhenanus emendaverat, *& Galbæ.*

UNA VOX ] Sic Mſſ. & editiones veteres. Rhenanus, inverſo ordine, *vox una.*

CAP. LXXXVI. PATER ILLI L. VITELLIUS ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Flor. & Bud. *patrem illi Luceriam.* Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps, *patrem illi Lucerium.* Inde conjiciebat Rhenanus, *pater illi Nucerinus*, vel *Nuceriâ:* Gruterus, *patria illi Nuceria.* Quòd Publius Vitellius, avus Vitellii Imperatoris, erat *domo Nuceriâ*, teſte Suetonio in Vitell. II.

SEPTIMUM ] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *nam ſeptimum.* Quod fortè natum ex vitioſâ ſcripturâ codicum, qui habebant *Luceriam*; vel fortè legendum, *jam ſeptimum*, uti ſuſpicabatur Pichena.

CONTINERE PUTAT ] Acidalius mallet, *contineri.*

REIPUBLICÆ HAUD DUBIE ] Malè Rhenanus omiſit, *reipublicæ.*

PRÆCIPITI IN OCCASUM ] Ita Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Agr. Guelf. In Mſ. Corb. & editione principe, *præcipite.* Fruſtra Rhenanus emendavit, *præcipitanti.*

# NOTÆ ET EMENDATIONES

## *AD LIBRUM QUARTUM*

# HISTORIARUM.

CAP. I. FORS OBTULERAT ] Bene Mſ. Corb. Beroaldus & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. & editionibus veteribus, *ſors*; ut jam vidimus ſuprà Annal. XIV, 5.

CONSPEXERANT ] Rectè Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Agr. editio princeps & recentiores. Malè Puteolanus, *proſpexerant.*

EX PLEBE ] Mſſ. Harl. Jeſ. Corb. & editio princeps, *e plebe.*

ET FORTUNA CAPTÆ URBIS ] Mallet Vertranius, *& forma captæ urbis.* Et certè, *forma*, quàm *fortuna*, huic loco aptior. *Formam* probavit Davanzati, *e faccia di sforzata città : fortunam*, Cl. Gordon, *the miſerable lot of a City ſtormed and ſacked.*

CAP. II. FILIUM PRINCIPIS AGEBAT ] Cl. Erneſtus mallet, *agens.* Vel, *ſed nondum ad curas intentus, ſtupris & adulteriis filium Principis agebat.*

POSTULABAT ] Mſ. Agr. *poſtulabant.*

ARICIAM ] Malè editio princeps, *Artiani.* Mſ. Corb. *Arriani.* Mſ. Jeſ. *Aritiam.*

ADVERSIS ABSTRACTUS ] Fruſtra locum hunc ſollicitabat Faernus, ut emendaret, *nec proinde proſperis ſocius, quàm adverſis in Gemonias abſtractus.* Jam vidimus ſuprà Annal. IV, 13. *Claritudine infauſti generis, & paternis adverſis foret abſtractus.*

ADVERSUM PLAUSUS AC LASCIVIAM ] Mſ. Corb. & editio princeps, *adversùs plauſus & laſciviam.*

CAP. III. ACCEPTOS A VITELLIO ] Ita libri omnes ſcripti & editi præter Rhenanum, qui omiſit præpoſitionem *a.*

MOX ILLYRICO ] Bene Mſſ. & veteres ac recentiores editiones. Malè Beroaldus, *Illyricos.*

EA, PRIMA SPECIE, FORMA ] Hæc inſititia eſſe putat Cl. Erneſtus. Quod minimè crediderim. In Mſ. Agr. *formidata* pro *forma.* Inde tentabat Ryckius, *& primâ ſpecie formidata.*

ET REIPUBLICÆ EGREGIA ] *Et*, habent Mſſ. & veteres editiones. At mox in iis, *rep.* Inde emendabat Muretus, *de republicâ egregia,*

Meliùs Jac. Gronovius, atque ex uſu Taciti, *& reipublicæ egregia.*

CAP. IV. In Vitellium ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *in Vitellianos.*

De bello civili data ] In Mſſ. Flor. Reg. & editione principe, *de bello civilium.* Inde tentabat Jac. Gronovius, *de bello civium data*, aut *de bello civili non data.* At potior eſt vulgata ſcriptura.

Mox deos respexere: restitui placuit ] Sic Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Bud. Guelf. Puteolanus & Recentiores. Mſſ. Reg. Corb. Agr. editio princeps, & Beroaldus, *mox deos reſpicere, reſtituique placuit* &c.

Ut honorificam ] Mſ. Reg. *& honoriſicam.* Mſ. Vatic. 1864. *ut honorificum.*

Ita falsa aberant ] Bene Mſ. Agr. Ryckius & Recentiores. *Ita*, abeſt ab aliis Mſſ. & veteribus editionibus. Illud ſenſus omnino poſtulat.

Attollebatur ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *attollebantur.*

Præcipuus illi dies ] Mſſ. Corb. & Agr. *præcipue illi dies.*

CAP. V. Regione Italiæ, Tarracinæ municipio ] *Regione Italiæ*, inſititia & omittenda videntur; ut jam ſenſit Cl. Erneſtus. Rectè vertit Cl. Davanzati: *Nacque in Terracina, terra municipale: di Cluvio Capitano di Primopilo.* Fruſtra conjiciebat Lipſius, *origine Italicâ.* Alii, cùm Italia ab Auguſto in XI regiones fuiſſet diviſa, ſuppleverunt, *regione Italiæ ſeptimâ*, vel *regione I Italiæ;* atque ita vertit Cl. Gordon, *Helvidius Priſcus was born in the municipal City of Terracina within the firſt precinct of Italy, the ſon of Cluvius who had ſuſtained the rank of a principal Centurion.* At minimè veriſimile eſt regionem Italiæ a Tacito hìc fuiſſe memoratam. Potiùs crediderim librarium aliquem, vel in margine regionem Italiæ, in quâ erat Tarracina, adnotaſſe; vel, cùm Mſ. Agr. & editio princeps habeant, *Tarentino municipio*, additum fuiſſe, *e regione Italiæ*, quia Tarentum olim non erat in Italiâ, ſed in magnâ Græciâ, *e regione Italiæ.* Corruptè Mſſ. Farneſ. & Corb. *Tarentinæ municipio.* Mſ. Flor. *Carecinæ.* In uno e Mſſ. Vatic. *Tarentium.* Alii Mſſ. Puteolanus & ceteri omnes, *Tarracinæ.* Eruditus Corradinus, *Vetus Latium.* Tom. II. pag. 213, memorat veterem ſiglinam, haud procul Tarracinâ effoſſam, & inſcriptam

L....LVID

quam ſic legit L. *He*LVID. Indeque conjicit ibi fuiſſe Helvidii Priſci villam, prædiumque Helvidiæ gentis, quæ opus doleare ibidem habuit.

Cluvio patre ] Malè editio princeps, *Clunio.*

Ut nomine ] *Ut*, abeſt a Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. & editione principe. Inde omiſſum eſt a Ryckio. At meliùs alii libri, qui illud retinent.

Doctores sapientiæ ] Mſ. Corb. *ſapientium.*

Ceteraque extra animum ] Mſ. Agr. *ceteraque quæ extra animum.*

CAP. VI. Egregiis utriusque orationibus testatum ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. Agr. editiones veteres & Ryckius. Malè Rhenanus, *egregiis orationibus utriuſque certatum.* Tentabat quoque Muretus, *utrinque.*

De imperio Vespasiani censebant ] Quid Senatus de imperio Veſpaſiani cenſuerit, quomodo cuncta Principibus ſolita ei decreverit, paucis expediendum: ſimul legis imperii, ſeu legis regiæ primordia fataque explananda ſunt.

## *De Lege Imperii, dictâ quoque Lege Regiâ.*

Regum primò, deinde duodecim Tabularum *legibus* paruit populus Romanus. Ortâ poſt hac diſcordiâ plebem inter & patres, plebs ſibi jura conſtituit, quæ *plebiſcita* vocata ſunt, & pro legibus lege Hortenſiâ obſervata. At labentibus ſæculis plurimiſque victoriis ita crevit populus Romanus, ut in tantâ hominum turbâ plebs difficilè conveniret: itaque neceſſitas ipſa curam reipublicæ ad ſenatum deduxit. Cœpit ergo ſenatus ſe interponere; & quidquid conſtituiſſet, obſervabatur: jus illud appellabatur *ſenatuſconſultum.* Cùm juris conſtituendi vis ad pauciores ita deveniſſet, Caius Julius Cæſar in ſe unum illam traxit; & quam armis ſibi jam adſeruerat, eam adhuc legum auctoritate munitam voluit. Anno Urbis conditæ DCCVI, ei datum, ut de Pompeianis arbitratu ſuo ſtatueret: mox, arreptâ ex motibus Africæ ſpecie, decretum ut ei belli paciſque in omnes homines jus eſſet, etſi neque ad ſenatum, neque ad populum de iis retuliſſet. *Τὰς τε γὰρ τὰ τοῦ Πομπηίου φρονήσαντας ἐπέτρεψαν αὐτῷ πᾶν θ' ὅ, τί ποτ' ἂν ἐθελήσῃ δρᾶσαι ... καὶ πολέμων καὶ εἰρήνης κύριον, προφάσει τῶν ἐν τῇ Ἀφρικῇ συνισαμένων, πρὸς πάντας ἀνθρώπους, ἀπέδειξαν αὐτὸν, κἂν μηδὲν μήτε τῷ δήμῳ μήτε τῇ βουλῇ περὶ αὐτῶν κοινώσηται.* Dio XLII. pag. 194.

Inter hæc dominationis molimina, libertas Cæſarem oppreſſit. Tum reſpublica triumvirorum arbitrio permiſſa. Nihil in publicam utilitatem conſultum: omnia libidinibus paruere. Reſpublica, libertatis imagine, quàm ipsâ ſervitute, magis conflictata, ad Octavium Auguſtum ultro confugit, qui omnia, diſcordiis civilibus feſſa, ſub nomine *Principis* accepit. Cùm ita neceſſe fuiſſet reipublicæ per

unum conſuli, *conſtituto Principe, datum eſt ei jus, ut quod conſtituiſſet ratum eſſet.* Pomponius, Digeſt. lib. I. Tit. 2. *de Origine juris.* Leg. 2.

Jus illud dictum eſt *lex imperii*, quæ poſtea, cùm non ita inviſum foret Romanis regum nomen, dicta eſt *lex regia* : de quâ Ulpianus, Digeſt. libr. I. Tit. 4. *de Conſtitutionibus Principum.* Leg. 1. *Quod Principi placuit, legis habet vigorem : utpote cùm lege regiâ, quæ de imperio ejus lata eſt, populus ei & in eum omne ſuum imperium & poteſtatem conferat.*

Lex, quæ, Veſpaſiano imperium capeſſente, lata eſt, ære inciſa, Romæ ruinis diu obruta jacuerat; cùm pars ejus præſtantiſſima, quoniam in eâ Sanctio contineatur, effoſſa, primùm in Eccleſiâ Lateranenſi prope tabernaculum SS. Corporis Chriſti affixa eſt, mox in ædes Capitolinas tranſlata, ubi nunc inter egregia antiquitatis monumenta adſervatur. Quam cùm ibi viderim, juvat eam paulo accuratiorem, quàm a Grutero, *Theſaur. Inſcript.* pag. CCXLII, edita eſt, repræſentare notiſque explanare.

FOEDVSVE. CVM. QVIBVS. VOLET. FACERE. LICEAT.
ITA. VTI. LICVIT. DIVO. AVG.
TI. IVLIO. CAESARI. AVG. TIBERIOQVE. CLAVDIO.
CAESARI. AVG. GERMANICO.

VTIQVE. EI. SENATVM. HABERE. RELATIONEM. FACERE.
REMITTERE. SENATVS.
CONSVLTA. PER. RELATIONEM. DISCESSIONEMQVE.
FACERE. LICEAT.
ITA. VTI. LICVIT. DIVO. AVG. TI. IVLIO. CAESARI.
AVG. TI. CLAVDIO. CAESARI. AVG. GERMANICO.

VTIQVE. CVM. EX. VOLVNTATE. AVCTORITATEVE. IVSSV.
MANDATVVE. EIVS.
PRAESENTEVE. EO. SENATVS. HABEBITVR. OMNIVM.
RERVM. IVS. PERINDE.
HABEATVR. SERVETVR. AC. SI. E. LEGE. SENATVS.
EDICTVS. ESSET. HABERETVRQVE.

VTIQVE. QVOS. MAGISTRATVM. POTESTATEM. IMPERIVM. CVRATIONEMVE.
CVIVS. REI. PETENTES. SENATVI. POPVLOQVE. ROMANO. COMMENDAVERIT.
QVIBVSQVE. SVFFRAGATIONEM. SVAM. DEDERIT,
PROMISERIT. EORVM.
COMITIIS. QVIBVSQVE. EXTRA. ORDINEM. RATIO. HABEATVR.

VTIQVE. EI. FINES. POMERII. PROFERRE. PROMOVERE. CMV. EX. REPVBLICA.
CENSEBIT. ESSE. LICEAT. ITA. VTI. LICVIT. TI. CLAVDIO. CAESARI. AVG. GERMANICO.

VTIQVE. QVAECVNQVE. EX. VSV. REIPVBLICAE. MAIESTATE. DIVINARVM.
HVMANARVM. PVBLICARVM. PRIVATARVMQVE. RERVM. ESSE.
CENSEBIT. EI. AGERE. FACERE. IVS. POTESTASQVE. SIT. ITA. VTI. DIVO. AVG.
TIBERIOQVE. IVLIO. CAESARI. AVG. TIBERIOQVE. CLAVDIO. CAESARI.
AVG. GERMANICO. FVIT.

VTIQVE. QVIBVS. LEGIBVS. PLEBEIVE. SCITIS. SCRIPTVM. FVIT. NE. DIVVS. AVG.
TIBERIVSVE. IVLIVS. CAESAR. AVG. TIBERIVSQVE. CLAVDIVS. CAESAR. AVG.
GERMANICVS. TENERENTVR. IIS. LEGIBVS. PLEBISQVE. SCITIS. IMP. CAESAR.
VESPASIANVS. SOLVTVS. SIT. QVAEQVE. EX. QVAQVE. LEGE. ROGATIONE.
DIVVM. AVG. TIBERIVMVE. IVLIVM. CAESAREM. AVG TIBERIVMVE.
CLAVDIVM. CAESAREM. AVG. GERMANICVM. FACERE. OPORTVIT.
EA. OMNIA. IMP. CAESARI. VESPASIANO. AVG. FACERE. LICEAT.

VTIQVE. QVAECVNQVE. ANTE. HANC. LEGEM. ROGATAM. ACTA. GESTA.
DECRETA. IMPERATA. AB. IMPERATORE. CAESARE. VESPASIANO. AVG.
IVSSV. MANDATVVE. EIVS. A. QVOQVE. SVNT. EA. PERINDE. IVSTA. RATAQ.
SINT. AC. SI. POPVLI. PLEBISVE. IVSSV. ACTA. ESSENT.

SANCTIO.

# SANCTIO.

SIQVIS. HVIVSCE. LEGIS. ERGO. ADVERSVS. LEGES. ROGATIONES. PLEBISVE. SCITA.
SENATVSVE. CONSVLTA. FECIT. FECERIT. SIVE.
QVOD. EVM. EX. LEGE. ROGATIONE.
PLEBISVE. SCITO. S. VE. C. FACERE. OPORTEBIT. NON.
FECERIT. HVIVS. LEGIS.
ERGO. ID. EI. NE. FRAVDI. ESTO. NEVE. QVIT. OB. EAM.
REM. POPVLO. DARE. DEBETO.
NEVE. CUI. DE. EA. RE. ACTIO. NEVE. IVDICATIO. ESTO.
NEVE. QVIS. DE. EA. RE. APVD.
*ſe* AGI. SINITO.

Initia legis periere, quibus, ut conjicere licet, omnium rerum jus, arbitrium vitæ & necis, belli ac pacis commercia Veſpaſiano permittebantur ita, utì divo Auguſto, Tiberio, Claudioque fuere permiſſa. Iis ſubnectitur:

*Fœduſque, cum quibus volet, facere liceat ita, utì licuit divo Auguſto, Tiberio Julio Cæſari Auguſto, Tiberioque Claudio Cæſari Auguſto Germanico.* Tiberius adoptione in Juliam familiam tranſierat: inde illi nomen *Tiberio Julio Cæſari.* Et ut jura dominandi magis ac magis firmaret, vulgò dicebatur TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. DIVI. IVLI. NEP. AVG. id eſt, *Tiberius Cæſar, divi Auguſti filius, divi Julii nepos, Auguſtus.* In veteribus quoque Inſcriptionibus memorantur ſervi, qui appellantur TIB. IVLIVS. AVG. LIB. id eſt, *Tiberius Julius Auguſti libertus;* quod nomen a patrono ſuo Tiberio Julio Auguſto ſane acceperant. Nomina autem Julii Cæſaris, Caii Caligulæ, Neronis, hìc & in ſequentibus capitibus omittuntur. Ac meritò quidem. Nullum enim imperium, nulla lex imperii, cùm C. Julius Cæſar cecidit: Caii verò Caligulæ ac Neronis memoria damnata, proinde ſilenda. Ceterorum Principum Galbæ, Othonis & Vitellii fluxum imperium, nec in hoc civilium bellorum fine memorandum.

*Utique ei ſenatum habere, relationem facere, remittere; ſenatuſconſulta per relationem diſceſſionemque facere liceat ita, utì licuit divo Auguſto, Tiberio Julio Cæſari Auguſto, Tiberio Claudio Cæſari Auguſto Germanico.* Quod, liberâ olim republicâ, majoribus tantùm magiſtratibus erat datum, id Principi conceſſum eſt, ut ſenatum haberet, de negotiis relationem faceret, relationemve ad ſenatum remitteret, ut ſenatuſconſulta faceret per relationem, conquiſitis nempe ſingulorum ſententiis, vel per diſceſſionem, cùm curia in partes diſcedebat. Hujuſce autem usûs ratio, quòd ſæpe rubor timorve inerat, ſi ſinguli ſententias ſuas proferrent; contrà verò nec rubor, nec timor, ſi in

partes diſcedebatur. Inde Dio, XLI. pag. 153. *Διαψηφίσεως δὲ ἐπὶ τούτοις οὐ κατ᾽ ἄνδρα (μὴ καὶ δι᾽ αἰδῶ ἢ καὶ φόβον τινὰ παρὰ τὰ δοκοῦντα σφίσιν ἀποσιωπῶνται) ἀλλ᾽ ἐπὶ τάδε καὶ ἐπ᾽ ἐκεῖνα τοῦ βουλευτηρίου μεταστάσει γενομένης.* Cùm tale ſenatuſconſultum fieret, verba ſolemnia erant : QVI HAEC SENTITIS, IN HANC PARTEM. QVI ALIA OMNIA IN ILLAM PARTEM ITE, QVA SENTITIS. Vide Plinium, Ep. VIII, 14. Hujuſmodi ſenatuſconſultum, Tiberio Principe, factum memorat Suetonius in Tiber. XXXI. Quàm parcè autem jus relationis Auguſto primitus fuerit tributum (ſcilicet ut quoties ſenatus haberetur, etiamſi conſulatum non gereret, jure unius relationis, de quacumque re vellet, uteretur) docet Dio, LIII. pag. 518. *Χρηματίζειν αὐτῷ περὶ ἑνός τινος ὅτου ἂν ἐθελήσῃ καθ᾽ ἑκάστην βουλὴν, κἂν μὴ ὑπατεύσῃ, ἔδωκε.*

*Utique cùm ex voluntate, auctoritateve, juſſu, mandatuve ejus, præſenteve eo, ſenatus habebitur, omnium rerum jus perinde habeatur, ſervetur, ac ſi e lege ſenatus edictus eſſet, habereturque.*

*Utique quos, magiſtratum, poteſtatem, imperium, curationemve cujus rei petentes, ſenatui populoque Romano commendaverit, quibuſque ſuffragationem ſuam dederit, promiſerit, eorum, comitiis quibuſque, extra ordinem, ratio habeatur.*

Duobus iſtis capitibus non ſubjungitur formula, *utì licuit divo Auguſto, Tiberio, Claudioque*, quia iis capitibus ampliata eſt Veſpaſiani poteſtas, eique tributum jus, quod divo Auguſto, Tiberio, Claudioque priùs non fuerat lege imperii conceſſum. In exemplum ergo adduci non potuere. His autem duobus capitibus quàm in immenſum Veſpaſiani auctoritas favorque intenderentur, patet cuique ſingula verba perpendenti.

*Utique ei fines pomerii proferre, promovere, cùm ex republicâ cenſebit eſſe, liceat ita, utì licuit Tiberio Claudio Cæſari Auguſto Germanico.* Fines pomerii a Claudio prolatos vidimus ſuprà Annal. XII, 23. Eos quoque protulerat Auguſtus; qui tamen hìc ſiletur, quòd illos protulerit, Ægypto in populi Romani ditionem redactâ, ac proinde ante legem imperii. Adde ab Auguſto, nondum dominationis certo, & in ſenatum indulgente, conſules in hujus gloriæ ſocietatem fuiſſe vocatos. Immo *ex ſenatuſconſulto* conſules Cenſorinus & Gallus *fines pomerii terminaverunt*, ut conſtat ex Inſcriptione, quam videre eſt in Notis & Emendationibus ad Annal. XII, 23. pag. 376. Nero quoque, uti ibidem monuimus pomerium auxerat : ſed minimè memorandus, ob damnatam memoriam, de quâ jam ſuprà.

*Utique quæcunque ex uſu reipublicæ, majeſtate divinarum, humanarum, publicarum privatarumque rerum eſſe cenſebit, ei agere, facere jus poteſtaſque eſto ita, utì divo Auguſto, Tiberioque Julio Cæſari Auguſto, Tiberioque Claudio Cæſari Auguſto Germanico fuit.* Hac in re inſigne exemplum exſtat Annal. III, 60 & ſeqq.

*Utique quibus legibus, plebeive ſcitis, ſcriptum fuit ne divus Auguſtus,*

*Tiberiuſve Julius Cæſar Auguſtus , Tiberiuſque Claudius Cæſar Auguſtus Germanicus tenerentur , iis legibus plebiſque ſcitis Imperator Cæſar Veſpaſianus ſolutus ſit ; quæque ex quaque lege , rogatione , divum Auguſtum , Tiberiumve Julium Cæſarem Auguſtum , Tiberiumve Claudium Cæſarem Auguſtum Germanicum facere oportuit , ea omnia Imperatori Cæſari Veſpaſiano Auguſto facere liceat.* Inde manifeſtum eſt nec Veſpaſianum , nec priores Principes omnibus legibus fuiſſe ſolutos. Iis tantùm legibus aut plebiſcitis ſoluti ſunt , quibus neque divus Auguſtus , neque Tiberius , neque Claudius tenebantur. Quibus autem non tenerentur minimè dixerim , cùm priores leges imperii , quibus id continebatur , perierint. Novimus tamen ex Dione LVI. pag. 582 , anno Urbis conditæ DCCLXII , Auguſtum ſolutum fuiſſe legibus in petendo conſulatu , τὸ τὴν ὑπαθείαν θᾶσσον παρὰ τὸ νενομισμένον λαβεῖν. Legibus quoque conjugalibus Principes fuiſſe ſolutos conjicit eruditus Gravina , *Origines Juris Civilis* , pag. 140. Quod enim habet Ulpianus , Digeſt. libr. I. Tit. 3. *de Legibus & ſenatuſconſultis* , leg. 31. *Princeps legibus ſolutus eſt* , id acceptum ex Ulpiani commentariis ad legem Juliam & Papiam , quæ leges ſunt conjugales. Poſtea crevit Principum immunitas ; nec Principes in leges jurabant. Ideo Trajanus tantopere laudatus a Plinio , in Panegyric. LXIV & LXV , quòd proceſſerit in roſtra , *inadſcenſumque illum ſuperbiæ Principum locum* triverit , in legem juraverit , ſe legibus ſubjecerit. *Quod ego* , exclamat Plinius , *nunc primum audio , nunc primum diſco , non eſt Princeps ſuper leges , ſed leges ſupra Principem.* Celeberrimum quoque eſt Imperatoris Severi Alexandri effatum : *Licet enim lex imperii ſolemnibus juris Imperatorem ſolverit : nihil tamen tam proprium imperii eſt , quàm legibus vivere.* Cod. libr. III. Tit. *de Teſtam.*

*Utique quæcunque ante hanc legem rogatam acta , geſta , decreta , imperata ab Imperatore Cæſare Veſpaſiano Auguſto , juſſu mandatuve ejus a quoque ſunt , ea perinde juſta rataque ſint , ac ſi populi plebiſve juſſu acta eſſent.* Hæc lex a magiſtratibus ducibuſque Flavianarum partium rogata. Quod verò additur : *perinde juſta rataque ſint , ac ſi populi plebiſve juſſu acta eſſent* , id ex vetere uſu repetitur , quo juſta rataque erant , quæ populi plebiſve juſſu , id eſt centuriatis , aut tributis , comitiis acta fuerant. *Populi* appellatione continentur univerſi cives cum ipſis patriciis ac ſenatoribus ; *plebis* nomine , ceteri cives ſine patriciis & ſenatoribus.

*SANCTIO. Si quis hujuſce legis ergo adversùs leges , rogationes , plebiſve ſcita ſenatûſve conſulta fecit , fecerit , ſive quod eum ex lege , rogatione , plebiſve ſcito ſenatûſve conſulto facere oportebit , non fecerit hujus legis ergo , id ei ne fraudi eſto , neve quid* ( ſcriptum *quit* ob veterem pronuntiandi modum ) *ob eam rem populo dare debeto ; neve cui de eâ re actio , neve judicatio eſto ; neve quis de eâ re apud* ( tres ſequentes li-

teræ deſunt ob fractum æreæ tabulæ angulum ) ſe agi *ſinito*. Sanctio, quâ lex munita violari non poteſt; inviolabilis quoque declaratur, qui ex hac lege, vel ob hanc legem egit egeritve.

Utinam plures hujuſce generis leges extarent! Iis compertum foret, quibus gradibus increverit Romanorum Principum auctoritas. Ea jam erat ſumma ante Principis Severi Alexandri tempora. Solemnia enim ſunt Ulpiani verba: *Quod Principi placuit, legis habet vigorem: ut pote cùm lege Regiâ, quæ de imperio ejus lata eſt, populus ei & in eum omne ſuum imperium & poteſtatem conferat. Quodcumque igitur Imperator per epiſtolam & ſubſcriptionem ſtatuit, vel cognoſcens decrevit, vel de plano interlocutus eſt, vel edicto præcepit, legem eſſe conſtat.* Digeſt. libr. I. Tit. 4. *de Conſtitutionibus Principum* Leg. I.

POSTULABAT, QUÆ ] Mſſ. Corb. & Agr. *poſtulat, & quæ.*

CAP. VII. MEMORIA FLAGITIORUM URGERETUR ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Puteolanus, & Recentiores. Mſ. Corb. & editio princeps, ac Lipſius, *memoria flagitiorum urgeret.*

UT IN CUJUSQUE VITAM FAMAMQUE ] Sic Mſ. Flor. editio princeps, Pichena & Recentiores. Sic quoque emendatum in Mſ. Bodl. At Mſſ. Harl. Bodl. primâ manu, Jeſ. Corb. & Puteolanus, *ut uniuſcujuſque vitam famamque penetrarent.* Copula *que* a Beroaldo omiſſa.

SENTIO ] Ita Mſſ. Vatic. 1863 & 1864. Flor. Reg. Corb. editio princeps, Lipſius & Recentiores. In Mſ. Vatic. 1958. *Senetio.* A librario ſuperadditum *Senetione* & *Seneca.* Puteolanus edidit, *Senecione.* In Mſ. Harl. *Senetio.* Mſ. Jeſ. *Senecio.* Mſ. Bodl. *Senetione;* & in margine *Seneca.* Quis fuerit Sentius ignoratur; neque uſquam memoratur. Certè error eſt in *Senecione.* Nam Senecio a Principe Domitiano occiſus eſt. Nulla foret in *Senecâ* difficultas, ſi magis faverent libri. Virque fuit Veſpaſiani amicitiâ dignus.

AMICOS ESSE. SATIS ] Ita Mſſ. editiones veteres, Ryckius & Recentiores. Rhenanus & Cl. Erneſtus, *amicos. Eſſe ſatis.*

CAP. VIII. SECUNDUM VETERA EXEMPLA ] Bene Mſ. Corb. Rhenanus & Recentiores. Editio princeps, *ſed ſecundùm vetera exempla.* Sic quoque emendatum in Mſ. Harl. Mſſ. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ſed vetera exempla.*

AUT INIMICITIIS ] Mſ. Corb. *aut inimicitiæ.*

ID MAGIS VITANDUM ] *Vitandum* perperam omiſſum in Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Bud. Guelf. Additum eſt in margine Mſſ. Harl. Guelf.

PERVICACIA QUORUMDAM ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps, Rhenanus & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *pervicaciâ cujuſquam.*

SE MEMINISSE ] Fruſtra tentat Rhenanus, *meminiſſet.* Malè Mſ. Corb. *ſe monuiſſe.*

Per hujusmodi ] Mſſ. Corb. & Agr. *per ejuſmodi.*

Inlusisse ] Ita Mſſ. Flor. Corb. Guelf. & editio princeps. In Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. *illuſiſſe.* Malè Puteolanus, *illuxiſſe.*

Contentionibus ] Mſ. Agr. *concertationibus.*

CAP. IX. Perrogarent sententias ] Sic Mſſ. Reg. Harl. Bodl. editio princeps & recentiores. Mſ. Guelf. & Puteolanus, *prorogarent.* Mſ. Jeſ. *prorogaret.*

Vulcatius Tertullinus ] Mſ. Reg. *Vulcanius Tetralinus.* Editio princeps, *Vulcanius Teturlinus.*

CAP. X. Protegi non poterat ] Mſ. Agr. *eripi non poterat.*

Corruptorque amicitiæ ] Bene Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Agr. & editiones veteres. Mſ. Corb. habet quoque *amicitiæ*, ſed omiſit *que.* Pichena & Recentiores e conjecturà Lipſii edidere, *corruptorque amici, & cujus ſe magiſtrum ferebat.* Mallet Heinſius, *correptorque amici.*

Cujus se magistrum ] Malè Mſ. Reg. & editio princeps, *cujus ſe ingratum.*

Motis ad ultionem animis ] Bene Lipſius & Recentiores. In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *motis adulationi animis.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *adulationibus.*

CAP. XI. Inter patres ] Bene Mſ. Guelf. Mercerus & Recentiores. Vulgò in Mſſ. & editionibus veteribus, *inter partes.*

Non Princeps ] Bene Mſſ. Flor. Harl. Jeſ. Pichena & Recentiores. In Mſſ. Reg. Bodl. & editionibus veteribus, *non principes.*

Urbem ingressus ] Ita Mſſ. & editiones veteres ac recentiores. Intermediæ quædam editiones, *in Urbem.*

Varique Arrii ] Bene Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Corb. Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Reg. Bud. & editione principe, *Arriique*, omiſſo *Vari.* Contrà Rhenanus omiſit, *Arrii.*

Vim Principis amplecti ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. & editio princeps. Puteolanus & Recentiores, *complecti.*

Cædes Calpurnii Galeriani ] Mſ. Corb. *cæde.* Vulgò in Mſſ. & veteribus editionibus, *Calphurnii.* At in nummis hujus gentis ſcriptum, CALPVRNIVS. Vide eruditum Vaillant, *Nummi antiqui familiarum.* Tom. I. pag. 206. & ſeqq.

Se ipse interfecit ] Ita Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. Ryckius & Recentiores. In Mſ. Reg. *ſeipſum interficit.* Editiones veteres, *ſeipſum interfecit.*

Asiaticus enim libertus ] Sic Mſſ. Reg. Corb. editio princeps, Erneſtus & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *Aſiaticus enim is libertus.* Mſ. Agr. *Aſiaticus etiam libertus.* Fortè

ob ſervile ſupplicium in margine fuerat notatum, *is enim libertus*, quod poſtea in ipſam narrationem tranſierit. Fortè etiam emendandum, *Aſiaticus autem libertus*. Conjiciebat Illuſtr. Huetius, *Aſiaticus, nempe libertus.*

CAP. XII. CREBRESCENTEM ] Mſſ. Reg. Jeſ. & editio princeps, *crebeſcentem.*

LEGIONUM HIBERNA ] Fruſtra Rhenanus, *legionum caſtra hiberna*; repugnantibus Mſſ. & veteribus editionibus.

TRANS RHENUM AGEBANT ] Mſ. Agr. *agitabant.*

INSULAM INTER VADA SITAM ] Bene Mſſ. Vatic. 1958. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Puteolanus & Recentiores. Corruptè Mſſ. Vatic. 1863 & Reg. *inſulam vocatam ſitam.* Mſſ. Vatic. 1864. Corb. & in margine Mſ. Vatic. 1863. *inſulam vata ſitam.* Mſ. Bud. *juvata ſitam.* Inde Colerus tentabat, *inſulam Batavam:* Lipſius, *inſulam Vahali aſſitam.*

MARE OCEANUS ] Bene Mſ. Reg. Sic quoque ſecundâ manu emendatum in Mſ. Harl. Primâ habebat, *Oceanum*, ut & libri omnes editi. Dixit quidem Julius Cæſar, Bell. Gall. III, 7. *P. Craſſus, adoleſcens, cum legione VII proximus mare Oceanum Andibus*, nunc *l'Anjou*, *hiemabat.* At *mare Oceanum* hìc in quarto caſu, non verò in primo, ponitur.

RHENUS AMNIS ] *Amnis*, abeſt a Mſ. Corb.

SOCIETATE VALIDIORUM ] Mſ. Jeſ. *validorum.* Malè Mſ. Reg. & editio princeps, *ſocietateve aliorum aſtricti.* Sic quoque ſecundâ manu in Mſ. Harl. In Mſ. Agr. *ſocietateve validiorum attriti.*

MOX AUCTA PER BRITANNIAM ] Bene Mſſ. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. Puteolanus omiſerat, *aucta.* Aberat quoque a Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Secundà manu additum eſt in Mſſ. Harl. Bodl. Guelf.

ERAT ET DOMI ] Sic Mſſ. Reg. Harl. & libri editi. In Mſſ. Flor. Bodl. Jeſ. Guelf. Corb. *erant.* Secundà manu emendatum in Mſ. Jeſ. *erat.*

PRÆCIPUO NANDI STUDIO ] Mſ. Reg. & editio princeps, *præcipuus nandi ſtudio.*

ARMA EQUOSQUE RETINENS ] Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps, *arma quoque retinens.*

RHENUM PERRUMPERE ] Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps, *Rhenum perrupere.* Mendosè quidem. Durum quoque *perrumpere*, ni ſuppleas, *Rhenum ſuetus*, vel *doctus*, *perrumpere.* Quod omiſſum videtur, cùm corrupta eſt ſcriptura in *perrupere.*

CAP. XIII. DISCRIMEN ADIIT ] Ita Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. & veteribus editionibus, *adit.*

Avertere ] Malè Mſſ. Flor. Corb. Agr. *adverteret*. Mſ. Reg. & editio princeps, *averteret*.

Accita Vitellio auxilia ] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *a Vitellio*. Præpoſitionem omittunt Mſſ. Flor. Corb. Agr. editio princeps & recentiores.

Redintegratum bellum ] Bene Mſſ. Corb. Guelf. Rhenanus & Recentiores. In Mſ. Reg. & editione principe, *reintegratum*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *redintegrandum*. Secundà manu in Mſ. Harl. *redintegratum*.

CAP. XIV. Desciscendi certus ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Agr. Guelf. editiones veteres & recentiores. Mſ. Bud. & Rhenanus, *diſcidii certus*.

Conquirendo ] Malè Mſ. Guelf. *conquirendos*.

Rursus impubes ] Ita Mſſ. Vatic. 1863 & 1864. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Vatic. 1958. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *impuberes*. In margine Mſſ. Bodl. *impubes*. Sic quoque ſuprà additum in Mſ. Vatic. 1958.

Et est plerisque ] Malè Mſſ. Corb. Agr. *& ex pleriſque*. Ryckii amicus tentabat, *ut eſt pleriſque*.

Et compositæ seditionis ] Ita Mſ. Reg. editio princeps, Erneſtus & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *& compoſiti ſeditionis auctores : perpulere* &c. Erneſto meritò placuit, *compoſitæ*, ut apud Livium IV, 13, *nec dum compoſitis maturiſve ſatis conſiliis*. Sic & Salluſtius, in Jugurth. cxix, *ita compoſito dolo, digrediuntur*. & Propert. II Eleg. II, 2.

*At me, compoſitâ pace, fefellit amor.*

Quando legatum...venire? ] Mſſ. & veteres editiones, *quando legatum... venire :* quod probat Cl. Erneſtus; & *quando* pro *quippe* accipit. At quomodo tunc ſtabit, *gravi quidem comitatu!* Redundabit *quidem*, quod tamen habent libri omnes. Præterea ad Batavos non mittebantur legati, ſed præfecti & centuriones, qui delectum agerent. Nec placet Davanzati: *E quanto ſi ſtarà a veder venire un legato con quel lungo codazo, e ſuperbo imperio?* In Mſ. Reg. & editione principe, *quendam legatum.. venire :* Mſ. Agr. *quando legatum... venire parum*. Quod minimè Cornelianum, licet Ryckio probatum.

Centurionibusque ] *Que*, abeſt a Mſſ. Bodl. Jeſ. Secundâ manu additum in Mſ. Harl.

Esse sibi robur ] *Eſſe*, abeſt a Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. & editione principe. In Mſ. Flor. ſecundà manu, *at ſibi robur*. Mſ. Bud. &.

Consanguineos Germanos ] Bene libri omnes editi. *Germanos*, abeſt a Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Bud. Guelf. Additum in margine Mſſ. Harl. Guelf.

Gallias idem ] Supra *Gallias* in Mſ. Vatic. 1958. ſcriptum *Gallos*.

CAP. XV. Canninefates ] Plinius IV, 15 meminit *Cannenufatum*; & vetus Inſcriptio apud Gruterum, pag. ccclxxxv. num. 1. alae primae cannanefatvm. Unde non malè Cl. Erneſtus edidit, *Canninefates*. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & veteribus editionibus, *Caninefates*. Mſ. Corb. infrà cap. 79. habet, *Cannmefates*. Ibidem editio princeps, *Canninefates*.

Mogontiaci agentes ] Ita Mſſ. Vatic. 1863. 1864. 1958. Bodl. & Puteolanus. Ptolemæo quoque II, 9. Μοκοντίακον. Malè Mſ. Reg. *Magontiana gens*. At ipſe infrà cap. 24, habet, *Mogontiaco*. Beroaldus & Recentiores, *Magontiaci*; quæ ſcriptura nonnumquam in Mſſ. reperitur.

Brinno ] Ita Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Agr. Ryckius & Recentiores. Malè Mſ. Reg. & editio princeps, *Brumo*. Nam mox infrà Mſ. Reg. habet, *Brinnonem*; editio princeps, *Brinonem*. Puteolanus, *Brenno*. Rhenanus e Mſ. Bud. *Brinio*.

Rebellis familiæ omine ] Mſſ. Reg. Corb. *rebelle*. Editio princeps, *rebellæ*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *omine*. Editio princeps, *homine*. Emendatum in recentioribus editionibus, *nomine*.

Proxima occupatu ] Optimè Lipſius & Recentiores. Malè Mſ. Flor. *proxima occupata*. Mſſ. Vatic. Harl. Bodl. Jeſ. Reg. Corb. & editiones veteres, *proximo occupata*. Beroaldus, *proximo occupato*.

In superiorem insulæ partem ] Ita Mſ. Corb. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *in ſuperiore inſulæ parte*. Mox editio princeps, *congregabantur*.

Quam robur. Quippe viribus cohortium abductis ] Malè Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Bud. Guelf. *quàm robur cohortium abductum*. Inde emendaverat Rhenanus, *quàm robur, cohortibus abductis*. Rectè emendatum in Mſ. Harl. *quàm robur. Quippe viribus cohortium abductis*. Sic quoque habent Mſſ. Reg. Corb. Malè Puteolanus, *cohortis*.

E proximis ] Mſ. Corb. *ex proximis*. Malè Mſ. Reg. & editio princeps, *ex primis*.

Armis oneraverat ] Ita Mſ. Vatic. 1958. Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Vatic. 1863. & editione principe, *armis ornaverat*.

CAP. XVI. Compressurum ] Ita Mſſ. Reg. Bud. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *oppreſſurum*.

Ducem ejus belli, sed Civilem esse, patuit ] In Mſſ. Reg. Agr. & editione principe, *ducem eſſe belli, ſed civilem, eis patuit*.

Directa ex diverso acies ] Malè Mſ. Reg. & editio princeps, *detecta ex diverſo acies*. Mallet Pichena, *directa ex diverſo acie*.

Tungrorum ]

Tungrorum] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & editio princeps, *Turingorum*. Solemni librariorum errore.

CAP. XVII. Celebrabantur] Mſ. Harl. *celebrantur.*

Spolia Romanorum] Mſ. Agr. *ſpolia Romana.*

Mutis animalibus] Malè Mſſ. Reg. Guelf. & editio princeps, *multis*. Fruſtra tentat Acidalius, *brutis.*

Hominum bonum] Ita Mſſ. Flor. Reg. Bud. Agr. editio princeps, Jac. Gronovius & Recentiores. Puteolanus, *hominis.*

CAP. XVIII. Sic in Gallias] Perperam in Lipſianis quibuſdam editionibus, *ſicut in Gallias.*

Mummium Lupercum] Ita Mſ. Agr. Ryckius & Recentiores. Mſſ. Vatic. 1958. Harl. Bodl. & Puteolanus, *Munium Lupercum.* Vitiosè Mſ. Vatic. 1863 & editio princeps, *munivit Lupercum.*

Fugeret] Malè Mſ. Bud. *fungeretur.*

Feminarum ululatu] Mſ. Bodl. *feminarumque ululatu.*

Oppidano certamine] Mſ. Vatic. 1958. *oppidanorum certamine.*

Invidiam apud populares] In Mſſ. Reg. Agr. & editione principe, *eſſet invidia apud populares.* Inde tentabat Ryckius, *invidiæ.* At potior eſt vulgata ſcriptura.

Avehitur] Bene Rhenanus & Recentiores. Malè Mſ. Reg. & editiones veteres, *advehitur.*

CAP. XIX. Acrius exposcerent] Mſ. Agr. *acriùs expoſtularent.*

Ne terreret abeuntes] Bene Mſſ. veteres & recentiores editiones. Malè Rhenanus, *teneret.*

Cunctaque quæ acciderant] Bene Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Agr. Puteolanus & Recentiores. Rhenanus e Mſ. Bud. in quo *qui cuncta*, emendaverat, *quin cuncta quæ acciderant.*

CAP. XX. Exponeret] Ita Mſſ. Flor. Reg. & editio princeps. Quod quoque Jacobo Gronovio probatum. Puteolanus ceterique, *exponerent.*

Lixarumque ignava] Bene Rhenanus & Recentiores. Malè Mſſ. & veteres editiones, *ignavia*: Gronoviis immeritò probatum. In Mſ. Harl. ſecundâ manu emendatum, *ignava.*

Circumfundant] Malè Mſ. Bud. & Rhenanus, *circumdant.*

Illi veteres militiæ, in cuneos congregantur] Bene Mſſ. Vatic. 1864. Flor. Reg. Agr. editio princeps & recentiores. Malè Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *illi veteris militiæ memores in cuneis congregantur.*

Tenuem nostrorum aciem] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Agr,

editiones veteres & Cl. Lallemand. Rhenanus aliique, *tenuem aciem noſtrorum.* Quod durius.

Suis plerique telis] Mſ. Corb. & editio princeps, *ſuis plerumque telis.* Mox Mſ. Harl. *interire*, pro *interiere.*

Cetero in itinere] Præpoſitio *in* abeſt a Mſ. Corb.

CAP. XXI. Exercitus ductor] Malè Beroaldus, *doctor.* Mſ. Agr. *juſti exercitûs jam ductor.*

Perfuga Batavus] Bene Mſſ. Reg. Harl. Corb. editio princeps & recentiores. Malè Puteolanus, *perfugus.*

Arbitrium rerum] Ita Mſſ. Flor. Reg. Bodl. Corb. Guelf. editio princeps, & Cl. Erneſtus. Puteolanus, *arbitrum*; ut ſuprà Annal. XIII, 14. Sic quoque ſuprà ſcriptum in Mſ. Bodl. Utrumque latinè dicitur.

Quæ ubi] Malè Beroaldus, *quippe ubi.*

CAP. XXII. Haud procul castris] Mſ. Vatic. 1863. *haud procul a caſtris.* Editio princeps, *haud procul a muris.*

Ni copiæ] Ita Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Agr. Puteolanus, aliique ante Lipſium. Veteris quoque ſcripturæ veſtigia retinet editio princeps, licèt corruptè habeat, *vi copiæ.* Sine ullâ neceſſitate Lipſius emendavit, *ut copiæ.* Quod Salinerio Ryckioque jam obſervatum.

Utramque Rheni ripam] A Mſ. Bud. abeſt *utramque.* At vocem illam habent alii omnes ſcripti & editi libri. Immeritò ergo illam aut deletam, aut in *utrimque* mutatam, vult Lipſius.

Veteranarum cohortium] Mſ. Corb. *veteranorum cohortium.*

Silvis lucisque] Ita Mſ. Corb. & recentiores editiones. In Mſ. Reg. & editione principe, *ſilvis luciſve.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *ſilvis jugiſque.* Fortè redundat *luciſque.* Addi potuit in margine a quodam, qui attendebat ad librum *de Moribus Germanorum*, VII. *Effigies & ſigna quædam detracta lucis in prælium ferunt.*

Mixta belli civilis externique facie] Ita Mſ. Flor. Pichena & Recentiores. In Mſ. Corb. & editione principe, *belli civilis externique mixtâ facie.* Mſſ. Bodl. Guelf. & Puteolanus, *juſtâ belli civilis externique facie.* Mſ. Jeſ. & Rhenanus, *juxta.*

Armatorum Romanorum] Bene Mſſ. editiones veteres, Pichena & Recentiores. Rhenanus, ſecutus unum ſuum Mſ. Bud. omiſerat, *Romanorum.* Dixit Tacitus, *Romanorum*, ut a quinque millium armatorum ſummâ excluderet ſervos, lixas, atque id genus hominum. Quod rectè obſervavit Pichena.

CAP. XXIII. Leniter exsurgens] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. & editio princeps. Hac voce jam uſus eſt Tacitus Hiſt. II, 14. Puteolanus & ceteri, *aſſurgens.*

Legiones nostras venirent ] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *veniretur.*

Sibi quæque gens consistunt ] Ita Mſſ. & libri editi. Pro *ſibi* mallet Rhenanus, *ſimul*; Cl. Erneſtus, *ſoli.* Vulgata ſcriptura, licèt a communi dicendi ratione aliquantiſper remota, non tamen diſplicet.

Pinnisque mœnium hærebant ] Male Mſ. Corb. *primiſque mœnium.* Pro *hærebant*, Mſſ. Reg. Agr. & editio princeps, *pendebant.* Quod probabat Gruterus.

Scandebantque jam quidam ] Ita Mſſ. Flor. Harl. editio princeps & recentiores. Copulam *que* omiſit Puteolanus. Omiſſa quoque fuerat in Mſ. Bodl. ſed ſecundâ manu fuit addita.

Sed tum ] Malè Mſſ. Corb. & Farneſ. *ſed tamen.*

Adversa quoque ] Mſ. Corb. *adverſa quæque.*

Nec ulla ipsis sollertia ] Mſ. Corb. *illis.* Malè Mſ. Reg. & editio princeps, *nullam ſibi ipſis ſolertiam.*

Docebant struere materias ] Bene Mſſ. Corb. Guelf. Rhenanus & Recentiores. Malè Mſ. Reg. & editio princeps, *ducebant.* In editionibus veteribus & Mſ. Reg. *machinas.*

In modum pontis ] Inter bellica Romanorum machinamenta eminebant turres, quas accuratè deſcripſit Vegetius, IV, 17. *Turres autem dicuntur machinamenta, ad ædificiorum ſpeciem, ex trabibus tabulatiſque compacta : & ne tantum opus hoſtili concremetur incendio, diligentiſſimè ex crudis coriis vel centonibus communitur. Quibus pro modo altitudinis additur latitudo; nam interdum tricenos pedes per quadrum, interdum quadragenos, vel quinquagenos latæ ſunt : proceritas autem ipſarum tanta ſit, ut non ſolùm muros, ſed etiam turres lapideas altitudine ſuperent. His plures rotæ mechanicâ arte ſubduntur, quarum lapſu volubili magnitudo tam ampla moveatur. Præſens autem periculum civitatis eſt, ſi ad murum fuerit turris admota : plures enim accipit ſcalas, ac diverſo genere conatur irrumpere. Nam in inferioribus partibus habet arietem, cujus impetus deſtruit muros : circa mediam verò partem accipit pontem, factum de duabus trabibus, ſeptumque de vimine, quem ſubitò prolatum inter turrim murumque conſtituunt, & per eum egredientes de machinâ bellatores in civitatem tranſeunt, & occupant muros. In ſuperioribus autem turris illius partibus contati & ſagittarii collocantur, qui defenſores urbis ex alto, contis, miſſilibus, ſaxiſque proſternant. Quo facto, civitas capitur ſine morâ. Quid enim auxilii ſupereſt, cùm hi qui de murorum altitudine ſperabant, repentè ſupra ſe aſpicient altiorem hoſtium murum?* Quomodo autem huic diſcrimini occurreretur, docet Vegetius capitibus ſequentibus. Eas quidem machinas, non mechanicæ artis peritiâ, ſed tormentariorum noſtrorum organorum igneâ vi vicimus.

Sperabantur ] Non ita bene Mſ. Agr. *ſpectabantur.*

CAP. XXIV. Cognito castrorum obsidio ] Mſ. Reg. *cognitâ caſtrorum obſidione.*

LECTOS E LEGIONIBUS] Ita Mſſ. Flor. Corb. Pichena & Recentiores. A Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. & editionibus veteribus abeſt præpoſitio.

DUOETVICESIMÆ LEGIONIS] Bene Mſſ. Flor. Reg. Bodl. Corb. editio princeps, Rhenanus ac Lipſius. Mſſ. Harl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores, *duodevicesimœ*. In Mſ. Vatic. 1958, *duodevicesimæ*: ſed ſupra ſcriptum *duoetvicesimæ*.

TRADIT] Mſ. Corb. *tradidit*. Quod mallem, cùm mox ſequatur, *celeraret*.

IPSE PAVIDUS, INVALIDUS CORPORE] In Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. & editione principe, *ipſe navibus*, *invalidus corpore*. Bene Pichena emendavit, *pavidus*. Puteolanus, *ipſe pavidus torpere*, omiſſis *invalidus corpore*. Fruſtra tentabat Lipſius, *ipſe pavidus*, *invalidus*, *torpere*.

EMISSAS A MOGONTIACO] Ita Mſſ. Reg. Harl. Jeſ. In Mſ. Bodl. *emiſſas Magontiaco*. In libris editis, *emiſſas a Magontiaco*.

ADSCIRI IN SOCIETATEM] Rhenanus, *acciri*.

INTERFECTO TRADITORE] Ita libri omnes ſcripti & editi. Suſpecta tamen vox, *traditor;* nec ante Tertulliani tempora Latinis auribus audita. Inde Heinſius tentabat, *traditove;* id eſt cuſtodiæ, quæ eum ad Imperatorem adduceret, tradito. Potiùs crediderim, hoſtibus *tradito*. Dictum ſuprà Annal. II, 66, *tradito Cotye*.

MALO OMINE] Mſ. Reg. & editio princeps, *a malo omine*.

VOCIBUS INSTINCTOS] Ita Mſſ. Flor. Reg. Agr. editio princeps, Pichena & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *vocibus inſiſtentes*. In margine Mſ. Harl. additum, *inſtinctos*.

FLAMMAVERE] Editio princeps & Mſ. Agr. ſed ſecundâ tantum manu, *inflammavere*.

RECITAVIT] Mſ. Corb. *recitaverat*.

CAP. XXV. BONNAM] Mſ. Corb. *in Bonnam*.

DIRECTAM... ACIEM] Mſ. Reg. & editio princeps, *directâ... acie*.

EXEMPLARIA] Bene Mſ. Reg. & libri omnes editi. In Mſſ. Flor. Bodl. Jeſ. Corb. Bud. Guelf. *exemplares*.

USURPANDI JURIS] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus addunt *causâ*. Illud autem eleganter omittunt Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores.

ARMATÆ] In Mſſ. Flor. Reg. Bud. Corb. & editione principe, *arma*. Quod immeritò probavit & edidit Jac. Gronovius, *converterunt* intelligens. In Mſ. Agr. *arma ſumpſere*. Sed, ut puto, eſt potiùs viri eruditi conjectura, quàm vetus ſcriptura.

OPTIMUS QUISQUE] In margine Mſ. Harl. *optimi quique*.

CAP. XXVI. INCOGNITA ILLI CÆLO] Ita Mſ. Reg. & libri omnes editi. *Illi* abeſt a Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Bud. Guelf. Additum eſt ſecundâ manu in Mſ. Harl.

In pace fors] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *ſors.*

Sextadecima legio] Malè Puteolanus & deinde ceteri omnes, *tertiadecima legio.* Emendandum, *ſextadecima*, rectè vidit Mercerus. Bene enim Mſſ. Reg. Agr. & editio princeps, *XVI legio.* Sic quoque infrà cap. 62. Mſ. Flor. *legio XVI.* Ibi quidem, vice versâ, Mſ. Reg. & editio princeps habent, *legio tertiadecima.* Mſ. Agr. *legio tredecima.* Nam legio tertiadecima erat in Pannoniâ. Sextadecima autem legio erat in Germaniâ inferiore, ut videre eſt in Notis & Emendationibus ad Hiſt. II, 6. Nec eſt quod Pichena Mercero objiciat ſextadecimanos a Vitellio in Italiam fuiſſe abductos, teſte ipſo Tacito Hiſt. III, 22. Primani, & quintani, & quintadecimani fuerant quoque abducti, teſte Tacito ibid. Paſſim tamen in hoc Civilis bello memorantur. At hæc geſta ante Cremonenſe prœlium, ut patet ex Hiſt. IV, 31. Præterea non integræ legiones, ſed earum partes mittebantur, quæ etiam ſupplebantur. Inde manebant legionum nomina. Confer Hiſt III, 22. Hiſt. IV, 35.

Cui Gelduba] Ita Mſ. Reg. editio princeps & recentiores. A Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. abeſt, *cui.* Illud quoque omiſit Puteolanus. In Mſ. Harl. ſecundâ manu additum eſt.

Accenderetur] Sic Mſ. Flor. editio princeps, Pichena & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *incenderetur.*

Ductus a Vocula] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. Præpoſitio abeſt a Mſſ. Flor. Bud. & editione principe. Eam quoque omiſit Rhenanus. In Mſ. Agr. *Voculæ.*

CAP. XXVII. Auctus et Germanorum] Malè Puteolanus, *auctus eſt Germanorum.*

Navem abripiunt] Bene Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf. Rhenanus & Recentiores. In editionibus veteribus, *arripiunt.*

CAP. XXVIII. Immensis auctibus] Bene Pichena e Mſ. Flor. Sic quoque Mſ. Covarruviæ. In Mſſ. Vatic. 1958 & Bodl. *actilus.* Supra ſcriptum autem, *auctibus.* Malè Mſ. Agr. *laudibus.* Editio princeps habet quoque, *actibus.* At cùm vox illa deeſſet in Mſ. Vatic. 1863, quem inſpexit Lipſius, emendabat, *immenſùm univerſa*, &c.

Alia manu... transire jubet] Vel *aliam manum*, vel *tranſiri*, emendandum videtur, ut Urſino, Faerno & Freinshemio jam obſervatum. Vulgatam tamen ſcripturam defendunt Ryckius & Erneſtus, aut *ſuos*, aut *duces populorum* intelligendo. Quod non ita probabile.

Quateret] Bene Mſſ. editiones veteres & recentiores. Malè Rhenanus, *quaterent.*

Quod gens Germanicæ originis] Bene Mſſ. Flor. Bud. Pichena & Recentiores. In Mſſ. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *quos genus Germanicæ*, &c. In Mſſ. Reg. Agr. & editione principe, *quod Germanicæ originis.*

Romanorum nomen, Agrippinenses vocarentur] Bene Mſſ. Flor. Reg. Agr. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *Romanorum nomine*, *Agrippinenſes vocarent.* *Romanorum nomen*, inſititia Grutero videbantur.

Prœlium poscentes] Male Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *bellum poſcentes.* Additum in margine Mſ. Harl. *prœlium.*

Nec finem labori nox attulit] Ita Mſ. Reg. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *ne finem quidem labori nox attulit.* Inde tentabat Jac. Gronovius, *ne nox quidem finem labori attulit.*

CAP. XXIX. Insignibus effulgens] Malè Mſ. Agr. *inſignibus armis effulgens.* *Inſignibus*, ita uſurpatum jam vidimus ſuprà Hiſt. I, 38. & Annal. I, 24.

Misceri cuncta] Bene Mſſ. & editiones veteres. Jac. Gronovius & Recentiores, *miſcere cuncta.*

Acciderat] Mſ. Agr. *accideret.*

Tendere arcus] Ita Mſſ. & libri editi. Fruſtra tentat Lipſius, *tendere armis.* Malè Acidalius, *tendere jactus.* Tendebant arcus adversùm Romanos, qui e ſummis mœnibus ferratas ſudes & gravia ſaxa jaciebant.

Prodesse virtus] *Virtus*, in Mſ. Reg. & editione principe perperam excidit.

Periculorum gnarus] Sic Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. & veteribus editionibus, *ignarus.*

In mœnia egressos] Bene veteres & recentiores editiones. In intermediis quibuſdam editionibus præpoſitio *in* eſt omiſſa.

CAP. XXX. Et incussæ trabes] In margine Mſ. Harl. *& incuſſis trabibus.*

Præcipuum pavorem] Mſſ. Reg. Agr. & editio princeps, *præcipuum terrorem.*

Intra castra] *Caſtra* abeſt a Mſ. Jeſ.

CAP. XXXI. Alpinus Montanus] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & editiones veteres, *Alpinius.* Aliàs habent quoque *Alpinus.*

Cunctabatur] Male Mſ. Jeſ. *conturbatur.*

Non vultu, neque animo] Mſ. Bodl. *non vultu, non animo.*

Conciperent] Mſ. Jeſ. *acciperent.*

CAP. XXXII. Suspiciones] Bene libri editi. In Mſ. Bodl. *ſuſpictiones.* In Mſ. Vatic. quem Lipſius inſpexit, *ſuſpectiones.*

Externa armis falsis] Ita Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Agr. editiones veteres & recentiores. Lipſius emendabat, *externa arma falſis.* In Mſ. Jeſ. *extrema armis falſis.*

LABORIS RECEPI ] In Mſ. Reg. & editione principe, *laborum*. Mſ. Flor. & editio princeps habent, *recepi*. Mſ. Reg. *recipi*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *cepi*.

QUOD PRÆMIUM ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Agr. editio princeps, Jac. Gronovius, & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *pretium*. In margine Mſ. Bodl. *præmium*.

SED MOLLIORA ] Bene Mſ. Flor. editio princeps & recentiores. Nec aliter Puteolanus & Mſſ. Harl. Bodl. licèt habeant, *moliora*. Mſſ. Reg. Jeſ. & Alciatus, *meliora*.

REDIIT ] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. editio princeps, Puteolanus & Beroaldus, *redit*.

CAP. XXXIII. SORORIS SUÆ FILIO ] Mſ. Agr. *ſororis ſuæ viro*. Corruptè Mſ. Reg. & editio princeps, *Claudio victores ſororis ſuæ victores ducibus*

INVOLAVERE ] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *involvêre*. In margine Mſ. Harl. *involavere*.

SUBSIGNANO MILITE ] Malè Mſ. Reg. & editio princeps, *ſubſignato milite*.

MEDIA FIRMARE ] Malè Mſ. Agr. & editio princeps, *mœnia firmare*.

TERGA IN SUOS VERTIT ] Omitti *in ſuos* perperam vult Muretus, quaſi in hoſtes, non in ſuos, terga verterent. At fugam versùs ſuos direxere, ut rectè animadvertit Cl. Erneſtus.

LATERA NOSTRORUM ] Mſ. Agr. & editio princeps, *latera noſtra*.

ROMANIS ADDIT ANIMOS ] *Romanis*, abeſt a Mſſ. Flor. Reg. Bud. & editione principe. In Mſ. Harl. *Romanis addidit animos*. Malè Mſ. Jeſ. *Romanus addidit* &c.

RECEPERE ] Malè Mſ. Agr. *ſuſcepere*. Licèt id probet Ryckius.

CAP. XXXIV. CIRCUMIRI ] In Mſſ. Reg. Agr. & editione principe, *circumveniri*.

NEQUISSET ] Mſ. Reg. & editio princeps, *nequiviſſet*. Mox in editione principe, *excidiſſent*.

EODEM IMPETU POTUIT ] Malè Rhenanus, *eo impetu*. In Mſſ. Flor. Agr. & editione principe, *potuit*. Puteolanus, *potuiſſet*.

CONFOSSUS ILLIC ] Mallet Freinshemius, *illicò*. Bene quidem. Sed & *illic*, id eſt eo ipſo in loco, dici poteſt; ut obſervat Cl. Erneſtus.

JUDICI FIDES ] Malè Mſ. Reg. & editio princeps, *judicii fides*.

DEPOSITIS IMPEDIMENTIS ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Bud. Agr. editio princeps, Jac. Gronovius & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ut depoſitis impedimentis*.

ADSUEVERANT ] Malè Puteolanus, *aſſeverant*.

CREDITA... FAMA ] Ita Mſſ. & libri editi. Mallet Lipſius, *deditâ*, vel *diditâ*. Rhenanus, *editâ... famâ.*

CAP. XXXV. QUI UBI RURSUS MISSOS ] Bene Mſſ. Flor. Agr. Bud. Pichena & Recentiores. *Ubi*, omiſere Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus. Corruptè Mſ. Reg. & editio princeps, *urbi*. Aliis malè emendatum, *qui reverſus miſſos.*

ONUSTIS PERCULSISQUE ] Ita Mſ. Agr. Ryckius & Recentiores. Mſſ. Flor. Reg. & editio princeps, *periculiſque*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. *vehiculiſque*. In margine Mſ. Bodl. *pauculis*. Sic quoque Puteolanus ceterique omnes ante Ryckium *pauculiſque*. Atque ita vertit Davanzati: *Nel ritorno s'andava a pericolo manifeſto, eſſendo i frumentieri carichi, e pochi.* Contrà Ryckium ſecutus eſt Cl. Gordon: *It remained no doubt what threatening danger muſt be incurred in the return, whilſt they who carried the grain were loaded, and indeed already diſmayed.* Dictum eſt ſuprà cap. 30, *pugnatumque eſt in perculſos.*

ADDIT EXERCITUI ] Bene veteres & recentiores editiones. In mediis quibuſdam editionibus, *addidit.*

QUINTA ET QUINTADECIMA ] Optimè Mercerus. Quintadecima enim legio, non verò quartadecima fuit in Germaniâ inferiore. Vide ſuprà Hiſt. III, 22. & quæ de legionibus dixerimus in Notis & Emendationibus ad Hiſt. II, 6. Malè Mſſ. Reg. Agr. & editio princeps, *quinta & decima*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *quinta & quartadecima*. At bene infrà cap. ſeq. iidem Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus habent, *quintanorum & quintadecimanorum*. In editione principe, *quintanorum & quintadecimorum.*

CAP. XXXVI. ACCENDEBATUR ] Malè Mſ. Agr. *accendebantur.*

EFFUSI IN LUXUM... CŒTUS, VETEREM... RENOVANT ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Rhenanus & Recentiores. In editione principe, *effuſus in luxum & epulas, & nocturnos cœtus miles, veterem in Hordeonium iram renovavit*. Sic quoque habent Mſſ. Reg. Agr. & Puteolanus, omiſſo tantùm *miles*. Manu ſecundâ additum eſt in Mſ. Agr.

CAP. XXXVII. PAVIDUM ] Bene Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Reg. & editione principe, *pavidus.*

VITELLIUS OCCIDISSET ] Ita Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Agr. Guelf. editiones veteres & recentiores. Rhenanus e Mſ. Bud. *corruiſſet.*

ET DUOETVICESIMANI ] Bene Mſ. Bodl. Malè Puteolanus ceterique omnes, *& duodeviceſimani*. Corruptè Mſ. Reg. *primum quartumque & duoviceſima manus*. Editio princeps, *& duoetviceſima manus.*

EX CATTIS ] Malè Mſ. Agr. *ex Caucis*. Mſſ. Bodl. Jeſ. *Cactis*. Editio princeps, *Cautis.*

SATIETATE

Satietate prædæ ] Non ita bene Mſſ. Reg. Agr. & editio princeps, *ſocietate prædæ.*

Nec incruenti. In via dispersos ] In Mſſ. Flor. Reg. & editione principe, *nec incruentari via diſperſos.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *nec incruentati. Ita diſperſos.* Mſſ. Agr. *nec incruenti. Via diſperſos.* Meritò receptum eſt, *incruenti.* Suſpecta enim *incruentare* & *incruentati. In viâ*, rectè conjecit Lipſius, quem omnes ſunt ſecuti.

CAP. XXXVIII. Is præerat provinciæ ] Bene Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Flor. Reg. Bud. & editione principe omiſſum, *præerat.* Inde fruſtra conjicit Jac. Gronovius olim ſcriptum fuiſſe, *is proc. provinciæ*, id eſt proconſul provinciæ. In Mſ. Agr. *is provinciæ præerat.*

Ne victoribus quidem ] Malè Mſſ. & veteres editiones, *nec.*

CAP. XXXIX. Januariis ] Mſ. Bodl. *Januarii.*

Tertio Juliano ] Bene Mſſ. Guelf. Jeſ. Rhenanus & Recentiores. Malè Mſſ. Flor. Reg. Agr. & editiones veteres, *Tito Juliano.* Mox cap. ſeq. habent, *Tertio.*

Tamquam transgredientem ] Ita Mſſ. Flor. Reg. editio princeps, Pichena & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *quòd tranſgredientem.*

Præponebatur ] Bene Mſſ. Reg. Harl. Jeſ. Agr. editio princeps J. F. Gronovius & Recentiores. Mſ. Bodl. & Puteolanus, *præferebatur.* At in margine Mſ. Bodl. additum, *præponebatur.* Rhenanus, *proponebatur.*

Vis penes Mucianum ] Bene Lipſius & Recentiores. In Mſſ. Bodl. Jeſ. & editionibus veteribus, *jus penes Mucianum*; ſolito librariorum errore. Mox *erat* a Rhenano perperam omiſſum.

Etiam populus ] Mſ. Agr. *& populus.*

Cupidine ] Mſ. Jeſ. *cupiditate.*

Abolet ] Mſ. Agr. *adimit.* Mendosè editio princeps, *adolet.*

Redit Urbi sua forma ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. Malè editio princeps, *redditur ſua forma legibus & muniis magiſtratuum.* Ita quoque Mſ. Reg. omiſſo, *redditur.*

CAP. XL. Ignotis adhuc moribus ] Mſſ. Guelf. Jeſ. *ignotus.*

Dilapsa, noscerent ] Bene Mſ. Reg. editio princeps, Erneſtus & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *delapſa.*

Neque animus ] Bene Mſſ. Flor. Reg. editio princeps, Lipſius & Recentiores. Mſſ. Bodl. Jeſ. & Puteolanus omiſere, *neque.* Secundâ manu additum eſt in Mſſ. Harl. & Guelf.

Junius Mauricus ] Bene Lipſius & Recentiores. Mſſ. Flor.

Harl. Bodl. Guelf. & Puteolanus, *Maricus*. Mſ. Agr. & editio princeps, *Martius*.
SUPER TALI RE PRINCIPEM ] Malè Puteolanus, *Princeps*.

CAP. XLI. SARIOLENUM VOCULAM ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Agr. & editione principe, *Sannolenum*. Mſ. Reg. *Sanelcium*. At mox Mſ. Reg. & editio princeps, *Sariolenum*.

NONIUM ACTIANUM ] Ita Mſ. Reg. Lipſius & Recentiores. In Mſſ. Harl. Guelf. & editione principe, *Novium*. Mſ. Agr. *Novum*. Puteolanus, *Nomium*.

SCRIBONIOS FRATRES ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Agr. editio princeps, Ryckius & Recentiores. Sic jam ſuprà Annal. XIII, 48. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *Scribonianos*.

CUJUS INTERROGATIONIBUS FATIGABATUR ] Editio princeps, *fatigaretur*. Mſſ. Harl. Bodl. & Puteolanus, *cujus fatigabatur interrogationibus*. Ita quoque Mſ. Jeſ. ſed habet, *fatigatur*.

CAP. XLII. VIPSTANIUS MESSALA ] Ryckius & Recentiores, *Vipſtanus*. Sed de hoc cognomine jam dictum eſt ſuprà cap. 9.

ORPHITI DOMUS ] Malè Mſ. Reg. & editio princeps, *Orfita domus*. Sic quoque ſecundâ manu emendatum in Mſſ. Vatic. 1958. & Harl. Mſſ. Bodl. Jeſ. *Orphitii*, vel *Orphicii*.

SUBIISSE ] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ſubiſſe*.

CRASSI UXOR ] *Uxor*, abeſt a Mſſ. Reg. Agr. & editione principe.

ADPETITUMQUE MORSU ] Ita Mſſ. Flor. Reg. editio princeps & recentiores. Copulam *que* omiſere Mſſ. Bodl. Jeſ. & Puteolanus.

HOC CERTE ] Bene Mſſ. Flor. Agr. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *hæc certè*. Mſ. Reg. *certò*.

NEC DIGNITATEM, AUT SALUTEM ILLA SÆVITIA REDEMISTI ] Optimè Lipſius & Recentiores. Perperam Mſſ. Vatic. Reg. Harl. & editio princeps, *nec dignitate hauſta litem illam ſævitiâ redemiſti*. Mſſ. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *nec dignitatem aut iſtâ lucem ſævitiâ redemiſti*.

SAGINATUS ] Optimè Faernus, Scaliger & Recentiores. In Mſſ. & veteribus editionibus, *ſignatus*. Lipſius primùm emendaverat, *dignatus*.

SEGNITIAM ] Mſſ. Corb. Agr. & editio princeps, *ſegnitiem*.

QUAM MORES ] Ita Mſſ. & libri omnes editi. Secundâ tantùm manu Mſ. Agr. *quàm hoies*, id eſt, *quàm homines*. Atque ita vertit Davanzati: *Ma gli uomini non vivono, quanto gli eſempi*. Longiùs Cl. Gordon: *But more laſting are the examples of juſtice and ſeverity, than is the good, but periſhing life of any mortal man*. Fruſtra tentat

Lipſius, *quàm amores*, vel *quàm auctores*. Minimè diſplicet, immo acutum eſt, *quàm mores*, eo ſenſu, quem in Notis explicavimus; utì jam obſervatum eſt Ryckio & Erneſto. Nec aliter vertit Coloma: *Pero lo que veo es, que duran mas los exemplos, que las coſtumbres.*

CAP. XLIII. Periculum facessisset ] Ita Mſ. Reg. Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Harl. Agr. & editione principe, *feciſſet*. Utrumque Latinè dicitur. Jam vidimus ſuprà Annal. I, 74. *Clariſſimo cuique periculum faceſſit.* & Annal. XIII, 35. *Inſonti periculum feciſſent.*

CAP. XLIV. Cœptatam libertatem ] Sic Mſſ. Flor. Bodl. Guelf. Puteolanus, Pichena & Recentiores. In Mſ. Jeſ. *cœptam libertatem*. Mſ. Reg. & editio princeps, *cœptam voluntatem*.

Octavium Sabinum Sagittam ] Sic Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. Guelf. Agr. & editiones veteres. In Lipſianis recentioribuſque editionibus omiſſum eſt, *Sabinum*; ſanè, quòd ſuprà Annal. XIII, 44, appelletur tantùm *Octavius Sagitta*. In Mſ. Reg. deeſt, *Sagittam*.

Senatorii ordinis ] In Mſ. Reg. & editione principe, *ſenatorio ordine*.

CAP. XLV. Patruitus senator ] Ita Mſſ. Vatic. 1863. Flor. Reg. editio princeps, Jac. Gronovius, & Recentiores. In Mſſ. Vatic. 1958. & Jeſ. *Patricius*. Mſſ. Harl. Bodl. *Patritius ordinis ſenatorum*. Puteolanus, *Patricius ordinis ſenatorii*. In Mſ. Agr. *Mallius Patruitus ſenator*. Fruſtra Lipſius tentat, *Patruinus*; licèt in margine Mſ. Vatic. 1958. additum ſit, *patri unus*.

Colonia Senensi ] Bene Mſſ. Vatic. 1958. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus habent *Senenſi*, & mox infrà *Senenſium*. In Mſ. Reg. & editione principe, *Semenſi* & *Semenſium*. In Mſſ. Vatic. 1863. Corb. & editionibus recentioribus, *Senienſi* & *Senienſium*. Memoratur quidem apud Gruterum, pag. CCCLXXII. num. 7.

PLEB. SENIENSIVM.

At oppidum illud Senia, nunc *Segna*, fuit in Dalmatià: vide Plinium III, 21. Hic verò agitur de colonià Senenſi, nunc *Sienne*, de qua Plinius III, 5. *Intus coloniæ .... Senenſis*. Reperit quidem Harduinus in Mſſ. Plinii *Senienſes*; at rectè edidit *Senenſis*.

Cognita causa ] Ita Mſſ. & libri editi, præter J. F. Gronovium qui edidit, *cognita juſſa*. Unde Illuſtr. Huetius emendabat, *cognito juſſu*. At verum eſt, *cognità causà*. Sic in Digeſt. libr. XLVII. Tit. 10. *de Injuriis & famoſis libellis*. leg. 17. ex Ulpiano. *Ait prætor ... causà cognità, ipſi qui injuriam accepiſſe dicetur, judicium dabo.*

Senensium plebes ] Mſſ. Harl. Jeſ. *plebs.*

Cyrenensibus ] Bene Mſſ. Harl. Jeſ. Rhenanus & Recentiores. In Mſ. Reg. & editione principe, *Cirenſibus.* Mſ. Bodl. & Puteolanus, *Cyrenſibus.* Mſ. Agr. *Cretenſibus.*

CAP. XLVI. Lectus in eamdem spem ] Malè Mſ. Reg. & editio princeps, *lectus eâdem ſpecie.* Fruſtra tentabat Muretus, *erectus in eamdem ſpem.* Cl. Erneſtus, *illectus*, vel *allectus.* Lectus enim e legionibus miles in ſpem militiæ ſtipendiorumque prætorianorum. Bene Davanzati, *e li eletti delle legioni ad eſſer pure Pretoriani.*

Pelli poterant. Ingressus castra ] Poſt *pelli poterant*, tranſpoſita fuerat una pagina in Mſſ. & editione principe. Errorem vidit & emendavit Puteolanus.

Et Urbi vicina ] Mſ. Agr. *Urbique vicina.*

Diduci ] Mſſ. Reg. Agr. & editio princeps, *deduci.*

Separatim adsistere ] Malè Mſſ. Flor. Reg. Guelf. & editio princeps, *ſeparati.*

Distrahi cœpere ] Mſ. Reg. & editio princeps, *incœpere.*

Destinarentur ] Ita Rhenanus & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. & editiones veteres, *deſtinaretur.*

Prensare commanipularium pectora ] Bene veteres & recentiores editiones. Suffragatur Mſ. Reg. licèt corruptè habeat, *prenſare cum manipularium præterea.* Malè Aldus, *cùm prehenſare manipularium pectora.* Fruſtra tentat Lipſius, *prenſare commanipulares, pectori* &c. Acidalius, *prenſare commanipularium dextras.*

Cervicibus innecti ] Bene Mſ. Flor. Lipſius & Recentiores. In Mſſ. Reg. Harl. Agr. & editione principe, *cervicibus injecta.* Puteolanus, *injecti*, utì placebat Ryckio. Mſ. Bodl. *invecti*; quod Rhenano probatum.

Oblatos agros ] Ita veteres editiones, Pichena & Recentiores. Sine neceſſitate Rhenanus, *oblatos ſibi agros.*

CAP. XLVII. Verane pauperie ] *Verâ* excidit in Mſ. Reg. & editione principe.

Pompeius Silvanus ] Bene Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. & editiones veteres. Malè Pichena & Recentiores, *Poppæus Silvanus.* Vide ſuprà Notas & Emendationes ad Hiſt. II, 86.

Summaque et ima ] Optimè Mſ. Agr. Berneggerus & Recentiores. In Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. & editionibus veteribus, *ſummaque etiam.*

CAP. XLVIII. Proconsul ] Ita Mſſ. Bodl. Jeſ. & editiones veteres. Jac. Gronovius e Mſ. Flor. *proconſule.* Sic quoque fuit primâ manu in Mſſ. Harl. Guelf. Secundâ emendatum, *proconſul.*

Supra petiero ] Fortè, & ex uſu Taciti, *repetiero*; utì Mureto aliiſque eruditis viris jam obſervatum.

Beneficiorum numerus ] Beneficia & beneficiarios ſola jam novit Eccleſia. Quid olim fuerint in militiâ Romanorum beneficia & beneficiarii paucis explicandum.

## *De Beneficiis & Beneficiariis.*

Beneficia gradus erant militiæ, ad quos milites beneficio Imperatoris, præfecti prætorio, proconſulis, prætoris, proprætoriſve, aut tribuni promovebantur. Promoti autem dicebantur *beneficiarii* Si privilegiis muniebantur, *principales beneficiarii* nominati ſunt. Hæc ſatis innuit Vegetius II, 7. *Beneficiarii, ab eo appellati, quòd promoventur beneficio tribunorum . . .* & paulo infrà. *Hi ſunt milites principales, qui privilegiis muniuntur. Reliqui munifices, quia munia facere coguntur.* Aliter Feſtus : *Beneficiarii dicebantur, qui vacabant muneris beneficio; e contrario munifices vocabantur, qui non vacabant; ſed munus reipublicæ faciebant.* Porro non tribunorum tantùm, ſed aliorum quoque magiſtratuum erant beneficia. Atque ut antiquioribus exemplis ſuperſedeam, ipſe Tacitus, Hiſt. I, 25 & IV, 48, beneficia præfecti prætorio, proconſulis, legati memorat. Et apud Suetonium in Tiber. XII, videre eſt Tiberium in ſuſpicionem veniſſe *per quoſdam beneficii ſui centuriones, a commeatu caſtra repetentes.* Sic quoque in Inſcriptionibus veteribus paſſim occurrunt non modò beneficia, ſed ſpes etiam beneficiorum, quam Gallicè dicimus *l'expectative*. Inſignis hac de re Inſcriptio exſtat apud Gruterum, pag. CCCXCIII. num. 5.

C. COELIO. ANICETO. MIL. COH. II. PR. SING<br>
TRIB. SPE. BENEFICIAR. HVIC. ORDO<br>
SANCTISSIMVS. DECVR. OB. SPEM<br>
PROCESSVS. EIVS. HONOREM. DECV<br>
RIONATVS. GRATVITVM. OBTVLIT<br>
QVI. VIXIT. ANN. XXIIII. M. V. D. II<br>
COELIA. PRIMA. MATER. FILIO<br>
DVLCISSIMO. SIMUL. NYMPHICVS. VOL<br>
CEAN. ET. SIBI. FECERVNT

Errant autem qui exiſtimant beneficiarios dictos fuiſſe, quòd obtentâ priùs militiæ vacatione, ad eamdem honeſtis conditionibus invitati redirent. Immo inter ipſa militiæ ſtipendia conferebantur beneficia, ut patet ex multis inſcriptionibus, ac maximè ex veteri lapide, apud eruditum Gori, *Inſcript. Antiq.* Tom. II, pag. 358, num. 1.

D. M.
Q. VOLCACIO. Q. F.
CELERI. MILITI
COH. VIIII. PR
BENEFICIARIO
TRIBVNI. ATTICI
MILITAVIT. ANNIS. VII
VIXIT. ANNIS. XXV

Si *principalium beneficiariorum* monumenta cognoſcere volueris, adi Gruterum, pag. DLI. num. 3. & Fabrettum, cap. III, num. 114.

Splendidam fuiſſe beneficiorum militiam innuit tum Tacitus, cùm Hiſt. I, 25, *primores militum per beneficia Nymphidii ſuſpectos* refert, tum expreſsè Valerius Maximus IV, 7. num. 5. de L. Petronio, qui *admodum humili loco natus ad equeſtrem ordinem, & ſplendidæ militiæ ſtipendia, P. Cælii beneficio pervenerat.* Adde Plinium, Ep. X, 32, quo teſte, Trajanus præceperat, ut Gabius Baſſus, præfectus oræ Ponticæ, *contentus eſſet beneficiariis decem, equitibus duobus, centurione uno.*

AUCTAQUE PRAVO CERTAMINE] Bene Mſ. Agr. editio princeps, Ryckius & Recentiores. Malè interpunxerat Puteolanus, *auctaque. Pravo certamine legatorum jus*, &c. In Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. *legatorum vis.*

CAP. XLIX. CUPIENS] Malè Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Bud. Guelf. *cupido.*

ET ADFINITATE] *Et*, habent Mſſ. Reg. Agr. editio princeps, & Ryckius. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores, *ſed.* Quod non ita convenit. In Mſ. Bud. *ſi.*

CREBRIS SERMONIBUS] *Crebris*, & mox *ad res novas*, omiſſa ſunt in Mſ. Agr.

ALIENATO] Peſſimè Mſ. Reg. & editio princeps, *alienatam.*

ET IN PACE SUSPECTA] Præpoſitionem *in* habent libri omnes. Rectè tamen omitteretur, ut Mureto, Grotio aliiſque jam obſervatum. Pro *ſuſpectâ*, malè Mſ. Reg. *ſuſceptum.* Editio princeps, *ſuſcepit.*

ALÆ PETRINÆ] Perperam Mſ. Reg. *paternæ.* Editio princeps, *peternæ.*

CECIDISSE GALERIANUM] Mſ. Bud. *ceſſiſſe.* Inde fruſtra tentat Rhenanus, *cæſos eſſe.*

UNAM IN AUDACIA] Mſ. Jeſ. *unâ.*

OSTENDERET] Mſ. Agr. *oſtentaret.*

LÆTA PISONI OMINA] Bene Acidalius, Erneſtus & Recentiores. In Mſſ. & veteribus editionibus, *omnia.*

CONTINUARE] Fruſtra tentat Groſlotius, *conclamare.* Non concla-

mavit tantùm, ſed læta hæc omina magnâ voce intentiſque clamoribus continuavit.

ADSTREPERENT] Mſ. Bodl. *obſtreperent.*

INDILIGENTIA VERI] Optimè Rhenanus & Recentiores. Malè Mſ. Reg. & editiones veteres, *viri.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *indulgentia.*

CARTHAGINIENSIBUS] Bene Cl. Lallemand; & ita paſſim Livius, Plinius aliique. In libris antè editis, *Carthaginenſibus.*

CAP. L. DESTRICTIS GLADIIS] Mſ. Harl. & veteres editiones; *diſtrictis.*

PŒNOS AUXILIARES, MAUROSQUE] In Mſ. Reg. & editione principe, *Pœnos, auxiliareſque Mauros.*

BEBIUS MASSA, E PROCURATORIBUS AFRICÆ] In Mſ. Reg. & editione principe, *procurator Africæ.* Quod certè melius, ſi unus fuerit procurator Africæ. At fortè plures fuere in hac provinciâ, populi Romani altrice. In Mſ. Reg. & editione principe omiſſum, *Maſſa.*

AD LEGIONEM CONTENDIT] Ita Mſ. Reg. editio princeps, Erneſtus & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *tendit.*

CETRONIUM] Mſ. Reg. *Secronium.* Editio princeps, *Cecronium.*

QUOSDAM PUNIIT] Ita Mſſ. Flor. Reg. editio princeps, Rhenanus & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *punit.*

ŒENSIUM] Peſſimè Mſ. Reg. *offenſam.* Editio princeps, *offenſum.* Mſ. Agr. *Aſpenſium.* Nec meliùs Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *Ophenſium.* Emendandum, *Œenſium*, duce Plinio V, 5, monuerunt Surita, Lipſius, Ryckius & Huetius. Fortè tamen ex nummo, quem edidit Cl. Pellerin, *ſecond Supplément aux Recueils de Médailles*, pag. 48 & 49, corrigendum *Ocenſium.*

ARCTÆ LEPTITANIS RES] Ita Mſſ. & veteres recentioreſque editiones. Rhenanus, *arta.*

VASTATIS AGRIS] Mſ. Agr. *vaſtis.*

CAP. LI. HIBERNUM MARE ADGRESSI] Ferretus mallet, *ingreſſi.* Sed nec peccat, *adgreſſi.*

CAP. LII. NI PARENS] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. Bud. Agr. Guelf. editio princeps, & Erneſtus. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ni pater.*

ATTOLLERE] Bene Mſ. Reg. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Guelf. & Puteolanus, *attolleret.* Mſ. Jeſ. *attollerent.*

CAP. LIII. CURAM RESTITUENDI ... CONFERT] Mſ. Corb. *cura.* Fortè ſcriptum fuit olim, *cura ... confertur.*

AB EO CONTRACTI] Mſ. Corb. *ad ea contracti.*

AVEHERENTUR ] Malè Mſ. Jeſ. *aveherent.*

UNDECIMO CALENDAS JULIAS ] Perperam Mſ. Jeſ. *XV Kal. Jul.* Ceteri libri ſcripti & editi, *XI Kal. Jul.* vel *undecimo Kalendas Julias.*

QUIS FAUSTA NOMINA ] Ita Mſſ. Vatic. 1863. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſ. Bodl. *quibus fauſta nomina.* Mſſ. Harl. Jeſ. & Puteolanus, *quibus fauſta omina.* Mſ. Agr. *quis fauſta omina.* In Mſſ. Harl. & Jeſ. ſuperſcriptum, *nomina.*

AQUA VIVIS E FONTIBUS ] Bene Jac. Gronovius & Recentiores. Sic apud Livium I, 45. *Quin tu antè vivo perfunderis flumine?* Peſſimè Mſ. Reg. *aquaturis e fontibus.* Mſ. Flor. *aquatrimis e fontibus.* Editiones veteres, *aquatrimis & fontibus.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. *aqua rivis & fontibus.* Emendaverat Ryckius, *aqua e vicinis fontibus.*

PERLUERE ] Mſ. Corb. *perlueret.* In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & veteribus editionibus, *pluere.* Mallet eruditus Antonius Auguſtinus, *perpluere.* At meliùs veriúſque, *perluere.*

PLAUTIO ÆLIANO ] Malè Mſſ. Vatic. Bodl. Jeſ. Corb. & editiones veteres, *Plauto Heliatio.* Emendatum poſtea in libris editis, *Plauto Eliano.* Nondum bene. Verè *Plautio Æliano*, ut habet Cl. Lallemand. Atque ita vertit Cl. Gordon: *preceded by Plautius Ælianus the Pontif.* Mſ. Harl. habet quoque, *Æliano.* Sic corrigendum jam conjecerat Ryckius; egregiumque hujus viri monumentum protulit. Exſtat viâ Tiburtinâ, ad pontem Luganum, *Ponte Lugano*, ubi villa, tumuluſque Plautiorum, Auguſti Hadrianique molium æmulus. Quod, cùm horum ſuperiorumque temporum res illuſtret, juvat accuratiſſimum edere ex Cl. Vulpio, *Vetus Latium.* Tom. X. Part. prim. pag. 340. & Cl. Piraneſi, *Antichita Romane.* Tabul. XI & ſeqq.

TI. PLAVTIO. M. F.....
SILVANO. AELIANO...
PONTIF. SODALI. AVG....
III. VIR. AAA. F. F. Q. TI. CAESARIS
LEGAT. LEG. V. IN. GERMANIA
PR. VRB. LEGAT. ET. COMITI. CLAVD
CAESARIS. IN. BRITANNIA. CONSVLI
PROCOS. ASIAE. LEGAT. PROPRAET. MOESIAE.
IN. QVA. PLVRA. QVAM. CENTVM. MILL
EX. NVMERO. TRANSDANVVIANOR
AD. PRAESTANDA. TRIBVTA. CVM. CONIVGIB
AC. LIBERIS. ET. PRINCIPIB. AVT. REGIBVS. SVIS
TRANSDVXIT. MOTVM. ORIENTEM. SARMATAR
COMPRESSIT. QVAMVIS. PARTĒ. MAGNĀ. EXERCITVS
AD. EXPEDITIONEM. IN. ARMENIAM. MISISSET
IGNOTOS. ANTE. AVT. INFENSOS. P. R. REGES. SIGNA
ROMANA. ADORATVROS. IN. RIPAM. QVAM. TVEBATVR
PERDVXIT. REGIBVS. BASTARNARVM. ET
RHOXOLANORVM.

RHOXOLANORVM. FILIOS. DACORVM. FRATR
CAPTOS. AVT. HOSTIBVS. EREPTOS. REMISIT. AB
ALIQVIS. EORVM. OPSIDES. ACCEPIT. PER. QVEM. PACEM
PROVINCIAE. ET. CONFIRMAVIT. ET. PROTVLIT
SCYTHARVM. QVOQVE. REGE. MACHERRONENSI
QVAE. EST. VLTRA. BORVSTENEM. OPSIDIONE. SVMMOTO
PRIMVS. EX. EA. PROVINCIA. MAGNO. TRITICI. MODO
ANNONAM. P. R. ADLEVAVIT. HVNC. LEGATVM
IN. HISPANIAM. AD. PRAEFECTVR. VRBIS. REMISSVM
SENATVS. IN. PRAEFECTVRA. TRIVMPHALIBVS
ORNAMENTIS. HONORAVIT. AVCTORE. IMP
CAESARE. AVGVSTO. VESPASIANO. VERBIS. EX
ORATIONE. EIVS. Q. I. S. S
MOESIAE. ITA. PRAEFVIT. VT. NON. DEBVERIT. IN
ME. DIFFERRI. HONOR. TRIVMPHALIVM. EIVS
ORNAMENTORVM. NISI. QVOD. LATIOR. EI
CONTIGIT. MORA. TITVLVS. PRAEFECTO. VRBIS
HVNC. IN. EADEM. PRAEFECTVRA. VRBIS. IMP. CAESAR
AVG. VESPASIANVS. ITERVM. COS. FECIT

Hæc omnia intellectu facillima, ſi in quartâ lineâ legeris, *triumvir auro, argento, ære flando, feriundo, quæſtor Tiberii Cæſaris:* in lineâ nonadecimâ, *Dacorum fratres:* in lineâ trigeſimâ primâ, Q. I. S. S. id eſt, *quæ infra ſcripta ſunt.* ITERVM. COS. FECIT, id eſt, *iterum conſulem fecit*, nempe inter ſuffectos. In lineâ vigeſimâ primâ ſcalptor mendosè ſcripſit, PER. QVEM. PACEM. pro PER. QVAE. PACEM. Expeditionem autem Armeniacam vidimus ſuprà Annal. XV, 1, 24 & ſeqq. Macherronenſis obſidio indicat ultrà Boryſthenem, hodie *Niéper*, oppidum antiquis ſcriptoribus nuſquam memoratum, quòd loca illa Romanis armis raró tentata.

SUOVETAURILIBUS] Bene Lipſius & Recentiores. Corruptè Mſſ. Vatic. 1863. Flor. Reg. Agr. & editio princeps, *bovetaurilibus.* Mſ. Covarruviæ, *bovetauribus.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *bove tauriſque.*

SUPER CESPITEM] Bene Mſſ. Flor. Reg. Harl. Jeſ. Agr. Corb. editio princeps, Rhenanus & Recentiores. Mſ. Bodl. & Puteolanus, *ſecundum ceſpitem.*

SED UT GIGNUNTUR] Mſ. Flor. & editio princeps, *ſed ut ſignantur.* Mſ. Corb. *& ut ſignanter.* Mſ. Agr. *victæ, ſed & ſignanter prædixere haruſpices*, &c. Quod Ryckio non diſplicet. At immeritò.

MAGNIFICENTIÆ] De Capitolio ejuſque magnificentiâ, antequam civilibus Flavianorum Vitellianorumque bellis conflagraret, diximus ſuprà in Notis & Emendationibus ad Hiſt. III, 72. De ejus reſtitutione hìc agendum.

## *De Capitolio a* VESPASIANO & DOMITIANO *Principibus reſtituto.*

UBI deferbuit bellorum civilium æſtus, reſque publica, Veſpaſiano Principe, acquievit, præcipua omnium cura fuit ut reſtitueretr Capitolium. Conſultum religioni, ut iiſdem tertiùm veſtigiis reponeretur: ſed, quod unum veteri magnificentiæ defuit, adjecta ædibus altitudo. Id quoque factum ob grandes columnas, quas memorat Suetonius in Veſpaſ. XVIII. In hoc imperii ſplendore, & cùm Veſpaſianus in religioſos publicoſque uſus foret munificentiſſimus, quàm magnificus fuerit in ædificando Capitolio facilè judicari poteſt. Ut annuis reditibus templum locupletaretur, juſſit Judæos, ubicumque degerent, Jovi Capitolino quotannis ſolvere didrachma, quod templo Hieroſolymitano, antequam everteretur, pendere erant ſoliti. Joſeph. Bell. Jud. VII, 6. num. 6. Fuiſſe in imperio Romano plus quàm vicies centena millia, ſeu 2,000,000, Judæorum, qui tributum illud ſolverent, nemo ſanè diffitebitur. Fuit ergo vel ex hac unâ tantùm parte annuus templi Capitolini reditus librarum Gallicæ monetæ plus quàm 2,900,000. Paucis annis ſtetit Capitolium a Veſpaſiano reſtitutum. Statim poſt ejus mortem incendio hauſtum eſt. Plutarch. in Poplicol. pag. 105.

Titus in Capitolii reſtitutionem confeſtim incubuit, ut videtur ex monumento fratrum Arvalium, apud eruditum Philippum a Turre, *Monumenta veteris Antii*, pag. 95. At, cùm præproperâ morte fuiſſet raptus, opus aggreſſus eſt frater ejus Domitianus, quartumque Capitolium ædificavit. Nihil ædium magnitudini, nihil altitudini addi poterat. Princeps, quo nemo fuit in ædificando ſumptuoſior, vertit curas, ut regum, reipublicæ, Cæſarumque opera multitudine pretioque ornamentorum ſuperaret. Non modò columnas marmoris Pentelici Athenis advexit: ſed in inauratis operibus, quod vel maximas privati unius hominis opes ſuperat, plus quàm duodecim millia talentorum, *Gallicæ monetæ libras* 65,362,500, impendit. Τούτου δὲ τοῦ καθ' ἡμᾶς τὸν μέγιστον ἐν Ῥώμῃ τῶν ἰδιωτικῶν πλοῦτον ἐκλογισθέντα, τὸ τῆς χρυσώσεως μὴ τελέσαι ἀνάλωμα, πλέον ἢ δισχιλίων καὶ μυρίων ταλάντων γενόμενον. Plutarch. loc. cit.

Novi equidem Radero aliiſque nonnullis eruditis viris hanc pecuniæ ſummam viſam eſſe immanem. At pace doctorum illorum virorum dixerim eos neque luxum hujus ætatis, neque prodigentiam Domitiani, neque multitudinem, magnitudinem, pretium inauratorum operum Capitolinorum ſatis attendiſſe. Is erat hujus ætatis luxus, ut in privatis domibus non *laquearia* tantùm, ſed & *cameræ* & *parietes* ipſi *tamquam vaſa* inaurarentur, teſte Plinio, XXXIII, 3. Talis

prodigentia Domitiani, ut omnia aurea gemmeaque vellet, teſte Plutarcho loc. cit. Quæ autem multitudo operum, cùm templi Capitolini *aditus omnes, omnes gradus totaque area hinc auro, hinc argento* reluceret, teſte Plinio in Panegyric. LII? Quæ magnitudo, cùm cogitas templum ducentos pedes longum, totidem ferme latum, tectum fuiſſe inauratis tegulis æreis, quarum poſtea partem maximam Gizerichus, Vandalorum rex, in Africam aſportavit: ejus faſtigia quadrigis, coloſſeis ſtatuis, aliiſque plurimis inauratis ornamentis effulſiſſe, utì adhuc videre eſt in Domitiani nummis? Quid nunc porticus, quid veſtibulum loquar, cùm vel ipſæ portæ craſſiſſimis & ponderoſiſſimis obductæ eſſent laminis aureis, quas a Stilichone, Honorii duce, ablatas memorat Zoſimus, libr. V. Οὗτος γὰρ, Στελίχων, θύρας ἐν τῷ τῆς Ῥώμης Καπιτωλίῳ, χρυσίῳ πολὺν ἕλκοντι σταθμὸν ἠμφιεσμένας, ἀπολεπίσαι προστάξαι. Hæc templi extera: majores intus opes. Si, vel in primo templo Capitolino, fictilis Jupiter aureum teneret fulmen quinquaginta pondo (*libræ* ſunt *Gallicæ monetæ* 47,250), quantò plus auri impendit Domitianus, ut Jupiter non modò aureum haberet fulmen, ſed ut tota ejus effigies, ejus ſceptrum, ejus ſolium auro renideret? Quantæ impenſæ in Junonis Minervæque cellis! Adde nunc innumera deorum ſimulacra: adde inaurata laquearia: adde cetera parietum totiuſque templi aurea decora. Hæc ſi animo comprehenderis, ſimulque reputaveris quantum in urbe maximâ, maximo luxu, exquiſitiſſimiſque artibus foret manipretium, nihil eſſe nimium in pecuniæ ſummâ, quam Plutarchus adſignavit, facilè deprehendes.

Neque quis dixerit aurum eſſe ſequax ac ductile, Romanoſque artem illud dilatandi noviſſe. Id certè Romani novere, ſiquidem auri unciam *in ſeptingenas & quinquagenas, pluresve bracteas, quaternûm utroque digitorum* dividebant, teſte Plinio XXXIII, 3. At in præcipuis perennibuſque operibus, craſſioribus utebantur bracteis. Sic inauratum fuerat Fortunæ Præneſtinæ ſimulacrum. Unde Plinius loc. cit. *Craſſiſſimæ ex his* bracteis *Præneſtinæ vocantur, etiamnum retinentis nomen, Fortunæ inaurato ibi fideliſſimè ſimulacro.* Et ſanè, ſi Domitianus craſſiores illas bracteas non induxiſſet, numquam eviluiſſet ſecundum templum Capitolinum, cujus & tegulæ & laquearia, & alia quamplurima ornamenta erant inaurata, inſuper ab Auguſto, magnificentiſſimo Principe, refectum. Eviluerat tamen, nec reperti, niſi ſenes aliquot, qui illud laudarent, non ob opes, ſed vel antiquitatis ſtudio, vel, ut opinor, ob ſymmetriam columnarum: nam Domitianus, cùm craſſitiem columnarum marmoris Pentelici imminuiſſet, nonnihil venuſtatis addiderat, ſed aliquid ſymmetriæ detraxerat, teſte Plutarcho, loc. cit. Ceterùm vilius fuerat ſecundum templum Capitolinum. Inde Martialis, Epigramm. V, 10.

*Eſſe quid hoc dicam, vivis quòd fama negatur,*
*Et ſua quòd rarus tempora lector amat?*

*Hi ſunt invidiæ nimirum, Regule, mores,*
*Præferat antiquos ſemper ut illa novis :*
*Sic veterem ingrati Pompeii quærimus umbram ;*
*Et laudant Catuli Julia templa ſenes.*

Domitiano, qui immenſas opes in Capitolio impenderat, ingenioſè adulatur idem poeta, Epigramm. IX, 4.

*Quantum jam ſuperis, Cæſar, cæloque dediſti,*
*Si repetas, & ſi creditor eſſe velis.*
*Grandis in ætherio licèt auctio fiat Olympo,*
*Coganturque dei vendere quidquid habent :*
*Conturbabit Atlas, & non erit uncia tota,*
*Decidat tecum quâ pater ipſe deûm.*
*Pro Capitolinis quid enim tibi ſolvere templis,*
*Quid pro Tarpeiæ frondis honore poteſt ?*
*Quid pro culminibus geminis matrona Tonantis ?*
*Pallada prætereo : res agit illa tuas.*
*Quid loquar Alciden, Phœbumque, pioſque Laconas :*
*Addita quid Latio Flavia templa polo ?*
*Exſpectes & ſuſtineas, Auguſte, neceſſe eſt :*
*Nam tibi quod ſolvat, non habet arca Jovis.*

His impenſis ſuâque luxurie publicam pauperiem fecerat Domitianus. Liberalitate publicæ paupertati ſubvenit Trajanus, Princeps optimus. Capitolium quoque ornavit, privatâ Domitiani luxurie Jovi ſacratâ. Id celebrat Martialis, Epigramm. XII, 15.

*Quidquid Parrhaſiâ nitebat aulâ,*
*Donatum eſt oculis, deiſque noſtris.*
*Miratur Scythicas virentis auri*
*Flammas Jupiter, & ſtupet ſuperbus*
*Regis delicias, graveſque luſus.*
*Hæc ſunt pocula, quæ decent Tonantem :*
*Hæc ſunt, quæ Phrygium decent miniſtrum.*
*Omnes cum Jove nunc ſumus beati :*
*At nuper, pudet, ah pudet fateri,*
*Omnes cum Jove pauperes eramus.*

Immo Trajanus, tertio ſuo conſulatu, videtur auro ſolido Jovis, Junonis ac Minervæ ſtatuas feciſſe. Quod ſatis innuit Martialis, Epigramm. XI, 5.

*Sacra, Lareſque Phrygum, quos Trojæ maluit heres,*
*Quam rapere arſuras Laomedontis opes :*
*Scriptus es æterno nunc primùm Jupiter auro,*
*Et ſoror, & ſummi filia tota patris :*
*Et qui purpureis jam tertia nomina faſtis,*
*Jane, refers Nervæ, vos precor ore pio.*
*Hunc omnes ſervate ducem, ſervate ſenatum :*
*Moribus hic vivat Principis, ille ſuis.*

Nunc verò ſi templum Jovis Capitolini cum celebratiſſimis olim templis Beli, Babylone ; Jovis, Thebis in Ægypto ; Dianæ, Epheſi ; aut etiam cum templo Hieroſolymitano conferamus, templa quidem illa omnia auri ſpecie tum internâ, tum externâ vicit templum Capitolinum.

Vincebatur autem magnitudine. Victum quoque eſt Hieroſolymitani & Babylonici templi opibus. Hieroſolymitani ſatis perſpecta omnibus opulentia ; de quâ adhuc opportuniùs dicetur in Notis & Emendationibus ad Hiſt. V, 8. Opes autem templi Babylonici, earumque pondera, quæ efficiunt libras Gallicæ monetæ ampliùs, quàm 400,000,000, ſingulatim recenſet Diodorus Siculus II, 9. pag. 70. Nec mirum tantas fuiſſe opes in templo Babylonico, cùm Cyrus, Perſarum rex, captâ Babylone, devictâ Aſiâ, teſte Plinio, XXXIII, 3, *quingenta millia talentorum argenti* reportaverit, & *craterem Semiramidis, cujus pondus quindecim talenta colligebat* : quæ duo efficiunt Gallicæ monetæ libras 2,614,578,435. Hac noſtrâ ætate alter Perſarum rex, *Thamas-Kouli-Kan*, Mogolicas opes potitus, reportavit, minimâ quidem æſtimatione, *roupiarum* argenti centum undecim *Kiurours*, ut loquuntur : quod efficit monetæ Gallicæ libras 2,497,500,000. Immo alii, & ipſe Cl. Voulton, tunc medicus Imperatoris Mogolici *Muhammed-cha*, ſcripſere a *Thamas-Kouli-Kan* reportatos eſſe trecentos *Kiurouros*, Gallicæ monetæ libras 6,750,000,000. Quod inflatiùs ſcriptum puto.

De Jovis Thebani, Epheſiæque Dianæ templorum opibus non ita compertum. Notæ vero eorum magnitudo & magnificentia, quibus templo Capitolino antecellebant. De Dianæ templo vide Plinium XXXVI, 14. Thebis autem manent adhuc templi Jovis rudera, quæ exhibet Cl. Pococke, *Deſcription of the Eaſt.* Tom. I. pag. 92. tabul. XXVIII. Ex iis ruderibus conſtat templum illud habuiſſe longitudine plus quàm mille & quadringentos pedes, latitudine trecentos quinquaginta : ambitum verò fuiſſe trium millium & quingentorum pedum.

Inter tanta templorum decora, nihil habet ætas noſtra quod invideat. Summorum Pontificum ſtudio pietateque factum, ut, religione victores, templi quoque majeſtate vinceremus. His omnibus templis præſtat divi Petri in Vaticano templum, maximum artis miraculum, omnibus retro ſæculis inauditum. Tanta autem eſt ejus amplitudo, ut, cum periſtylio ædibus appoſito pateat mille ſexcentos pedes longitudine, ambitu quatuor millia pedum colligat.

CAP. LIV. Vel externum ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Agr. Guelf. editiones veteres & recentiores. Rhenanus ac Lipſius omiſere, *vel.*

Finem imperio ] Sic Mſſ. Flor. Reg. Agr. editio princeps, Ryckius & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. & Puteolanus, *finem imperii.* Mſ. Jeſ. *imperii finem.*

Crederent ] Bene Mſſ. & veteres recentioreſque editiones. In intermediis, *crederetur.*

Bellorum Civilium ] *Civilium* abeſt ab editione principe.

Et interna mala ] Malè editio princeps, & *intervalla.*

CAP. LV. Nihil prorupit ] Mſ. Agr. *erupit.*

Ante alios ] Ita Mſſ. Vatic. 1863. Flor. Reg. Agr. Covarruviæ, editio princeps, Pichena & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *anteibat alios.* Jam dictum ſuprà Annal. I, 27. *Maximè infenſi Cn. Lentulo, quod is ante alios ætate & gloriâ belli.*

Ipse e majoribus ] Ita editio princeps, Lipſius & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. & Puteolanus, *is ſe e majoribus ſuis, hoſtis* &c. Mſ. Jeſ. *is ſe e moribus ſuis* &c. Mallent Mercerus & Pichena, *ipſe e majoribus ſuis hoſtes populi Romani, quàm ſocios, jactabat.* Fortè tamen non ita peccat vulgata ſcriptura. Nempe ipſe, ob majores ſuos, ſe hoſtem potiùs populi Romani, quàm ſocium jactabat. *Hoſtis* & *ſocius* ſunt quoque in Mſſ. Reg. & Guelf.

Hic Lingon ] Ita Puteolanus & Recentiores. Nec variant Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & ſæpe in iis Hiſtoriarum libris memorantur, *Lingones.* Habet tamen Mſ. Flor. *Lingonus.* Mſſ. Reg. Agr. & editio princeps, *Lingonius.* Fortè Romani dixere, *Lingonus.* Sic enim de Gallo quodam Lingono Martialis, VIII, 75.

*Dum repetit ſerâ conductos nocte penates*
*Lingonus a tecti Flaminiâque recens:*
*Expulit offenſo vitiatum pollice talum,*
*Et jacuit toto corpore fuſus humi.*
*Quid faceret Gallus, quâ ſe ratione moveret?*
*Ingenti domino ſervulus unus erat*, &c.

Hi secretis ] Bene editiones veteres & recentiores. In Mſ. Bodl. & intermediis editionibus, *his.*

Scrutari ] Tentat Pichena, *ſcrutati.* Quod certè vitioſum non foret. Sed nec peccat vulgata ſcriptura.

Obstrinxere ] Editio princeps, *aſtrinxere.* Perperam in margine Mſ. Bodl. *obſtringere.*

In domum ] Præpoſitio *in*, abeſt a Mſ. Jeſ. Addita eſt ſecundâ manu in Mſ. Harl.

Cum maxime ] Ita Rhenanus & Recentiores. Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *tum maximè.* Editio princeps, *tamen maximè.*

Detineri ] Sic Mſ. Reg. editio princeps & Erneſtus. Mſſ. Harl. Bodl. Guelf. & Rhenanus, *diſtineri.* Puteolanus, *deſtineri.* Malè Mſ. Jeſ. *deſtinari.*

Dispecturas ] Bene Recentiores. In Mſſ. & veteribus editionibus, *deſpecturas.* Mſ. Reg. & editio princeps, *alias deſpecturas.* Mſ. Agr. *altiùs deſpecturas.* Redundant *alias* & *altiùs.*

CAP. LVI. Pertinaciam accenderent ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Agr. editio princeps, Erneſtus & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *pertinaciâ accenderentur.*

Consilii forma ] Ita Mſ. Reg. editio princeps, Erneſtus & Re-

centiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *concilii.* Sic quoque vertit Davanzati : *Così conchiuſe la prima dieta.* At Cl. Gordon: *This was the ſubſtance of their firſt conſultation.*

Concitores belli ] Mſ. Jeſ. *concitatores.*

Infidis ] Mſ. Reg. & editio princeps, *invidis.*

Optimum ] Mſ. Agr. & editio princeps, *opportunum.*

Mutua dissimulatione ] Mſ. Bodl. *diſcordiâ.* At in margine habet, *diſſimulatione.*

Artibus grassari ] Ita Mſ. Agr. Puteolanus & Recentiores. Nec variant Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. A Mſſ. Flor. Reg. & editione principe abeſt, *artibus.* Quod quidem probabat Jac. Gronovius, ne *artes* de iis fraudibus dicerentur. At *artes* eo ſenſu a Livio Salluſtioque uſurpatas fuiſſe meritò obſervat Cl. Erneſtus.

Extra conventum amandatum ] Bene Mſ. Agr. Rhenanus & Recentiores, *conventum.* In Mſ. Reg. & editionibus veteribus, *commentum.* Mſ. Flor. *comtum.* Mſſ. Harl. Jeſ. *continentem amnem.* Mſ. Bodl. *commentum amnem*; & in margine *continentem* pro *commentum.* Inde tentabat Boxhornius, *extra continentem amandatum.* At meliùs, *conventum.* Amandatus enim fuerat extra conventum Batavorum, & in Friſios avectus, ut dictum eſt ſuprà Hiſt. IV, 18. Tantò meliùs autem dicitur conventus, quòd plures convenirent populi, Batavi, Canninefates, Marſaci. Sic apud Plinium III, 3. & V, 29. multi populorum conventus celebrantur. *Amandatum* habent Mſſ. Agr. Bodl. Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Reg. & editione principe, *emendatum.* Ita quoque Mſſ. Harl. & Jeſ. in margine.

Betasiorum ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus. In Mſ. Reg. & editione principe, *Becaſiorum.* Mſ. Guelf. *Bertaſiorum.* Alii *Bethaſiorum.* Plinio quidem IV, 17, memorantur *Betaſi.* At iidem in Inſcriptione veteri appellantur cives betasii. Eorum memoria manet adhuc in vico *Bets*, teſte Bucherio, *Belgium Romanum*, pag. 184.

CAP. LVII. Numina ] Bene Rhenanus & Recentiores. In Mſ. Reg. & editione principe, *nomina.* Mſ. Bodl. & Puteolanus, *omina.* Mſſ. Harl. Jeſ. *omnia.* In margine Mſ. Harl. *omina.*

CAP. LVIII. Hostium ut finem ] Ita libri omnes ſcripti & editi. Malè tentat Lipſius, *portum & finem.* Id enim minimè Cornelianum eſt. Ita tamen vertit Cl. Davanzati : *Io odo volentieri che ſi cerca la morte mia, la quale in tali mali aſpetto per porto a uſcire d'affanni.* Nec feliciùs conjiciebat idem Lipſius, *honeſtam ut finem.* Pichena, *hodie ut finem.* J. F. Gronovius, *otium & finem.* Trillerus, *oſtium & finem*, quia, inquit, juxta Stoicos mors oſtium eſt felicitatis & finis miſeriarum. Cl. Erneſtus exiſtimat *hoſtium* redundare,

tractumque fuiſſe ex proximo, *jus hoſtium*. At retineri poteſt, ut in Notis explicavimus. Nec diſplicuit Cl. Gordon, qui vertit, *many calamities from our enemies.*

ADEO NOS ] Mſſ. Harl. Agr. & Ryckius, *adeò vos*. Ceteri omnes *adeò nos*. Paulo vividior erit oratio, ſi *vos* legatur.

VIRTUSQUE ] Hæc abſunt a Mſ. Bud.

PRÆOPTAVERINT ] Ita veteres & recentiores editiones. In intermediis, *præoptaverunt*.

CUM MAXIME ] Ita Mſ. Reg. editio princeps, Rhenanus & Recentiores. Mſ. Bodl. & Puteolanus, *nunc maximè*. Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf. *quor*, vel *cur nunc maximè*.

SUFFECIT ] Bene Lipſius, Pichena & Recentiores. Malè in Mſſ. & veteribus editionibus, *ſufficit*. Jam enim acceperant donativum.

SANE EGO ] Mſ. Reg. & editio princeps, *ſin ego*. Puteolanus ac ceteri omnes *ſanè*. Nec variant Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ.

CENTURIO DENIQUE, AUT MILES ] Ita editiones veteres & Recentiores. Mſ. Reg. *& miles*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Rhenanus, *centurioque aut miles*. Senſus autem eſt: ſunt alii legati, tribuni, centurio denique, aut etiam miles, ex quibus ducem eligere poteſtis.

TOTO TERRARUM ORBE ] *Toto* diſplicet Cl. Erneſto. Mallet *tantùm*. Meliùs, *toto*.

AN SI ] Mſ. Bodl. *aut ſi*. Mſſ. Harl. Jeſ. *at ſi*. Rectè emendatum in Mſ. Harl. *an ſi*.

TUTORI TREVERO ] In Mſ. Flor. *Tutorin'*. Mſ. Reg. *Tutor in Treviros*. Editio princeps, *Tutor in Treviro*. Inde ſcriptum olim, *Tutorine Trevero*, vult Jac. Gronovius. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *Tutori Treviro*.

OCTINGENTOS ET VIGINTI ] Malè Mſ. Guelf. *ducentos & XX*.

SI VOBIS NON FUIT CORDI ] A Mſ. Bud. aberat, *cordi*. Inde emendavit ediditque Rhenanus, *ſi vobis non fuit*, id eſt, licuit. Quod meritò reprehendit Lipſius. Tacitus imitatur Livium, IX, 8. *Vos, Dii immortales, precor quæſoque, ſi vobis non fuit cordi Sp. Poſtumium, T. Veturium conſules, cum Samnitibus proſpere bellum gerere; at vos ſatis habeatis, vidiſſe nos ſub jugum miſſos.*

CAP. LIX. FLAGITIUM NAVAVERAT ] Sic infrà Hiſt. V, 25. *Si Veſpaſiano bellum navaverint.* Sic quoque Tullius, Ep. ad familiar. VI, 1. *Nemo eſt tam afflictus, qui, ſi nihil aliud ſtudeat, niſi id quod agit, non poſſit navare aliquid, & efficere.* Idem Ep. IX, 2. *In literis, & libris, ut doctiſſimi veteres fecerunt, navare rempublicam, & de moribus, ac legibus quærere.*

OCCISIS MOGONTIACI TRIBUNIS ] Malè Mſ. Reg. & editio princeps, *occiſi Maguntiaci tribuni*.

CAP.

CAP. LX. Pactus prædam ] Mſſ. Bodl. Jeſ. *præda.*

Ac qui ipsos leves ] Ita Rhenanus, Erneſtus & Recentiores. Mſ. Agr. & Ryckius, *& qui.* Mſſ. Flor. Reg. & editio princeps, *at qui:* unde Pichena emendavit, *atque ipſos.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *aut qui. Leves* Ryckius & Erneſtus intelligunt de cuſtodibus levis armaturæ. Quod ſic explicari vix patitur Latinitas. *Leves* dicuntur, quòd priùs fuerant ſpoliati. Ita vertit Davanzati. *E con eſſi manda gente che ritenga i danari, ragazi, e ſalmerla, e gli accompagni a irſene ſvaligiati.* Nec aliter Cl. Gordon. *Then aſſigned guards to detain and ſecure the money, ſlaves and baggage, with others for a convoy tho the men, who were departing thus diveſted of all.*

CAP. LXI. Propexum ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Reg. & editione principe, *perpexum.* Mſ. Agr. *perplexum.*

Arbitrantur deas ] Ita Mſ. Reg. editio princeps, & recentiores. Mſſ. Harl. Jeſ. & Puteolanus, *arbitrentur.*

Veledæ ] Sic Mſſ. Flor. Agr. & editiones recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *Velledæ.* Mendosè Mſ. Reg. & editio princeps, *Tede.* Sed mox infrà cap. 65. in Mſ. Reg. *Veledam*; quam quoque Dio, LXVII. pag. 761, appellat τὴν Βελήδαν.

CAP. LXII. Legio sextadecima ] Bene Mſ. Flor. Malè ceteri Mſſ. librique editi *legio XIII*, vel *legio tertiadecima.* Vide jam notata ſuprà cap. 26.

Inhonora signa ] Optimè Victorius, Lipſius & Recentiores. Mſſ. Flor. Reg. *in hora ſigna.* Mſ. Agr. & editio princeps, *in ora.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *innexa ſigna.* Fruſtra Jac. Gronovius e Mſ. Flor. tentat, *viliora ſigna.*

CAP. LXIII. Sævitia ingenii ] Bene Lipſius, Pichena & Recentiores. In Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. & editionibus veteribus, *ſævitiâ ingenti.* Rhenanus emendaverat, *ingenitâ.*

CAP. LXIV. Et præcipuo ] Ita Mſſ. Flor. Agr. Corb. editio princeps, Ryckius & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ſed præcipuo.*

Ac terras ] Mſ. Corb. *ac terram.* Editio princeps, *& terram.*

Rata sit ] Bene Mſſ. Reg. Agr. editio princeps, Erneſtus & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *rata ſint.*

Etiam fera ] Mſſ. Harl. Jeſ. *& fera.*

Clausa teneas ] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Reg. & editione principe, *clauſa tenetis.* In Mſ. Corb. *incluſa.*

Lucem diemque ] Sic Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Agr. Puteolanus, Pichena & Recentiores. Pariter Plinius, in Panegyric. cap. 45. *Bonos autem otio, aut ſitu abſtruſos, & quaſi ſepultos, non niſi delationibus & periculis in lucem ac diem proferebant.* Mſſ. Vatic. 1863. Reg. editio princeps, & Lipſius, *lucem noctemque.*

Abruptis voluptatibus ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Agr. Corb. Lipſius & Recentiores. Malè Mſ. Reg. & editio princeps, *voluntatibus.* Puteolanus, *vectigalibus.*

Imperitabitis ] Mſ. Corb. *imperabitis.*

CAP. LXV. Metus futuri ] Bene Mſſ. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *metu.*

Cum maxime ] Bene Mſ. Reg. editio princeps & recentiores. Mſſ. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *tum maximè.* Mſ. Corb. *cum maximis.*

Deductis olim ] Ita Mſſ. & veteres recentioreſque editiones. In intermediis quibuſdam, *eductis.*

Sint transitus ] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *ſunt.*

In vetustatem consuetudine ] Bene Mſſ. Flor. Agr. Reg. Farneſ. Lipſius & Recentiores. Malè Mſ. Corb. & editio princeps, *in vetuſtatem conſuetudinem.* In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *in vetuſtate & conſuetudine.* Puteolanus, *in vetuſtatem & conſuetudinem.* Sic quoque Mſ. Harl. primâ manu. Mox *vertuntur* habent Mſ. Reg. & editio princeps.

Adloquique ] Mſ. Corb. *Colloquique.*

Edita in turre ] In Mſſ. Reg. & editione principe, *edita intrare.* Inde ſanè emendatum in Mſ. Agr. *adyta intrare.* At meliùs ceteri libri, *editâ in turre.*

CAP. LXVI. Sunicis ] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. Ita quoque Mſ. Flor. ſed alterum *n* ſuperſcriptum, quaſi legendum *Sunnicis.* Plinio IV, 17, dicuntur *Sunuci.* Corruptè Mſ. Reg. *ſummis.* Editio princeps, *ſumas.*

Transnatantes ] Sic Mſ. Corb. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *tranantes.* Additum in margine Mſ. Bodl. *tranatantes.*

Non ideo, inquit ] Mſſ. Bodl. Jeſ. *nondum, inquit.*

Ac Juvenalis ] Mſ. Corb. *atque.*

Ingens rerum ] Bene Mſſ. Jeſ. Guelf. & editiones recentiores. Mſ. Bodl. & Puteolanus, *vigens rerum.* In Mſſ. Reg. Agr. & editione principe, *ingens rerum tumultus. Tumultus* quoque ſecundâ manu additum in Mſ. Guelf. Inde Heinſius conjiciebat, *ingens rerum cumulus;* ut dictum eſt ſuprà Hiſt. II, 24. *cumulus proſperis.* At plus vigoris ac ſensûs, ſi *ingens rerum* retineatur.

CAP. LXVII. Projectis fœderis romani monumentis ] Malè

tentat Lipſius, *prolectus*, vel *prolatis Romani generis monumentis.* Quaſi Julius Sabinus, proaviâ ſuâ & divo Julio, ut dictum eſt ſuprà cap. 55, ſuperbus, ſe Cæſarem appellaret.

Festinatum temere prœlium ] Ita Mſ. Corb. & editiones recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *bellum.* In editione principe, *feſtinatur temere.* Omiſit *prœlium*, aut *bellum.*

Interiisse ] Mſſ. Harl. Jeſ. *interiſſe.* In Mſ. Corb. *creditus interiiſſe.*

Et insigne Eponinæ ] *Et* a Cl. Erneſto omiſſum. *Epponinæ* habent Mſſ. Harl. Bodl. Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Reg. Jeſ. Agr. & editione principe *Eponinæ.* Plutarchus, pag. 770, in Ἐρωτικῷ eam appellat Ἐμπονήν.

CAP. LXVIII. Ne, quamquam egregii duces ... tolerarent ] Optimè Mercerus, Pichena & Recentiores. Perperam Mſſ. & veteres editiones, *nequaquam egregii duces ... tolerare.* Fruſtra conjiciebat vir eruditus in editione Gryphii: *nec, quamquam egregii duces ..... poterant tolerare.*

Arretinum Clementem ] Ita Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Agr. Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Reg. Corb. *Arrentinum.* Editio princeps, *Arentinum.* Urſinus ex vetere Inſcriptione, quæ exſtat apud Gruterum, pag. civ. num. 6.

PERMISSU. M. ARRICINI. CLEMENTIS

emendabat *Arricinum Clementem.* At minimè conſtat Arricinum hunc Clementem eumdem eſſe, atque Arretinum Clementem, quem quoque memorat Suetonius in Domit. XI. *Arretinum Clementem conſularem virum, e familiaribus & emiſſariis ſuis, capitis condemnaturus, in eâdem, vel etiam in majore gratiâ habuit.* Quomodo autem Arretinus Clemens domui Veſpaſiani per affinitatem innecti potuerit, dixi in Notis & Emendationibus ad Hiſt. I, 46. Vide ibi Stemma Flaviorum, num. 7.

Quamquam senatorii ] Bene Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. Agr. Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Reg. & editione principe, *tamquam.*

Sexta et octava ] Rectè eruditus Savilius, Pichena & Recentiores. Idque patet ex Hiſt. II, 83 & 85. *Sexta* autem habetur in Mſſ. Vatic. 1958. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Sic quoque Puteolanus. Malè Mſ. Flor. *XI*, id eſt undecima. Mſ. Agr. *tertiadecima. Octava* eſt in Mſſ. Vatic. 1864. Flor. Agr. Corb. Perperam Mſſ. Vatic. 1958. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. *XVIII*, id eſt *duodeviceſima.* Peſſimè pro utroque numero Mſſ. Vatic. 1863. Reg. & editio princeps, *XXVIII.*

Cottianisque Alpibus ] Malè Mſ. Reg. & editio princeps, *Cocianis.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *Coctianis.* De Cottianis Alpibus vide Plinium III, 20.

Quartadecima legio ] *Legio* abeſt a Mſ. Corb.

SEXTA AC DECIMA ] Optimè eruditus Savilius, Pichena & Recentiores. *Sexta* etiam legitur in Mſ. Flor. Perperam alii Mſſ. & veteres editiones, *III*, vel *tertia*. Pro *decima*, Mſſ. & editiones veteres habent *prima*. Sed mendosè, ut patet ex Hiſt. V, 19 Vide quoque Notas & Emendationes ad Hiſt. II, 6. ubi dictum ſatis de legionibus.

EX HISPANIA ] Mſ. Corb. *de Hiſpaniâ*.

INSTINCTORE ] Mſ. Corb. *inſtructore*.

CAP. LXIX. JULIUS AUSPEX ] Mſ. Reg. *Julius haruſpex*. Sed mox habet, *Auſpicis*.

ET VALENTINI ] Mſ. Jeſ. *ut Valentini*.

OBSTITISSE ] Ita Mſſ. & veteres recentioreſque editiones. Rhenanus, *obſtitiſſe*.

STETERANT ] Mſ. Corb. *ſteterunt*.

JUS AUSPICIUMQUE ] Bene Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Bud. Agr. Guelf. editio princeps, Rhenanus & Recentiores. Mſ. Jeſ. & Puteolanus, *vis auſpiciumque*.

PER JURGIA JACTANTIBUS ] Optimè ſic emendavit Paulus Manutius, quem Lipſius ceterique ſunt ſecuti, præter Ryckium, qui e ſuo Mſ. Agr. edidit, *pro jure jactantibus*. Id quoque laudabat Lipſius ex Romano libro; quo nomine vulgò indigitat editionem principem. At in eâ non legitur *pro jure*, ſed *perjuria*; utì habent etiam Mſſ. Flor. Reg. Corb. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *perjuriaque*: quod immeritò probant Superantius & Salinerius, quaſi ſua perjuria, & ſuas a Romanis defectiones jactaverint. Laudantque Claſſicum, qui ſe hoſtem populi Romani potiùs, quàm ſocium jactabat, ut vidimus ſuprà cap. 55.

CAP. LXX. CÆRACATIUM ] Ita Mſ. Flor. In Mſ. Corb. *Ceracatium*. Mſ. Bud. *Cerœcatium*. Mſ. Agr. & editio princeps, *Ceratacium*: mox infrà, *Ceracatibus*. Mſ. Reg. *Ceratacum*; & mox, *Ceracatibus*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *Caracates*. Supraſcriptum in Mſ. Harl. *Ceracates*, & infrà, *Ceracatibus*. In tantâ varietate, potior eſt auctoritas Mſ. Flor. Sicque jam edidit Cl. Lallemand. Cæracates autem eoſdem eſſe ac Cæraſos, de quibus agit Jul. Cæſar. Bell. Gall. II, 4. opinatur Ryckius. At diverſas regiones incolebant, ut patet ex Cæſaris Tacitique narratione. Cluverius, *Germania Antiqua*, II, 12, putat a librariis erratum fuiſſe in nomine, & pro *Cæracatium* & *Cæracatibus* emendandum *Nemetum* & *Nemetibus*: cujus quidem opinioni faverunt eruditi viri Bucherius, *Belgium Romanum*, V, 12. & Schœpflinus, *Alſatia illuſtrata*, Tom. I. pag. 367. Hæc tamen ſententia a vetere ſcripturâ nimis recedit, ideoque Cellario minùs probata. Abſurdè autem divinabat Jac. Gronovius, *Tabernatium* & *Tabernatibus*. At cùm non memoretur populus, qui Mogontiacum

tractumque Mogontinum occupavit, veriſimillimum eſt populum illum fuiſſe Cæracates. Atque in eâ ſententiâ ſunt Cll. Danville, *Notice de la Gaule*, pag. 198. & Waſtelain, *Deſcription de la Gaule Belgique*, pag. 116.

Delectu auctas ] Ita Mſſ. Flor. Corb. editio princeps, Pichena & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *lectu auctas*. Secundâ manu in Mſ. Harl. *delectu*.

Exercitusque Romanus propinquabant ] Ita Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Agr. Guelf. editio princeps, Ryckius & Recentiores. Compendiosè in Mſ. Flor. *Roman*. Ex hoc, aut ſimili, compendio Rhenanus edidit *Romani*. In Mſſ. Harl. Jeſ. *propinquabat*.

Navæ fluminis ] Bene Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. & veteribus editionibus, *navas*, aut *naves*, aliudve corruptius.

Plebes ] Mſſ. Harl. Jeſ. Corb. *plebs*.

Perfugerunt ] Mſ. Corb. *perfugêre*.

Se ipsas ] Ita libri omnes ſcripti & editi. Mallet tamen Cl. Erneſtus, *ſe ipſæ*. Et ſanè ſic vulgò ſcriptores, atque ipſe Tacitus.

CAP. LXXI. Tertiis castris ] Mſ. Corb. *ternis caſtris*.

Rigodulum ] Ita Mſſ. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Vatic. 1863. *Ridogulum*. In Mſſ. Reg. Agr. Corb. & editione principe, *Rigodolum*. In diplomate Dagoberti I, apud P. Bertholet, *Hiſtoire de Luxembourg*, Tom. I. pag. xxii. *Regiodola*.

Aut Mosella ] Ita Mſſ. Flor. Bodl. Corb. Rhenanus, Jac. Gronovius & Recentiores. In Mſſ. Reg. Harl. & editionibus veteribus, *& Moſellâ*. Mſ. Guelf. *ac Moſellâ*.

In ascensu ] Malè Mſ. Guelf. & Puteolanus, *aſſenſu*. *In* abeſt a Mſ. Corb.

Ventum in manus ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ad manus*. In Mſ. Bodl. ſecundâ manu emendatum, *in*.

Ruinæ modo ] Mſſ. Agr. Corb. *ruinæ more*.

CAP. LXXII. Adtulerit ] Mſ. Corb. *adtulerat*.

Redigeretur præda ] Ita Mſſ. Reg. Corb. Bud. Agr. editio princeps, Pichena & Recentiores. In Mſ. Flor. *redigetur*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *redigeret prædam*.

A metu infamiæ ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Bodl. Jeſ. Guelf. editiones veteres & Cl. Erneſtus. *A metu*, id eſt, ob metum. Sic Livius, I, 31, *ab eodem prodigio*, pro ob id prodigium; & XXVI, 1, *ab irâ*, pro ob iram: ſic ſæpe aliàs. Præpoſitionem *a* omiſit Lipſius; abeſt quoque a Mſſ. Corb. & Agr.

Civium bello ] Sic Mſſ. Flor. Reg. Bud. Agr. editio princeps & Cl. Erneſtus, ac Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *civili bello*.

Mæstæ ] Mſ. Agr. *mæſti.*

Qui vocem precesque ] Ita ſcripti & editi libri. At *qui* omiſſum vellet Muretus. Mureto aſſentitur Cl. Erneſtus. Acidalius tentabat, *quia.* Aliter interpungit Ryckius, *obſtupefecerat, attonitis etiam victoribus : qui vocem preceſque*, &c. Ita ut *qui* non ad victores, ſed ad milites conſcientiâ flagitii mæſtos referatur. Davanzati aliique optimi interpretes obvio ſenſu rectè accepere. Nempe ipſi victores attoniti vocem preceſque non audebant, ſed lacrimis tantùm ac ſilentio veniam poſcebant, ut Cerealis legionibus ignoſceret.

Fato acta ] Mallet Cl. Erneſtus, *fato facta.* Quòd paſſim in veteribus ſcriptoribus, *fato fieri, fato factum.*

Ducumque ] Ita Mſſ. Flor. Corb. editio princeps, Pichena & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ducumve.*

Primum illum ] Bene Mſſ. Reg. Corb. Guelf. editio princeps, Rhenanus & Recentiores. Nec variant Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus tamen, *illorum.*

CAP. LXXIII. Sed quia ] Corruptè editio princeps, *quæ.* Mſ. Corb. *quoniam.*

Ac mala ] Mſ. Corb. *atque mala.*

Teutonosque ] Mſ. Reg. & editio princeps, *Teutoneſque.*

Satis clarum ] In Mſſ. Vatic. 1863. Reg. Agr. & editione principe, *ſatis claret.* Verbum poeticum, quo Lucretius aliique uſi ſunt; & quo fortè nec ipſe Tacitus abſtinuit.

Transrhenanis gentibus ] *Gentibus* abeſt a Mſ. Corb.

Solitudinibus suis ] *Suis* deeſt in Mſ. Corb.

Speciosa nomina ] Malè Mſſ. Harl. Jeſ. *pretioſa nomina.*

CAP. LXXIV. Addidimus ] Urſinus laudat ex vetere codice, *adjicimus.* Tentat ipſe, *ademimus.* Utrumque malè.

Parabuntur ] Malè Beroaldus, *parabantur.*

Aut minoribus ] Mſ. Jeſ. *ac minoribus.*

Britannique ] In margine Mſ. Bodl. *Battavi.*

Victoresque ] *Que* abeſt a Mſ. Jeſ.

Obtinemus ] Mſ. Corb. *obtinebimus.*

CAP. LXXV. Quamquam nuntii occultarent ] Ita Mſſ. Farneſ. Corb. Agr. Idque probabant Lipſius & Ryckius Corruptè Mſ. Reg. & editio princeps, *nutu.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolan s & Recentiores, *nuntios.* Quod Salinerius explicat, tamquam Domitianus ac Mucianus nuntiatam Veſpaſiani mortem occultaverint. Contrà verò Pichena contendit a Cereali ceteriſque ducibus Flavianis occultatos fuiſſe nuntios, ſeu tabellarios, qui Româ Veſpaſiani mortem ſignificatum venerant. Pichenæ aſſentitur Cl. Erneſtus. Si quis tamen ad

ſequentia attenderit, ſcripturam Mſ. Farneſ. probabit. Nec emendandum, *occultarentur*, ut Cl. Erneſto placebat. *Id* tantùm intellige.

MUCIANI AC DOMITIANI ] Ita Mſ. Flor. & editiones recentiores. Puteolanus, &c. Mſ. Corb. & editio princeps, *atque*.

EUM, QUI ADTULERAT IPSAS EPISTOLAS ] *Ipſas* redundare videtur Cl. Erneſto. Certè rectè abeſſet. Acidalius emendabat, *ipſaſque epiſtolas*; vel quod minus probabile, ſic interpungebat, *eum qui attulerat, ipſas epiſtolas*, &c.

PASSUM JUNGI ] Bene veteres & recentiores editiones. In intermediis quibuſdam, *paſſim jungi*. Sic quoque Mſſ. Jeſ. & Corb. Sed rectè ſuprascriptum in Mſ. Corb. *paſſum*.

INTUTIS ] Ita vulgò Mſſ. Beroaldus & Recentiores. In editione principe, *intutus*. Mſ. Reg. & Puteolanus, *in tutis*. Mſ. Guelf. *in tutius*.

CAP. LXXVI. OBTERERENTUR ] Mſ. Reg. & editio princeps, *obterentur*. Malè Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & J. F. Gronovius, *obterrerentur*. Emendatum in Mſ. Harl. *obtererentur*.

AUT VOTO STARE ] Peſſimè Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *aut vaſtari*. In Mſ. Bud. *aut vaſtare*. Inde tentabat Rhenanus, *aut clam ſtare*.

E BRITANNIA ] Ita Mſ. Flor. Pichena & Recentiores. In Mſ. Reg. & editione principe, *ex Britanniâ*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *a Britanniâ*.

SPERENTUR ] Malè Beroaldus, *ſpernentur*.

NON JUBERI ] Mſ. Corb. *non haberi*.

NON REGI ] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *non cogi*. Rectè ſuprà ſcriptum in Mſ. Bodl. *non regi*.

IN ARMA PRONUM ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. editio princeps, Ryckius & Recentiores. Mſſ. Harl. Jeſ. & Puteolanus, *in arma promptum*.

GERMANICI EXERCITUS ] In Mſſ. & veteribus editionibus, *Germani*. Secundâ manu additum in Mſ. Bodl. *Germanici*; ut habent Rhenanus & Recentiores.

ILLIS DENIQUE ] Ita libri ſcripti & editi, præter Cl. Erneſtum, qui edidit, *illi*.

NON IMPERITI ADOLESCENTULI ] Optimè Rhenanus & Recentiores. In Mſ. Corb. & editione principe, *non imperitia adoleſcentuli*. In Mſ. Reg. *adoleſcendi*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *non imperitiâ militum, ſed adoleſcentuli*.

APPROBATA ] Mſ. Corb. *probatâ*.

CAP. LXXVII. TENCTERIQUE ] Notatum in margine Mſ. Harl. *Hic deficit*. Quaſi aliquid hic deſit. Turbat quoque Mſ. Flor. in quo, *Tencterique pars montibus alii alii viam*. Fortè nominabantur adhuc aliquot populi, quorum nomina exciderint.

Mosellamque flumen] Addit Mſ. Agr. *Moſellamque flumen diſpoſiti per pontem, tam improviſi*, &c. At prorſus inutile eſt iſtud additamentum.

Tam improvisi] Ita Mſ. Agr. Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & editionibus veteribus, *tam improviſa.*

Electa manu] Ita Mſſ. & veteres recentioreſque editiones. Lipſius, *lectâ manu.*

Videt] Mſ. Corb. & editio princeps, *vidit.*

Prædixerim: memoriam Romani sacramenti temere credidi] Sic Mſſ. Flor. Reg. Corb. Pichena & Recentiores. In Mſ. Bud. *prædixi.* Ab editione principe abeſt, *temere.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *tenere.* Inde ſanè in Mſ. Agr. conjecturâ potiùs, quàm ex vetere ſcripturâ, *quòd vos Gallici fœderis oblitos proximam memoriam Romani ſacramenti tenere credidi.* Lipſius exiſtimabat, *prædixerim* redundare; & emendabat, *oblitos rediſſe in memoriam Romani ſacramenti temere credidi.* Quod valde probabile. Pro *prædixerim* corrigebat Pichena, *& retinere.* J. F. Gronovius, *repetiſſe.* Abſurdè verò e neſcio quibus veteribus Titinnii quiſquiliis Jac. Gronovius, *præfiſcini memoriam Romani ſacramenti tenere credidi.*

CAP. LXXVIII. Et Civilis] *Et* perperam a Puteolano omiſſum.

Unaetvicesima] Bene Mſ. Agr. Pichena & Recentiores. Mſ. Reg. & Alciatus, *viceſima prima.* Vulgò Mſſ. & Puteolanus, *legio XXI.*

Rem adflixit] Ita Mſ. Reg. editio princeps, Rhenanus & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *res.*

CAP. LXXIX. Integra, quæ e Chaucis] Ita Pichena & Recentiores e Mſ. Flor. in quo, teſte Pichenâ, *integraque ex Chaucis.* At adverſatur Jac. Gronovius, & ait legiſſe ſe in Mſ. Flor. *integraque & ex Chaucis.* Quam ſcripturam defendit legitque, *non invalidus flagrantiſſimâ cohortium ſuarum integrâque & ex Chaucis Friſiiſque compoſitâ. Tolbiaci in finibus Agrippinenſium agebat.* Hæc verò per parentheſim dicta volebat Illuſtr. Huetius, & ita diſtinguebat: *non invalidus (flagrantiſſimâ cohortium ſuarum integrâ: quæ ex Chaucis compoſita) Tolbiaci*, &c. Verum potior eſt Pichenæ emendatio. Favetque Mſ. Corb. in quo, *integraque rt Chaucis.* In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *integra & e Chaucis.* In Mſ. Reg. & editionibus veteribus, *integrâ manu & e Chaucis.* Unde tentabat Lipſius, *integrâ manente e Chaucis.*

Tolbiaci] Bene Mſſ. Flor. Agr. editio princeps & recentiores. Malè Mſ. Farneſ. *Colbiaci.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *Calbiaci.*

Qua Oceano] Malè Mſ. Corb. *qui Oceano.*

Classem ultro] Ita vulgò Mſ. & libri omnes editi. In Mſ. Agr. *Claſſem verò*; quod probabat Ryckius.

CAP.

CAP. LXXX. ANXIUS] Male Alciatus, *anxius eſt.*

EXCIPITUR] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *accipitur.* Rectè emendatum in Mſ. Bodl. *excipitur*; utì habent Mſ. Corb. editio princeps & recentiores.

AVERSO] Non ita bene Mſ. Corb. & editio princeps, *adverſo.*

VOCARE OFFENSAS] Ita libri omnes ſcripti & editi, præter Mſ. Agr. in quo, *provocare.* At eo quoque ſenſu dicitur, *vocare.* Sic infrà *de Moribus Germanorum*, cap. 14. *Vocare hoſtes, & vulnera mereri.*

CAP. LXXXI. ÆSTIVIS FLATIBUS] Bene libri omnes ſcripti & editi. Perperam tentabat Lipſius, *Eteſiarum:* Acidalius, *Eteſiis flatibus.* Immo Eteſiis, Aquilonaribus ventis, impedita fuiſſet Veſpaſiani navigatio, ut rectè obſervavit eruditus Savilius. Inde Jul. Cæſar, Bell. Civil. cap. 107. *Ipſe enim neceſſariò Eteſiis tenebatur, qui Alexandriâ navigantibus ſunt adverſiſſimi venti.* At *Veſpaſianus Alexandriæ ſtatos æſtivis flatibus dies*, quibus *certa maris* incipiunt, *opperiebatur.* Nauticas autem illas Romanorum leges clarè explicat Vegetius, V, 9. *Poſt ortum Pleiadum, a die ſexto Kalendarum Juniarum, uſque ad Arcturi ortum, id eſt in diem octavumdecimum Kalendarum Octobrium ſecura navigatio creditur, quia æſtatis beneficio ventorum acerbitas mitigatur. Ita poſt hoc tempus uſque in tertium Idus Novembris incerta navigatio eſt, & diſcrimini propior: propterea, quia poſt Idus Septembris oritur Arcturus vehementiſſimum ſidus. Et octavo Kalendarum Octobris æquinoctialis evenit acerba tempeſtas.... A Novembri autem menſe crebris tempeſtatibus navigia conturbantur Vergiliarum hiemali occaſu. Ex die igitur tertio Iduum Novembris uſque in diem ſextum Iduum Martiarum maria clauduntur.* Tacito autem ſuffragatur Joſephus, Bell. Jud. IV, 11. num. 5. Αὐτὸς μέντοι (Οὐεσπασιανὸς) εἰς τὴν Ῥώμην ὥρμητο λήξαντος τοῦ χειμῶνος ἀνάγεσθαι, καὶ τάχος τὰ κατὰ τὴν Ἀλεξάνδρειαν διῴκει. *Ipſe tamen* Veſpaſianus *extremâ hieme Romam proficiſci parabat; & quàm primùm res Alexandriæ componebat.*

MULTA MIRACULA] Quæ mendacia veriùs, quàm miracula dixeris. Quod paucis explicandum.

## *De Veſpaſiani miraculis.*

Titum Livium, Plutarchum, ceteroſque immenſæ credulitatis ſcriptores miracula paſſim obtrudere minimè mirum eſt. At Tacitum, acerrimi judicii, conſtantiſſimæ mentis virum, non modò miracula narrare, ſed etiam iis fidem facere velle, incredibile videretur, ni ſatis foret compertum, naturâ incertum an inſtitutione, omnibus ferme Romanis inſitum fuiſſe religionis ſenſum, quo in credulitatem propenderent. Quæ quidem credulitas, ut in humanis, ſic quoque divinis in rebus, eſt bonæ animæ argumentum, nec niſi in religioſos

animos irrepit. Unde magis miror exſtitiſſe nonnullos, qui Tacitum *ἀθεότητος* inſimulaverint. Quî enim *ἄθεος* haberi poteſt vir, qui præter plurima religionis monimenta Annalibus interſita, in his ipſis Hiſtoriarum libris *ope divinâ* mutari animos paulo ſuprà cap. 78, pronuntiaverit; qui nunc *cæli favorem*, & *numinum in Veſpaſianum inclinationem* profiteatur; qui demum *miracula* ita bonus enarrat, ut fidem iis facere haud leviter annitatur.

At quam fidem obtinere debent illa Veſpaſiani miracula? nullam, ut opinor. Atque, ut alios multos ſileam, ita quoque ſenſit Illuſtriſſimus Huetius, *Demonſtrat. Evangelic.* Propoſit. VI. num. 6. Neminem quoque diſſenſurum reor, qui perpenderit quæ fuerint illa miracula, quo in loco, & a quo ſint edita. Ac primò quidem in illis Veſpaſiani miraculis nihil eſt, quod vim divinam miraculorum effectricem adſtruat. Sanatur enim cæcitas hominis, cui, teſte Tacito, *vis luminis non* erat *exeſa.* Curatur manûs debilitas, quæ, eodem auctore, in pravum elapſa, poterat integrari. Quod adhuc argumentum eſt incertam fuiſſe illorum miraculorum famam, quem manu debilem facit Tacitus, eum claudum dicit Suetonius in Veſpaſian. VII: ea quoque patrata miracula Tacitus, *medicis*, Suetonius, *amicis hortantibus*, narrat. Ut ut eſt, hæcne miracula? Curationes vix dixeris. Ubi enim in rebus leviſſimis fallacibuſque operoſa eſt miraculorum oſtentatio, non eſt miraculum, ſed hiſtrionum circulatorumve fraus ac mendacium.

Adde hæc miracula eveniſſe, Alexandriæ, in urbe vaniſſimâ, ad omne ſuperſtitionum genus projectiſſimâ, Serapidis religionibus inſanâ, ſuis in Principes adulationibus vaferrimâ, utì teſtis eſt oculatus Philo, in *Legat. ad Caium*, pag. 1017.

Nunc verò quis hæc miracula auſus eſt? Veſpaſianus, novus & inopinatus Princeps, cui *auctoritas & quaſi majeſtas* concilianda, ut fatetur Suetonius, loc. cit. Veſpaſianus, qui in omnes firmandæ dominationis artes intentus, religione maximè abutebatur. Inde acceptiſſimus ei fuit Joſephus, quòd mendax ille Judæus oracula, quæ Chriſtum regem ejuſque imperium prænuntiaverant, in eum traxiſſet. Joſeph. *Bell. Jud.* III, 8. Omnes quoque, qui ſe Davidicâ ſtirpe oriundos ferrent, inquiri necarique juſſit. Euſeb. *Hiſt. Eccleſiaſt.* III, 11. Veſpaſianus demum, qui, tunc temporis, Apollonii Tyanenſis, hominum, quotquot umquam exſtitere, fraudulentiſſimi, familiaritate conſiliiſque utebatur, ut videre eſt apud Philoſtratum, Vit. Apollon. V, 27. & ſeqq.

Hæc ſatis ſuperque ſunt, ut conſtet Veſpaſiani miracula fuiſſe in Ægyptiis artes fraudeſque, in Veſpaſiano politicæ artis inſtrumenta, quibus quæſita novo Principatui auctoritas ac reverentia. Addit quidem Tacitus *utrumque* iſtud miraculum ab iis *qui interfuere nunc quoque* memorari, *poſtquam nullum mendacio pretium.* Neque id mirum. Exciſa

fuerat Flaviana domus; ac proinde nullum tunc erat a Principibus mendacio pretium. Sed ſemper manebat Ægyptiis ſuperſtitio; eadem Romanos quoque & Romam, quò peſſima omnia confluebant, pervaſerat: in dies invaleſcebat Serapidis veneratio. Quomodo ergo obrueretur rumor, quem ſervari intererat? Si quid mirum videri debet, id profectò quòd, cùm nullum ſit mendaciis pretium, nulla Serapidis religio, reperiantur tamen qui hæc miracula tueantur. At hæc eſt fabularum natura, ut vel ſuâ vanitate multis placeant.

Hæc cùm tractarem, omiſi talia miracula poſt hac de Hadriano fuiſſe vulgata, quæ tamen *per ſimulationem* fuerant facta, teſte Mario Maximo apud Spartianum, in Hadrian. cap. 25.

CÆLI FAVOR ] Ita Mſſ. Bodl. Guelf. editio princeps, Erneſtus & Recentiores. Mſ. Reg. *celis*. Mſ. Bud. *cœlis eſt*. Mſ. Corb. *celitis*. Mſ. Agr. *cœlitum*. Emendaverat Puteolanus, *e cœlis*. Rhenanus, *cœleſtis*.

EX PLEBE ] Mſſ. Corb. Agr. & editio princeps, *e plebe*.

GENUA EJUS ADVOLVITUR ] Mſ. Corb. & editio princeps, *genibus ejus advolvitur*.

GEMITU ] Ita vulgò Mſſ. & libri omnes editi. Meritò tamen redundare *gemitu* videbatur Cl. Erneſto. Non ita bene, quòd Mſſ. Guelf. Jeſ. habent *in gemitu*, tentabat *ingenitum*; quaſi Veſpaſianus ingenitam curandi vim habuerit, quod de Pyrrho retulere Plutarchus *in Pyrrh.* pag. 384. & Plinius, VII, 2.

SERAPIDIS DEI ] Sic Mſ. Flor. Puteolanus, Pichena & Recentiores. In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *Serapis*. Lipſius, *Sarapis*. Quod ſanè hauſerat a Græcis, quibus deus ille dicitur ΣΑΡΑΠΙΣ.

RESPERGERE ORIS EXCREMENTO ] Editio princeps, *reſpuere oris excreamento*.

OCULORUM TABE ] Fruſtra amicus Ryckii tentabat, *nube*. *Tabes* medicum eſt vocabulum, ut Ryckium monuit Cl. Drelincurtius. Et in definitionibus, quæ tribuuntur Galeno, ſic explicatur: Φθίσις ἐςὶ μείωσις τῆς κόρης μετὰ ἀμυδρώσεως. *Tabes eſt pupillæ imminutio cum obſcuratione.*

MANUM ÆGER ] Sic Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Jac. Gronovius & Recentiores. In Mſ. Reg. & editionibus veteribus, *manu æger*. Nec ineleganter, *manum*, Græcorum more.

ILLIS INSTANTIBUS ] Mſ. Corb. *aliis inſtantibus*.

OBSECRATIONE ] Malè Beroaldus, *obſecrationes*.

EXISTIMARI ] In Mſ. Jeſ. & editione principe, *extimari*. Unde Cl. Erneſtus & Recentiores, *exiſtimari*. Mſſ. Reg. Harl. Bodl. & Puteolanus, *eſtimari*, vel *æſtimari*. Solito librariorum errore, ut ſæpe ſuprà vidimus.

DISSERERE ] Mſ. Jeſ. *dixere*.

INTEGRARI ] Mſ. Reg. & editio princeps, *integrare*.

PATRATI REMEDII ] Ita Mſ. Corb. editio princeps, Lipſius &

Recentiores. Mſſ. Harl. Jeſ. & Puteolanus, *peracti remedii.*

PATERE RATUS ] Sic omnes ferme libri ſcripti & editi. Nec neceſſariò tentat Cl. Erneſtus, *parere.* Corruptè Mſ. Reg. *patriæ ratus.*

CAP. LXXXII. ALTIOR INDE VESPASIANO ] Perperam in Lipſianis quibuſdam editionibus, *altior in Veſpaſiano.*

SACRAM ÆDEM ] Optimè editio princeps. Malè Puteolanus ac deinde ceteri omnes, *ſacram ſedem.*

MISSIS EQUITIBUS ] Mſſ. Reg. Corb. Agr. & editio princeps, *miſſis militibus.*

CAP. LXXXIII. ELEUSINE EXCIVERAT ] In Mſſ. Flor. Reg. Corb. & editione principe, *Eleuſim.* Ex hac ſcripturâ emendandum *Eleuſine*, rectè vidit J. F. Gronovius : idem probavere Ryckius & Recentiores. Puteolanus, *Eleuſi.* Plinius, XXXV, 11. num. 29. *in templo Eleuſine.*

VETERE INTER ACCOLAS ] Male Mſ. Reg. & editio princeps, *veteres.*

JUSSA PATRARENTUR ] Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps, *pararentur.* Mſ. Bodl. habet *patrarentur.* Sed in margine additum, *peragentur.*

SCYDROTHEMIDI ] Mſ. Bodl. *Sidrothemidi.* Mox Mſſ. Bodl. Jeſ. *Sydrothemidi.* Mſ. Reg. & editio princeps, *Ciarothemadi.* Mſ. Agr. *Ciarothemidi.* Mſ. Corb. *Cyarothemedi.* Mox infrà *Cyarochemedi.*

IMPERITABAT ] Mſ. Corb. *imperabat.* Verbum autem *imperitabat* non abeſt ab editione principe, ut ſcripſit Cl. Erneſtus.

PYTHIUM APOLLINEM ] Mſſ. Flor. Corb. & Agr. *Pythicum.* Corruptè editio princeps, *Phiticum.* *Pythius Apollo* memoratur a Plinio XXXIV, 7.

CAP. LXXXIV. DIVERSUS ANIMI ] Mſſ. Flor. Agr. Corb. & editio princeps, *verſus animi.* Mſ. Jeſ. *adverſus.*

DESTINATA DEO ] Mſſ. Corb. & Agr. *deſtinata a deo.* In editione principe, *deſtinata ultra a deo.* Omiſit autem, *moraretur.*

ADVERSARI REGEM ] Mallet Muretus, *averſari.* Librarios ſæpiſſimè ſcripſiſſe *adverſari* pro *averſari* jam vidimus ſuprà in Notis & Emendationibus ad Hiſt. I, 1 & 38. Hìc tamen Pichenæ aliiſque placet, *adverſari.* Sic quoque vertit Davanzati : *Il popolo contraſtava al Re.* In Mſſ. Corb. Agr. & editione principe, *reges.* Quod Ryckio placebat, ob ſuprà expoſitos Scydrothemidis & Ptolemæi viſus. Si quis retineat *reges*, tunc omnino emendandum *averſari.*

CIRCUMSIDERE ] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & editiones veteres, *circumſedere.*

TANTUM MARIS ] Mſ. Reg. & editio princeps, *totum maris.*

Mirum inde dictu] Multa de adventu dei Sinopenſis in Ægyptum a Tacito diverſa, neque ita fabuloſa tradit Plutarchus, Tom. II. *de Iſide & Oſiride*, pag. 361. Πτολεμαῖος δὲ ὁ σωτὴρ ἀνεῖλε τὸν ἐν Σινώπῃ τοῦ Πλούτωνος κολοσσὸν, οὐκ ἐπιςάμενος οὐδὲ ἑωρακὼς πρότερον οἷος τὴν μορφὴν, κελεύοντα κομίσαι τὴν ταχίςην αὐτὸν εἰς Ἀλεξάνδρειαν· ἀγνοοῦντι δ᾽ αὐτῷ καὶ ἀποροῦντι ποῦ καθίδρυται, καὶ διηγουμένῳ τοῖς φίλοις τὴν ὄψιν, εὑρέθη πολυπλάνης ἄνθρωπος, ὄνομα Σωσίβιος, ἐν Σινώπῃ φάμενος ἑωρακέναι τοιοῦτον κολοσσὸν, οἷον ὁ βασιλεὺς ἰδεῖν ἔδοξεν· ἔπεμψεν οὖν Σωτέλη καὶ Διονύσιον, οἳ χρόνῳ πολλῷ καὶ μόλις, οὐκ ἄνευ μέντοι θείας προνοίας, ἤγαγον ἐκκλέψαντες. *Ptolemæus Soter Plutonis coloſſum, qui Sinope erat, ſuſtulit, cùm neque noſſet neque vidiſſet unquam talem, quali formâ per quietem imaginatus fuerat ſe videre, ac juberi eum quamprimùm Alexandriam perferre. Ignoranti autem & anxiè inquirenti ubinam locorum ſitus eſſet, amiciſque rem narranti, oblatus eſt Soſibius quidam latè vagatus homo, qui Sinope a ſe viſum talem coloſſum diceret, qualem rex imaginatus fuerat: miſſi itaque Soteles & Dionyſus, longo tempore & ægre, neque ſine providentiâ divinâ, furtim ablatum coloſſum ad regem pertulerunt.* Quem autem Plutonem appellat Plutarchus, alii eum Jovem nominant. Ideo Serapis Tacito dicitur *Jupiter Dis*, ſeu Jupiter Pluto.

Serapidi atque Isidi] Mſ. Reg. *Serapidi Iſidi.* Editio princeps, *Serapidi Yſidi.* Eruditus Savilius emendatum vellet, *Oſiridi atque Iſidi.* Quod minimè neceſſarium eſt. Vetera enim apud Ægyptios Serapidis & Iſidis nomina. Sed cùm apud eos, Ptolemæorum vi, Jovis Ditis ac Proſerpinæ religio graſſata eſt, tunc Ægyptii, ne peregrinis nominibus fœdarentur, Jovem Ditem Serapin dixere, & Proſerpinam Iſin. Id patet ex Plutarcho, loc. cit. pag. 161 & 162. Οὐ γὰρ ἄλλον εἶναι Σάραπιν ἢ τὸν Πλούτωνά φασι, καὶ Ἶσιν τὴν Περσέφασσαν... Οὐ γὰρ ἐκεῖθεν οὗτος ὀνομαζόμενος ἧκεν, ἀλλ᾽ εἰς Ἀλεξάνδρειαν κομισθεὶς τὸ παρ᾽ Αἰγυπτίοις ὄνομα τοῦ Πλούτωνος ἐκτήσατο τὸν Σάραπιν. Et ſic facilè explices, quæ Macrobius, *Saturnal.* I, 7, habet de Serapeis, & cur extra Ægyptiarum urbium pomeria locarentur. Conjuncta autem Serapidis & Iſidis numina venerationemque multò pòſt reperimus in nummis Juliani, Imperatoris, aliiſque monumentis, quæ vide apud eruditum Banduri, *Numiſmata Imperatorum Romanorum*, Tom. II. pag. 425.

Adventu dei] Ita Mſſ. Reg. Harl. Jeſ. Guelf. & editiones veteres ante Rhenanum, qui e conjecturâ edidit, *advectu.* In Mſ. Corb. *de adventu & origine dei.*

Deum ipsum] Taciti exemplo neceſſe eſt de Serapide paulo fuſiùs diſſerere.

## *De deo Serapide.*

Serapis, apud Ægyptios deus maximus, plures præcipuoſque referebat deos. Inde in aversâ parte nummi Antonini Pii, quem publicavit eruditus Oiſelius, *Theſaurus Selectorum Numiſmatum*, Tab.

XLIII. num. 1. videre eſt Serapidis caput barbatum, cornutum, radiatum, cum modio in vertice: adeſt & tridens, cui ſerpens circumvolvitur. Quibus inſignibus patet Serapidem eſſe Jovem, Solem, Oſirim, Neptunum & Æſculapium. Vide quæ ad id confirmandum congeſſit Oiſelius, loc. cit. pag. 218. At naturam cultumque Serapidis nemo accuratiùs expreſſit, quàm Macrobius Saturnal. I, 20. Alexandria *eidem Ægypto adjacens civitas, quæ conditorem Alexandrum Macedonem gloriatur, Sarapin atque Iſin cultu pæne attonitæ venerationis obſervat: omnem tamen illam venerationem Soli ſe ſub illius nomine teſtatur impendere, vel dum calathum capiti ejus inſigunt, vel dum ſimulacro ſignum tricipitis animantis adjungunt; quod exprimit medio eodemque maximo capite leonis effigiem; dexterâ parte caput canis exoritur manſuetâ ſpecie blandientis; pars verò læva cervicis rapacis lupi capite finitur: eaſque formas animalium draco connectit volumine ſuo capite redeunte ad dei dexteram, quâ compeſcitur monſtrum. Ergo leonis capite monſtratur præſens tempus; quia conditio ejus inter præteritum futurumque actu præſenti valida fervenſque eſt. Sed & præteritum tempus lupi capite ſignatur; quòd memoria rerum tranſactarum rapitur, & aufertur. Item canis blandientis effigies futuri temporis deſignat eventum; de quo nobis ſpes, licèt incerta, blanditur. Tempora autem cui niſi proprio famularentur auctori? cujus vertex, inſignitus calatho, & altitudinem ſideris monſtrat, & potentiam capacitatis oſtentat: quia in eum omnia terrena redeunt, dum immiſſo calore rapiuntur. Accipe nunc quid de Sole, vel Sarapi, pronuntietur oraculo. Nam Sarapis, quem Ægyptii deum maximum prodiderunt, oratus a Nicocreonte, Cypriorum rege, quis deorum haberetur, his verſibus ſollicitam religionem regis inſtruxit.*

Εἰμὶ θεὸς τοιόςδε μαθεῖν, οἷον κ' ἐγὼ εἴπω.
Οὐράνιος κόσμος κεφαλὴ, γαςὴρ δὲ θάλασσα,
Γαῖα δέ μοι πόδες εἰσὶ, τὰ δ' οὔατ' ἐν αἰθέρι κεῖται,
Ὄμμα τε τηλαυγὲς, λαμπρὸν φάος ἠελίοιο.

*Ex his apparet Sarapis & Solis unam & individuam eſſe naturam. Iſis juncta religione celebratur, quæ eſt vel terra, vel natura rerum, ſubjacens ſoli. Hinc eſt quod continuatis uberibus corpus deæ omne denſetur, quia terræ, vel rerum naturæ, altu nutritur univerſitas.*

Hunc Macrobii locum Tacitumque egregiè illuſtrant præſtantiſſimi duo nummi Veſpaſiani & Domitiani, quos edidit Cl. Pellerin, *Melange de diverſes Medailles.* Tom. I. pag. 224. In nummo Veſpaſiani, ΑΥΤΟΚ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒΑΣ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ. id eſt, *Imperatoris Cæſaris Auguſti Veſpaſiani*; caput Veſpaſiani laureatum. In aversâ parte, ΖΕΥΣ. ΣΑΡΑΠΙΣ. L. ΕΝΑΤ. id eſt, *Jupiter Serapis*, *anno nono* imperii Veſpaſiani. Stat Serapis, ſiniſtrâ haſtæ innixus, extentâ dextrâ, quâ monſtrum triceps, de quo Macrobius, compeſcere videtur. In vertice calathum, modiumve, habet. In nummo Domitiani, ΑΥΤ.

ΚΑΙΣΑΡ. ΔΟ...ΤΙΑΝΟΣ. ΣΕΒ. ΓΕΡΜ. id eſt, *Imperator Cæſar Domitianus Auguſtus Germanicus*; caput Domitiani laureatum. In averſâ parte, ΗΛΙΟΣ ΣΑΡΑΠΙΣ LΙΓ. id eſt, *Sol Serapis*, anno tertiodecimo imperii Domitiani. Serapis ſtans haſtam ſiniſtrâ tenet, dextra elatâ. In vetere autem Inſcriptione, quæ exſtat Ancyræ, nunc *Angora*, teſte Cl. Tournefort, *Voyage du Levant*. Tom. II. pag. 449. ΔΙΙ ΗΛΙΩ ΜΕΓΑΛΩ ΣΑΡΑΠΙΔΙ. id eſt *Jovi Soli Magno Serapidi*. Porro cùm Chriſtiani Ethnicæ religionis deos horrerent, ſeque Deum unum, rerum omnium conditorem, venerari profiterentur; hinc, ut videtur, Hadrianus, religionum conciliator, eos inter Serapidis, ſeu dei Panthei, cultores annumeravit, teſte ejus epiſtolâ apud Vopiſcum, in Saturnin. cap. 8. *Illi qui Serapin colunt, Chriſtiani ſunt: & devoti ſunt Serapi, qui ſe Chriſti epiſcopos dicunt.... Unus illis*, Ægyptiis ac maximè Alexandrinis, *deus eſt: hunc Chriſtiani, hunc Judæi, hunc omnes venerantur & gentes*.

Si quis autem plura voluerit de urbe Sinope & deo Serapide, adeat Cl. de Fontenu, *Memoires de l'Académie Royale des Inſcriptions*. Tom. X. pag. 465 & ſeqq.

CAP. LXXXV. ALPIBUS PROPINQUARENT ] Mſ. Corb. *Alpibus appropinquarent*.

AUDITUS IDEO ] Mſ. Corb. *auditus igitur*.

IPSUM SUPPLICIUM ] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *ipſum judicium*. Additum in margine Mſ. Bodl. *ſupplicium*.

EXPROMPSIT ] Mſ. Corb. & editio princeps, *expreſſit*.

FRACTÆ HOSTIUM VIRES ] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. & editio princeps. Puteolanus, *fractæ vires hoſtium*.

IN DISCRIMINE VERTERETUR ] Sic Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. Guelf. Agr. editio princeps, Erneſtus & Recentiores. Puteolanus, *in diſcrimen*. Fruſtra tentat Cl. Erneſtus, *in diſcrimine verſaretur*. Jam vidimus ſuprà Hiſt. II, 28. *Sin victoriæ ſanitas, ſuſtentaculum, columen in Italiâ verteretur*.

OSTENTARET ] Perperam Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & veteres editiones, *oſtentare*.

CAP. LXXXVI. QUA COGITATIONE... AGITAVERIT ] Bene Mſſ. Flor. Corb. Pichena & Recentiores. In Mſ. Reg. & editione principe, *quâ contagione... cogitaverit*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *quâ cogitatione... cogitaverit*. Tentaverat Lipſius, *quâ cunctatione*. Gruterus, *quâ rogitatione*. Mallet Cl. Erneſtus, *quâ ſollicitatione*.

A SENIORIBUS ] Fruſtra tentat Barthius, *a ſanioribus*. *Seniores* enim opponuntur juventæ, ut rectè obſervat Ryckius.

ET USURPATA ANTEA MUNIA ] *Et*, abeſt a Mſ. Corb. In Mſſ. Flor. & Agr. *ante ea munia*.

Simplicitatis ac modestiæ ] Bene Mſ. Corb. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ſimul ſimplicitatis ac modeſtiæ.*

In altitudinem ] Mſſ. Reg. Corb. Agr. & editio princeps, *in altitudine.* Mallet Cl. Erneſtus, *in ſolitudinem.* Sed hìc eleganter uſurpatur, *altitudinem.* Perperam tentabat Barthius, *in altitudinem conditus ſtudiorum atque literarum.*

Subduceretur ] Mſſ. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ſubduceret.*

Contra interpretabatur ] Perperam addunt Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. & editio princeps, *neque vos impunitos patiantur :* quæ repetita ſunt ex ſuperiore cap. 77. *Neque me inultum, neque vos impunitos patiantur.* Ob illum librariorum errorem notat Mſ. Farneſ. *Deeſt hic aliquantulum.* Nihil deeſt, licèt aliter ſentiat Lipſius. Perperam in Mſ. Agr. *interpretabantur.*

# NOTÆ ET EMENDATIONES
## *AD LIBRUM QUINTUM*
# HISTORIARUM.

CAP. I. Delectus a patre ] In Mſ. Reg. & editione principe, *delegatus*. Mſ. Bodl. *electus*. Puteolanus & Recentiores, *delectus*. Mallet Cl. Erneſtus, *relictus;* quod Imperatoris filio dignum magis ei videtur: atque ita Sueton. in Tit. V, *Ad perdomandam Judæam a patre relictus.*

Privatis utriusque rebus ] Ita Rhenanus & Recentiores, ex loco ſimili Hiſt. III, 65. Perperam in Mſſ. Flor. Agr. Corb. & editione principe, *prælatus*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *prœliantis.*

Ut super fortunam ] In Mſ. Bud. *ut ſuperior unam:* in Mſ. Vatic. *ſuperiori unam.* Inde emendavit Lipſius, *ut ſuper fortunam:* quod in recentioribus editionibus receptum. In Mſſ. Farneſ. Agr. Reg. Corb. & editione principe, *ut ſuperior omnibus crederetur.* Mſ. Bodl. & Puteolanus, *ut ſuperior ſui jam crederetur.* In Mſſ. Jeſ. Harl. *ut imperio dignus jam crederetur.*

In agmine ] Mſ. Jeſ. *& in agmine.*

Tres eum ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Rhenanus & Recentiores. *Eum* abeſt a Mſ. Reg. & editione principe.

Addidit e Syria ] Ita Mſ. Reg. editio princeps & Erneſtus. Mſ. Bodl. & Puteolanus, *tradidit e Syriâ.* Mſſ. Jeſ. Harl. Guelf. *tradidit ei Syria.*

Adductos ] Mſ. Bodl. *Abductos.*

CAP. II. Argumentum e nomine ] Mirum pleriſque videri ſolet Tacitum, literarum ſtudiis clariſſimum, adeò portentoſa de Judæorum origine fuiſſe commentum, eâ potiſſimum ætate, quâ Judaicæ res, captâ Judæâ, in Urbe pernotuerant. Quod tamen fortè haud ita mirabuntur, ſi attenderint Tacitum hiſtorias ſcripſiſſe, cùm florentiſſimum fuit Imperium Romanum, vix ſuarum religionum, nedum exterarum, curioſum: Judæorum originem hiſtoriamque multorum Scriptorum mendaciis jam pridem fuiſſe obſcuratas: Judæos demum, ob cærimonias ſacraque a ceterarum gentium ritibus alieniſſima, Romanis jam dudum inviſos, tum ob cla-

dem ſuam fuiſſe deſpicatiſſimos. Igitur Tacitus, Judaicis traditionibus neque credulus, neque penitus incredulus, partim Judæorum, partim exterorum Scriptorum e memoriâ, quæ ſibi probabilia videbantur, ſelegit, ut gentis primordia aperiret. Inde vera falſis, falſa veris admixta, quæ ſingillatim explicare operæ pretium eſt; quòd in iis plurima adhuc lateant primævæ veritatis argumenta.

## *De Cretenſi Judæorum origine.*

Gens Crethim, vel Cerethim, גוי כרתים, I Reg. XXX, 14, Ezechiel XXV, 16, Sophonias II, 5, Judæam inter & Phœniciam habitaſſe memoratur; utrique ita contermina, ut Palæſtini nonnumquam Crethim nomine deſignentur, & pars fuerint Phœniciæ, quæ in his oris latè olim dominata eſt. Phœnices autem colonias in Cretam inſulam miſiſſe teſtantur tum Stephanus, de Urbibus, voce Ἰτανὸς, tum ipſe portus Cretæ, *Phœnice*, cujus mentio exſtat in Act. Apoſtol. XXVII, 12. Adde ex Strabone X, pag. 481, Spartiatas, ſeu Lacedæmonios, plurimas urbes in Cretâ inſulâ condidiſſe: Spartiatæ autem Judæos fratres ſuos eſſe gloriabantur, ut videre eſt I Machab. XII, 21. Antiqua ergo fuit Judæorum & Cretenſium conſanguinitas; Judaicaque progenies fuere Cretenſes. At præterquàm quòd Cretenſes *ſemper mendaces*, ut conſtat ex eorum vate, apud D. Paulum Ep. ad Tit. I, 12, gentili adhuc æmulatione ſe ipſi Judæorum auctores eſſe jactitavere. Quod ita obtinuit, ut LXX Interpretes in Ezechiele & Sophoniâ, loc. cit. כרתים & גוי כרתים, Κρῆτας & Πάροικοι Κρητῶν, id eſt *Cretenſes*, & *advenæ Cretenſium* verterint; indeque Theodoretus, hunc Sophoniæ locum illuſtraturus, quoſdam e Cretâ in maritima Palæſtinæ loca veniſſe, ibique conſediſſe enarret. Manifeſtum ergo cur Cretenſem originem Judæis adſcripſerit Tacitus. Contrà verò Cretenſes Judaico genere prognatos, præter cetera argumenta, probant uſus plurimi, Cretenſibus familiares, ut ſuillâ carne abſtinere, &c. Præterea, quæ de Minoe Cretenſes prodidere, adeò ſimilia ſunt iis, quæ Moſi evenerunt, ut Moſem ac Minoem unum atque eumdem eſſe hominem opinentur Illuſtr. Huetius, *Demonſtratio Evangelica*, Propoſit. IV, num. 9. & ſeqq. eumque ſecutus Chriſtianus Wormius, *De corruptis antiquitatum Hebræarum apud Tacitum & Martialem veſtigiis*, libr. I, pag. 43 & ſeqq. Adde præcipuam fuiſſe apud Judæos ſabbati celebritatem. Sabbatum autem cùm Græci diem Saturni nuncuparent, inde Judæos Saturno devotiſſimos, Cretâque inſulâ profugos, crediderunt.

Aucto in barbarum ] *Morem* addunt Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus. Meliùs omiſere Mſſ. Flor. Bud. Rhenanus & Recentiores. Sic enim ſuprà Annal. VI, 42, *neque in barbarum corrupta*.

Vocitari ] Poſt *vocitari* perperam addunt Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *quaſi Ideos*. Quod in editione principe & recentioribus rectè omiſſum.

Hierosolymo ac Juda ] Ficto Hieroſolymi, vero Judæ nomine abuſi ſunt Ægyptii, ut Ægyptiacam Judæorum originem aſſererent.

## *De Ægyptiacâ Judæorum origine.*

Ægyptii, ſplendore imperii, artium inventionibus, maximam nominis ſui famam excitavere. Hac gloriâ ſuperbi ſe primos hominum eſſe contendebant, ut teſtantur Diodorus Siculus I, 10. pag. 6. aliique plurimi. Inde ſe Judæorum progenitores dixere. Recentis mendacii vanitatem retegit novum Hieroſolymi nomen, nec niſi conditis Hieroſolymis repertum: ipſeque Juda Iſidis regno, vel fabulis, minimè æqualis. Neque umquam, ut gentis ſuæ conditorem, Judam coluere Judæi, quod tradit Juſtinus XXXVI, 2. Antiquiſſima autem fuit Ægyptiorum gens, & in opulentiſſimum imperium adſurrexerat, cùm res Judæorum adhuc eſſent tenuiſſimæ. Ægyptii tamen Judæis, Semi poſteris, origine poſteriores: Ægyptiorum enim parens Meſraim, ſecundus Chami filius; unde apud Orientales populos ipſoſque Ægyptios & Coptas pervulgata Ægypti nomina, *Meſra*, *Meſraim*, & *Chemia*. Vide eruditum Kirkerum, *Œdipus Ægyptiacus*, Tom. I. pag. 2. & ſeqq.

Æthiopum prolem ] Æthiopicæ hujus originis cauſas aperire facile eſt.

## *De Æthiopicâ Judæorum origine.*

Æthiopes rerum olim potiti ſunt, iiſque ſerviit Ægyptus: illos quoque *Syriæ imperitaſſe*, *ætate regis Cephei* tradit Plinius VI, 29. Victoriis elati, ſe Ægyptiis vetuſtiores eſſe profeſſi ſunt: quod naturali etiam ratione confirmabant. Nam Meridianarum plagarum incolæ, ubi quantò acrior Sol, tantò fecundior, ſe primos terrâ editos, ἐζωογονῆσθαι, gloriabantur, teſte Diodoro Siculo, libr. III, 2. pag. 143. Ideo Judæi, ut & ceteri populi, ab Æthiopibus prognati dicebantur.

Alia adhuc erat, & magis propria hujus originis cauſa. In Phoenicio mari, Joppe, nunc *Jafa*, urbs fuit antiquiſſima, in quâ *objectam belluæ Andromedam*, Cephei filiam, ferebant, Plin. V, 31. Immo Plinii, Joſephi, ac proinde Taciti ætate, in ſaxo, quod Joppe urbi præjacebat, *vinculorum Andromedæ veſtigia* oſtendebantur; colebaturque *illic fabuloſâ ceto*, Plin. V, 13. Vide & Joſephum, Bell. Jud. III, 15. Non mirum ergo, ob hæc Æthiopica monumenta, quæ tot pòſt ſæculis in Palæſtinâ non modò ſerva-

bantur, ſed & colebantur, *pleriſque*, ut ſcribit Tacitus, *Æthiopum prolem* viſos fuiſſe Judæos. At non ſolùm Judæis, verùm ipſis quoque Ægyptiis recentiores fuere Æthiopes, ut pote Lud, Meſraim filio, oriundi: quod eruditè demonſtrat Bochartus, *Geographia Sacra*, Part. I. libr. IV. cap. 26. Omitto, quæ Joſephus *Antiq. Jud.* II, 10, memorat: Moſem, adhuc juvenem, in Æthiopiâ bellaſſe, ibi regis Æthiopum filiæ nupſiſſe, &, ut volunt Rabbini, imperaſſe. Hæc Judaica ſint commenta, certum eſt Judæos, ob commercia, Æthiopiam antiquitus adiiſſe, ibique plurimos degiſſe, adhucque degere, ut conſtat viatorum teſtimoniis, quæ vide apud eruditum Ludolfum, *Comment. Æthiopic.* libr. I. num. 101 & ſeqq. Error de illà Æthiopicà origine inde oriri adhuc potuit, quòd Arabia, ſicut & Æthiopia, *Chus* כוש diceretur. Porro cùm ex Arabiâ in Palæſtinam veniſſent Judæi, id conjecturarum inania ſectantibus fortè viſum eſt ſatis, ut originem Æthiopicam confingerent.

Sunt qui tradant ] Bene editio princeps & recentiores. Malè Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *tradunt.*

Assyrios convenas ] Nihil eſt in hac Aſſyriâ Judæorum origine, quod antiquitatem & veritatem non redoleat.

## *De Aſſyriâ Judæorum origine.*

Ut pateat hæc Taciti verba, *Sunt qui tradant*, *Aſſyrios convenas*, *indigum agrorum populum*, *parte Ægypti potitos*, *mox proprias urbes*, *Hebræaſque terras*, *& propiora Syriæ coluiſſe*, ipſiſſimam eſſe Judæorum traditionem, ea paucis explanare ſufficit.

Abram, dictus poſtea Abraham, parens auctorque gentis Judaicæ, *Aſſyrius* fuit *convena*, egreſſus de Ur Chaldæorum, Geneſ. XI, 31. Indigus agrorum, factâque fame, deſcendit in Ægyptum, Geneſ. XII, 12. Ipſe, ejuſque poſteri Iſaac & Jacob, *Aſſyrii* quoque *convenæ*, errantes vixere, donec, ortâ adhuc fame, Jacob ejuſque filii ac nepotes in Ægyptum, ubi Joſeph, filius Jacob, ſecundus a rege agebat, iterum venêre, Geneſ. XLI, 55. & XLVI, 1 & ſeqq. *Parte Ægypti*, nempe terrà Geſſen & Rameſſes in inferiore Ægypto, *potiti* ſunt, Geneſ. XLVII, 4 & 11. *Mox*, ducentis quindecim pòſt annis ex Ægypto egreſſi, Exod. I & ſeqq. *proprias urbes*, urbes ſcilicet Chanaan, *Hebræaſque terras*, *& propiora Syriæ coluere*, ut omnibus compertum, fuſéque narratur in libro Joſue. Hebrææ autem dictæ ſunt terræ ab אברם העברי, id eſt *Abramo Hebræo*, Geneſ. XIV, 13, ejuſque poſteris pariter העברים, ſeu *Hebræis*, quòd עבר, id eſt *trans* Euphratem ex Aſſyria in has terras veniſſent. Omnia ergo in hac traditione cum ſacris Scripturis accuratè concordant.

Mox proprias ] Ita Mſſ. editioneſque veteres ac recentiores. Male Rhenanus, *ac mox.*

Carminibus Homeri ] Falſa hæc Solymæa Judæorum origo : expendenda tamen, ut erroris cauſa aperiatur.

## *De Solymeâ Judæorum origine.*

Apud Græcos Romanoſque fons claritatis fuere Homeri carmina. Ideo clara videbantur Judæorum initia, ſi originem repeterent a Solymis, carminibus Homeri celebratâ gente, quæ Hieroſolymæ urbi e ſuo nomen feciſſe credebatur. Verùm hæc fabula ſolâ linguæ Hebraicæ ignorantiâ nititur. Urbs Jeruſalem dicta eſt primùm *Salem*, שלם, id eſt *pax*, a Melchiſedech, ut fertur, condita. Deinde, cùm Hebræi terras illas occupaſſent, pacemque ibi firmaſſent, appellata eſt *Jeruſalem*, ירושלם, id eſt *poſſeſſio pacis*. Urbi Jeruſalem novam urbem Sion addidit David, tunc non mutato nomine, ſed in duale inflexo, vocata eſt *Jeruſalaim*, ירושלים, vel ירושלם; diversâ quidem ſcripturâ, ſed eâdem pronuntiatione. Græci autem vocem interpretati ſunt Ἱεροσόλυμα; &, cùm vim Hebraicæ linguæ ignorarent, finxere Hieroſolyma dici ab Ἱερῷ templo, & Solymis montibus, ἐκ Σολύμων ὀρέων, quorum meminit Homerus, Odyſſ. V, 284. De pugnacibus Solymis, Σολύμοισι κυδαλίμοισι, agit adhuc in Iliad. VII, 184. Verùm cùm Solymos Homerus memorat, ii non populi ſunt Judææ, ſed Æthiopiæ; quos appellat *Solymos*, quòd eumdem ferme ſitum haberent in Æthiopiâ, quem Solymi in Piſidiâ. Vide Strabonem libr. I. pag. 35.

CAP. III. Plurimi auctores consentiunt ] Cùm varias de Judæorum origine ſententias retuliſſet Tacitus, promiſcuè de eorum inſtitutis ac moribus ex plurimorum auctorum conſenſu agit. Quâ de re cùm multa jam in Notis ſuprà dixerimus, pauca ſuperſunt explananda.

## *De Judæis, eorumque inſtitutis ac moribus.*

Orta per Ægyptum tabe, quam *ſcabiem & vitiliginem*, id eſt lepram, appellat Juſtinus, XXXVI, 2, Judæos Ægypto pulſos fuiſſe tradit Tacitus, ſecutus Chæremonem, ac maximè Lyſimachum, qui eadem omnino mentitus eſt, ut videre eſt apud Joſephum, *contra Apionem*, libr. I, 33 & ſeqq.

Quòd autem mirificam Hebræorum per mare Rubrum tranſmiſſionem ſiluerit Tacitus, mirum videri non debet, cùm ipſe Joſephus, cujus ſcripta tum inclaruerant, prodigium illud ita narraverit, ut id magis everteret, quàm adſtrueret. Simile enim portentum in Pamphylio mari, cùm Alexander Magnus Perſas bello peteret, contigiſſe adſeveravit Joſephus, *Antiq. Jud.* II. cap. ult.

At, vel in ipſis Chæremonis & Lyſimachi mendaciis, latet ſexta, quam Deus Ægyptiis intulit, plaga, cum fœdis purulentiſque ulceribus infecti ſunt, ut narrat Moſes Exod. IX, 10. Iter autem patuiſſe olim per mare Rubrum indicat vetuſtiſſima apud Ichthyophagos, hujus maris accolas, & a patribus accepta fama, quam refert Diodorus Siculus libr. III, 40. pag. 122; *ingenti* ſcilicet *æſtu, aquas quondam in oppoſitas partes ita fuiſſe revolutas, ut fundus maris non tantum appareret, ſed etiam exſiccaretur, deinde relabentibus fluctibus in priſtinum ordinem fuiſſe reſtitutas.* Παρὰ δὲ τοῖς πλησίον κατοικοῦσιν Ἰχθυοφάγοις παραδέδοται λόγος, ἐκ προγόνων ἔχων φυλαττομένην τὴν φήμην, ὅτι μεγάλης τινὸς γενομένης ἀμπώτεως ἐγενήθη τοῦ κόλπου ξηρὸς πᾶς ὁ τόπος, ὁ τὴν χλωρὰν ἔχων τοῦ τόπου πρόσοψιν, μεταπεσούσης τῆς θαλάττης εἰς τἀναντία μέρη· φανείσης δὲ τῆς ἐπὶ τῷ βυθῷ χέρσου πάλιν ἐπανελθοῦσαν ἐξαίσιον πλήμην ἀποκαταστῆναι τὸν πόρον εἰς τὴν προϋπάρξασαν τάξιν.

Hebræos, Ægypto egreſſos, & per vaſta Arabiæ loca vagantes, fatigavit aquæ inopia; idque fatetur ipſe Moſes Exod. XV, 23. Sed eorum ſitis, tum miraculis, tum loci opportunitate levata. Nam in Elim duodecim fontes aquarum & ſeptuaginta palmas reperere, Exod. XV, 26 & 27. Neglecta quidem fuere ob gentis contemptum miracula: ab aquis verò in Elim repertis nata videtur fabula, quâ Moſes, conjecturâ herbidi ſoli, & gregem aſinorum agreſtium ſecutus, largas aquarum venas aperuiſſe dicitur.

Quod autem addit Tacitus, Judæos continuum ſex dierum iter emenſos, ſeptimo, pulſis cultoribus, obtinuiſſe terras, in quibus urbs & templum dicata ſunt, locorum notitiâ & eventuum ſerie ſatis refellitur. Ibi tamen agnoſcas haud obſcurum antiquæ veritatis monumentum. Nam cùm Hebræi ſex diebus continuis urbem Jericho circuiſſent, ſeptimo die, quod ſabbatum erat, eam expugnavere; pulſiſque Chananæis, Palæſtinam obtinuere, in quâ poſtea a Davide urbs Jeruſalem, a Salomone templum dicata ſunt.

Errat autem Tacitus, cûm vitam Moſis produxit, Judaicoſque ritus, occupatâ Palæſtinâ, inditos exiſtimavit. Veriùs dixit apud Judæos profana omnia eſſe, quæ apud Romanos ſacra, & rurſum conceſſa apud illos, quæ his inceſta. Judæis enim conceſſa plurima nuptiarum genera, quæ apud Romanos inceſta habebantur. Sed hac de re & reliquis Judæorum moribus dictum ſatis in Notis.

Regem Bocchorim] Mſſ. Vatic. 1958. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Puteolanus, Pichena & Recentiores. In Mſſ. Vatic. 1863 & 1864. Reg. Agr. & editione principe, *Occorim* vel *Occhorim*.

Ut invisum] Malè Puteolanus, *et inviſum*.

Alias in terras avehere] *Alias* abeſt a Mſ. Corb. Bene Mſſ. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores, *avehere*. In Mſſ. Reg. Corb. *abire*. Editio princeps, *abjicere*.

Mosen, unum exsulum] Mſ. Reg. & editio princeps, *Moiſen*,

*unum exulem.* Mſſ. Harl. Jeſ. Corb. *Moyſen* aut *Moyſem.*

Utrimque deserti ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. editio princeps, Ryckius & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ab utriſque deſerti.*

Sed sibimet, ut duci cælesti, crederent ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. Oroſius quoque I, 10, habet *ſed.* In Mſſ. Flor. Reg. atque editione principe, *& ſibimet.* In Mſ. Corb. *ni ſibimet.* In Mſ. Agr. *ut ſibimet.* Secundâ manu in hoc codice ſuper *ut* adſcriptum *&.* Fortè autem redundat *ut.* Abeſt enim a Mſſ. Reg. Corb. & editione principe. Nec illud habent Oroſius & Otho Friſingenſis, quos vide inter Teſtimonia Veterum. Schelius emendabat, *adeſſent ſibimet : ut duci cæleſti crederent, primo cujus.* Nec aliter J. F. Gronovius & Cl. Erneſtus, qui *ſibimet* ad Judæos; *primo cujus* ad quemvis Judæorum, qui eis opem ferret, referebant : vel omiſſa volebat Erneſtus verba, *ut duci cæleſti.* At hæc omnia vana ſunt. Manifeſtum eſt enim id pertinere ad Moſen, cæleſtem ducem, *primo cujus* auxilio Judæi præſentes in Ægypto, & in maris Rubri tranſitu miſerias jam pepulerant. Rectè Illuſtr. Huetius: *Id vult Cornelius jam opem aliquam ipſis tuliſſe Moſem, qui propterea ſibi credi a Judæis poſtularet. Jam inde autem Moſi fidem habitam ſequentia oſtendunt.* In Mſſ. Flor. Reg. & editione principe, *duce cæleſti.*

Primo cujus auxilio præsentes miserias pepulissent ] Pro *primo* tentabat eruditus Grotius, *pridem.* Quod minimè neceſſarium eſt. Nec meliùs Freinshemius, *cujus conſilio.* Mox in Mſſ. & libris editis, *auxilio credentes præſentes*, &c. At *credentes* omnino redundat: ab amanuenſibus additum poſt Oroſii tempora. Abeſt enim ab ejus libris. Nec illud habet Otho Friſingenſis. Vide Teſtimonia Veterum. Lampugnanus e codice ſuo Mirandulano fruſtra laudat, *pertuliſſent.*

Jamque haud procul ] *Que* abeſt a Mſ. Corb.

Asinorum agrestium ] Peſſimè editio princeps, *Aſſiriorum agreſtum.* Aſinos illos agreſtes Tertullianus onagros dixit. Vide Teſtimonia Veterum.

Concessit ] Non ita bene editio princeps, *conſcendit.*

Venas aperit ] Mallet Illuſtr. Huetius, *venas reperit.*

Id levamen ] Malè Mſ. Guelf. *idem levamen.* Intellige, *fuit.*

In quis ] Ita Mſ. Flor. editio princeps & recentiores. Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *in quibus.*

Dicata ] Sic Mſſ. Flor. Corb. Agr. Erneſtus & Recentiores. Mſ. Harl. & Puteolanus, *dicata ſunt.* Mſ. Reg. & editio princeps, *dedicata ſunt.*

CAP. IV. Gentem firmaret ] Mſ. Corb. *gentes.*

Profana illic ] Fruſtra tentat Acidalius, *profana illis.*

Effigiem animalis ] Non unus Tacitus , ſed Diodorus quoque Siculus , Plutarchus , Apion aliique Aſininum Judæorum numen memoravere. Indeque falsè adversùs Judæum quemdam poetam Martialis , Epigramm. XI, 95.

*Ecce negas , juraſque mihi per templa Tonantis.*
*Non credo : jura , Verpe , per Anchialum.*

Vel potiùs per *Ancharium* , ut habebat vetuſtiſſimus Mſ. Codex Thuanæus. Aſinus enim Romanis dictus eſt *ancharius*. De hac fabulâ ejuſque origine paucis dicendum.

## *De fabulâ aſini a Judæis culti.*

Asinum a Judæis cultum fabulam eſſe omnibus compertum eſt. Nec inter ſe conſentiunt , qui mendacium prodidere. Alii aſinum , alii aſini caput , alii hominem aſino inſidentem , in Judæorum templo fuiſſe ſacratum volunt : hæc omnia abſurda eſſe patet ex ipſo Tacito , qui mox cap. 5. profitetur , Judæos mente ſolâ unum numen , ſummum , æternum , neque mutabile , neque interiturum intelligere : nulla ſimulacra eorum urbibus , nedum templis , eſſe. Objiciebat tamen Apion , calumniator audaciſſimus , aſininum illud caput aureum ab Antiocho Epiphane in templo fuiſſe repertum. Cui reſpondet Joſephus , *contra Apionem* II , 7 , neque ab Antiocho , neque a Pompeio Magno , neque a Licinio Craſſo , neque a Tito , qui omnes templum obtinuere , tale quidpiam fuiſſe inventum : eos nihil reperiſſe , niſi puriſſimam pietatem , de quâ nihil Judæis apud alios effabile ; ob ſacram ſcilicet & ineffabilem Dei Jehovah , יהוה , religionem. Addit Joſephus veteres graviſſimoſque ſcriptores Polybium , Strabonem , Nicolaum Damaſcenum , Timagenem & Caſtorem prodidiſſe tantùm templum ab Antiocho , qui iniquâ & inſatiabili opum cupidine flagrabat , fuiſſe expilatum.

At unde hujus fabulæ origo ? Plurimi eruditas , ſed non ita probabiles , ex Hebraicorum Græcorumve nominum ſimilitudine originationes repetunt , quas videre eſt apud Cl. Joan. Jac. Huldricum , *Gentilis Obtrectator* , Part. I. cap. 4. pag. 56 & ſeqq. Veriùs crediderim fabulam ortam eſſe ex Ægyptiorum malignitate. Naturâ procaces , ſe ſolos ſapientes rerumque peritos jactitare ſoliti , aſiniſque infenſiſſimi , hoc commento vel Judæorum ignorantiam , religioſamve taciturnitatem deſpiciebant , vel frequentem in Judæorum libris aſinorum memoriam , victoriaſque Samſonis , & fuſas ex aſini maxillâ aquas ridebant. Fortè quoque aſininum fuit aliquod ludibrium. Sic hodieque in Ægypto tanta eſt Turcarum ſuperbia , ut equos , nobiliſſimum animal , ſibi ſeponant , aſinos tantùm , vile pecus , Chriſtianis , Judæis , Arabibus , Mauriſque , a Mahumeticâ religione alienis , permittant. Vide Cl. Haſſelquiſt , *Voyages dans le Levant.* Tom. I. pag. 80.

Ut

Ut ut eſt, a Judæis ad Chriſtianos manavit calumnia. Chriſtianorum deus appellatus eſt Ὀνοκοίτης; Chriſtiani dicti ſunt *Aſinarii*, teſte Tertulliano in *Apologetic.* XVI. Rectè breviterque Minucius Felix, in *Octavio*, cap. 28. *Audire te dicis caput Aſini rem nobis eſſe divinam. Quis tam ſtultus, ut hoc colat? Quis ſtultior, ut hoc coli credat?*

Errorem sitimque ] Quidam omiſſum vellent, *errorem*. At perperam: libris omnibus in hac voce conſentientibus.

Qua ipsos scabies ] Ita Mſſ. Flor. Bodl. Jeſ. Puteolanus, Erneſtus & Recentiores. Mſſ. Reg. Corb. editio princeps, & Lipſius, *quòd ipſos ſcabies.*

Retinet ] Bene Puteolanus & Recentiores. In editione principe aliiſque nonnullis, *detinetur*. Mſ. Harl. *retinetur*.

Septimo die ] Mſ. Corb. *ſeptimâ die.*

Idæis ] Bene Lipſius & Recentiores. Malè Mſſ. & veteres editiones, *Judæis.*

Quod e septem ] Bene Rhenanus & Recentiores. In veteribus editionibus, *quod de ſeptem.*

Ac pleraque ] Optimè Mſ. Corb. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ac pleriſque*. Additum in margine Mſ. Harl. *pleraque.*

Et cursum ] Sic Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Corb. & editione principe, *curſus.*

Conficiant ] Bene Lipſius & Recentiores. In Mſ. Vatic. 1863 & editione principe, *coniciant*. Mſ. Corb. *comiciant*. Mſſ. Reg. & Agr. *conjiciant*. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. *commeare*. In margine Mſ. Harl. *conjiciant*. Mſ. Flor. *commearent.*

CAP. V. Hi ritus, quoquo ] Malè Mſ. Guelf. *his quoquo*. Sic quoque Mſ. Harl. primâ manu.

Spretis religionibus patriis ] Legibus Romanis permiſſum erat Judæis, non modò in Judæâ, ſed in Aſiâ, Libyâ, & ubique terrarum ſuis legibus vivere, & donaria, primitias, pecunias, quas unuſquiſque ſponte ſuâ ex pietate in Deum ſolvebat, Hieroſolymam mittere; ut conſtat ex edicto Auguſti Imperatoris, literiſque Marci Agrippæ, & proconſulum Norbani Flacci & Julii Antonii apud Joſephum, *Antiq. Jud.* XVI, 6. Nihil eſt ergo, cur Tacitus queratur quòd, ſpretis religionibus patriis, tributa & ſtipes Hieroſolymam congererent. At quod curioſum magis & obſervatione dignum, hic inquiremus quæ fuerint illa tributa, quæ ſtipes, & quantum inde auctæ Judæorum res.

## *Quæ tributa & ſtipes a Judæis undequaque terrarum Hieroſolymam mitterentur, & quantum inde opum exſurgere potuerit.*

Primitiæ, decimæ, vota, votorumque redemptio, cenſus capitis, ea potiſſimùm fuere tributa, quibus augebantur Judæorum res. Adde donaria; quæ quàm magnifica quandoque fuerint æſtimari poteſt ex munificentiâ Tiberii Alexandri, qui altiſſimas latiſſimaſque novem portas templi, de quibus dicetur infrà cap. 8, argento auroque veſtivit, teſte Joſepho, *Bell.Jud.* V, 5. num. 3. Stipes quoque, ubique collectæ, Hieroſolyma in pauperum ſuſtentationem mittebantur.

Verùm antequam quantum opum inde exſurgere potuerit expendamus, inquirendum quis tum fuerit Judæorum extra Palæſtinam incolentium numerus. Ad hanc inquiſitionem plurimùm conferet Philo. Apertè enim docet tantam fuiſſe in Ægypto Judæorum multitudinem, ut non minùs quàm decies centena millia, 1,000,000, Alexandriam totamque regionem, quanta patet a Catabathmo Libyæ, nunc *Akabet-Aſſolom*, uſque ad terminos Æthiopiæ habitaverint. Οὐκ ἀποδέουσι μυριάδων ἑκατὸν τὴν Ἀλεξάνδρειαν καὶ τὴν χώραν Ἰουδαῖοι κατοικοῦντες ἀπὸ τοῦ πρὸς Λιβύην καταβαθμοῦ μέχρι τῶν ὁρίων Αἰθιοπίας. Philo *in Flaccum*, pag. 971. Certè multò plures fuere in Aſiâ, maximè cùm conſtet Judæos per totam Aſiam ob commercia fuiſſe diffuſos, & in Babyloniâ, quò olim fuerant tranſlati, tantam eorum multitudinem exſtitiſſe, ut Petronius, apud Philonem, teſtetur Babylonem multaſque Satrapias a Judæis teneri, & Caium Caligulam a bello Judaico metu copiarum Tranſeuphratenſium deterreat. Id enim Petronio non auribus tantùm, ſed & oculis erat compertum. Ἐφόβουν δὲ αὐτὸν καὶ αἱ πέραν Εὐφράτου δυνάμεις· ᾔδει γὰρ Βαβυλῶνα καὶ πολλὰς ἄλλας τῶν σατραπειῶν ὑπὸ Ἰουδαίων κατεχομένας, οὐκ ἀκοῇ μόνον, ἀλλὰ καὶ πείρᾳ. Philo, *de Legatione ad Caium*, pag. 1023. Et certè Judæorum numerum imminuam potiùs, quàm exaggerabo, ſi eos in Aſiâ fuiſſe non minùs quàm vicies centena millia, 2,000,000, dixero. Quot autem in Ægypto, tot ſaltem fuere in Europâ & Africâ. Haud immeritò ergo pronuntiaverim non pauciores tunc fuiſſe extra Palæſtinam Judæos, quàm quadragies centena millia, 4,000,000. Inde Philo eos non multò pauciores indigenis tradit. Ὡς τῶν αὐθιγενῶν μὴ πολλῷ τινι δοκεῖν ἐλαττοῦσθαι. Philo, loc. cit.

Ex iis autem omnibus regionibus Judæi ſingulis annis aurum argentumque in templum mittebant; ut videre eſt apud Philonem loc. cit. Aurum quoque, *Judæorum nomine*, *quotannis ex Italiâ & omnibus* Romani imperii *provinciis Hieroſolymam exportari* ſolitum teſ-

tatur Cicero in oratione *pro Flacco*, cap. XXXVIII. Quod quidem vetuit Flaccus, Aſiæ rector; & ſanxit edicto ne aurum ex Aſiâ exportari liceret: ſed id illi datum crimini; permiſſumque Judæis moribus ſuis vivere, aurumque exportare. Idem poſtea multis Auguſti ceterorumque Cæſarum legibus firmatum.

At quantum auri exportarent Judæi nunc expendendum. Novimus quidem ex Cicerone, loc. cit. poſt L. Flacci edictum Apameæ comprehenſum *auri pondo centum paullo minus*, quæ libræ ſunt Gallicæ monetæ circiter 94,500. *Laodiceæ viginti pondo paullo amplius*, Gallicæ monetæ libras circiter 18,900. Quantum Adramyttii, quantum Pergami, quantum in aliis urbibus comprehenſum non declaratur. Alia ergo ineunda eſt via, ut quantum opum ex his collationibus exſurgere potuerit cognoſcatur. Ducem Joſephum ſequamur. Is, auctoritatem Strabonis laudans, docet Mithridatem ad ſe mitti juſſiſſe ex ſacrâ pecuniâ, quam Judæi ex Aſia in inſulam Co, nunc *Stan-Co*, tranſtulerant, *octingenta talenta*, Gallicæ monetæ libras 6,960,000. Joſeph. Antiq. Jud. XIV, 7. num. 2. Τὰ τῶν Ἰȣδαίων ὀκτακόσια τάλαντα.

Sit quidem, per me licet, tota hæc pecuniæ ſumma a Judæis Aſiaticis mitti ſolita. Certè non minorem ſummam ex Europâ, ex Ægypto, ex Africâ, mittebant ceteri Judæi. Ergo modicâ potiùs, quàm magnâ, æſtimatione, Judæi extra Palæſtinam incolentes ſingulis annis Hieroſolyma mittebant Gallicæ monetæ libras 13,920,000. Iidem centum annis mittebant monetæ Gallicæ libras 1,392,000,000. Sic augebantur Judæorum res, ut rectè obſervavit Tacitus.

Illuc congerebant ] Ita Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Flor. Corb. Agr. & editione principe, *illuc gerebant*. In Mſſ. Harl. Guelf. *illuc congregabant*. Mſ. Jeſ. *congrebant*.

Et quia ... sed adversus ] Ita libri ſcripti & editi. Acidalius quidem ait in libris ſuis eſſe, *atque ut apud ipſos ... ſic adverſus* &c. At quinam ſint iſti libri incompertum. Tentat Cl. Erneſtus, & *quidem*. Sed non neceſſariò.

Alienarum ] Mallet Heinſius, *alienigenarum*. Verùm eodem ſenſu uſurpatur *alienarum*.

Transgressi in morem ] Mſ. Agr. *tranſgreſſique in morem*.

Exuere patriam ] Malè Mſ. Reg. & editio princeps, *exire*.

Ex agnatis ] Mallet Lipſius, *ex gnatis*. At fortè hìc & infrà de Moribus Germanorum, XIX, *agnati* pro *nati* uſurpantur. Fortè etiam aliquid reconditius latet. Fuere Judæis proſelyti, & viguit ſanè apud Germanos, ut hodie viget apud barbaros, adoptio. Proſelyti & adoptati, ut nati habebantur, & adnaſcebantur. Inde nefas tum natos, tum agnatos necare. Malè tentabat Samuel Petitus, *ex a. d. natis*. id eſt *ex ante diem natis*.

Animasque ... æternas ] In Mſ. Agr. & editione principe,

*animosque … æternos.* Mſſ. Reg. & Corb. habent quidem *animos.* Sed in Mſ. Reg. *æternis ;* in Mſ. Corb. *æternas.* Ceteri libri, *animas.*

E MORE ÆGYPTIO ] Mſſ. Harl. Jeſ. *more Ægyptio.*

PERSUASIO : CÆLESTIUM CONTRA. ÆGYPTII ] Bene Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *perſuaſio cæleſtium. Contrà Ægyptii.* In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *& perſuaſio cæleſtium. Contrà Ægyptii.* In Mſ. Agr. *eademque cura de infernis & perſuaſio cæleſtium contrà. Ægyptii.* Quod quidem probabat Ryckius. At potior eſt recepta nunc ſcriptura.

PLERAQUE ANIMALIA ] Mſ. Corb. *pleraque animalium.*

UNUMQUE NUMEN ] Mſ. Reg. & editio princeps, *unum tantùm numen.*

SUMMUM ILLUD ET ÆTERNUM ] In Mſ. Reg. & editione principe, *ſolum illud & æternum.* Quod ſatis placeret, ni antè dictum fuiſſet, *unumque numen.* Nam Judæi paſſim ingeminant, paſſim inſcribunt, יהוה אלהינו יהוה אחד, id eſt *Jehovah Deus noſter Jehovah unus.* Deuteronom. VI, 4. *Summum* quoque optimè dicitur ; *Quoniam Deus magnus Dominus : & rex magnus ſuper omnes Deos.* Pſalm. XCIV, 3.

NEDUM TEMPLIS SINUNT ] Perperam Mſſ. & veteres editiones, *nedum templis ſunt.* Emendandum, *ſinunt*, rectè monuit J. F. Gronovius : quod quidem omnes poſtea probavere; & ſic poſtulat Latinitas.

HEDERA VINCIEBANTUR ] Ut illuſtri exemplo pateat quomodo apud Græcos & Romanos fabulæ de Judæis ſint adornatæ, de his coronis hederaceis & Bacchi cultu paulo fuſiùs dicendum.

## *De fabulâ Judæos, hederâ vinctos, Bacchum coluiſſe.*

FABULÆ originem docet monſtratque Plutarchus in *Sympoſiac.* IV, 5. pag. 671. Τῆς μεγίστης καὶ τελειοτάτης ἑορτῆς παρ' αὐτοῖς (Ἰουδαίοις) ὁ καιρός ἐστι καὶ ὁ τρόπος Διονύσῳ προσήκων· τὴν γὰρ λεγομένην νηστείαν ἀκμάζοντι τρυγητῷ τραπέζας τε προτίθενται παντοδαπῆς ὀπώρας, ὑπὸ σκηναῖς, καὶ καθιᾶσιν ἐκ κλημάτων μάλιστα καὶ κιττοῦ διαπεπλεγμέναις, καὶ τὴν προτέραν τῆς ἑορτῆς σκηνὴν ὀνομάζουσιν· ὀλίγαις δὲ ὕστερον ἡμέραις ἄλλην ἑορτὴν οὐκ ἂν δι' αἰνιγμάτων, ἀλλὰ ἄντικρυς Βάκχου καλουμένου τελοῦσιν. Ἔστι δὲ καὶ κρατηροφορία τὶς ἑορτὴ καὶ θυρσοφορία παρ' αὐτοῖς, ἐν ᾗ θύρσους ἔχοντες εἰς τὸ ἱερὸν εἰσίασιν· εἰσελθόντες δὲ ὅ, τι δρῶσιν οὐκ ἴσμεν. Εἰκὸς δὲ Βακχείαν εἶναι τὰ ποιούμενα· καὶ γὰρ σάλπιγξι μικραῖς ὥσπερ Ἀργεῖοι τοῖς Διονυσίοις, ἀνακαλούμενοι τὸν θεὸν χρῶνται· καὶ κιθαρίζοντες ἕτεροι προσίασιν οὓς αὐτοὶ Λευίτας προσονομάζουσιν, εἴτε παρὰ τὸν Λύσιον, εἴτε μᾶλλον παρὰ τὸν Εὔιον τῆς ἐπικλήσεως γεγενημένης. Οἶμαι δὲ καὶ τὴν τῶν σαββάτων ἑορτὴν μὴ παντάπασιν ἀπροσδιόνυσον εἶναι. Σάββους γὰρ καὶ νῦν ἔτι πολλοὶ τοὺς Βάκχους καλοῦσι, καὶ ταύτην ἀφιᾶσι τὴν φωνὴν ὅταν ὀργιάζωσι τῷ θεῷ. *Maximæ & perfectiſſimæ Judæorum ſolemnitatis &*

*tempus & modus cum Bacchi ſacris congruit. Quod enim ipſi vocant jejunium, id ſic celebrant, ut maximè fervente vindemiâ proponant menſas, in quibus expoſitæ ſint omnis generis fruges; & ſub tabernaculis deſident, quæ potiſſimùm e palmitibus & hederâ contexuntur: & primam ſolemnitatis diem* Tabernacula *nominant. Paucis verò poſt diebus aliam feſtivitatem non obſcurè, ſed omnino apertè Baccho nuncupatam celebrant. Eſt etiam ſolemne apud eos feſtum Craterophoria & Thyrſophoria, in quo thyrſos geſtantes in templum intrant: quid intus faciant ignoro. Credibile eſt ab iis Bacchi ſacra peragi: nam & tubis exiguis, ſicut Argivi Bacchanalibus, utuntur ad evocationem numinis: & alii progrediuntur citharis ludentes, quos ipſi Levitas appellant, ſive a Lyſio, ſive ab Evio (utraque vox Baccho congruit) ita dictos. Opinor etiam ſabbatorum ferias non planè a Baccho eſſe alienas. Sabbos enim etiamnum multi Bacchos appellant, eamque edunt vocem dum Orgia Bacchi celebrant.* Alias deinde rationes ſubdit Plutarchus, quibus ſuam ſententiam demonſtratam credit: nempe feſtis diebus ſummum pontificem Judæorum mitratum incedere, tintinnabulis e veſte dependentibus; quod, inquit, nulli alii deo, quàm Baccho convenit: Judæos in ſacrificiis mel non adhibere; quia adverſa vino mellis natura: denique inter multas pœnarum formas, hanc apud Judæos maximè odioſam eſſe, quâ ad certum tempus vino interdicitur damnatus. Quæ retuliſſe ſit ſatis, nec refutatione indigent. Manifeſtum enim eſt hæc omnia niti abſurdis rituum Judaicorum interpretationibus, & ſolemnitate Tabernaculorum in pravum detortâ. Nempe quòd poſt collectas fruges, Judæi in tabernaculis, arborum fronde contextis, diverſantes, ſummâ cum lætitiâ feſtum Tabernaculorum die quintodecimo menſis Tiſri, juxta legem Levitici XXIII, 40 & ſeqq. ſeptem diebus celebrabant; quòd præcipuâ quoque feſtivitate diem alterum & viceſimum ejuſdem menſis Tiſri obſervabant, ramos, ſeu thyrſos, ſalicis aliarumque arborum geſtantes, & Deum *ſervatorem* plurimùm invocantes, ideoque dies ille in Kalendariis Judaicis appellatur הושענה רבה: inde conficta ſunt illa omnia Bacchanalia; a quibus ita abhorrebant Judæi, ut cùm illos ad id impietatis compellere vellet Antiochus Epiphanes, mori potiùs, quàm fœdari maluerint. Vide II Machab. VI, 7. & ſeqq. Confer quoque, ſi volueris, cum Plutarcho Athenæum lib. VII. pag. 276. Inde evidenter perſpicies cur feſtum illud Plutarchus dixerit craterophoria. Σάββες autem memorat, quòd Judæi Deum Sabaoth, יהוה צבאות, ſeu *Deum exercituum* invocabant.

VITISQUE AUREA] Quæ fuerit illa vitis aurea, in templo reperta, explicandum.

## *De vite aureâ.*

CUM in templo interiore omnia auro coruſcarent, ut ejus

porta ornaretur, vitis aurea ſupra columnarum caput, & ſub coronâ muri, expanſa eſt, tantâ amplitudine, *ut ex eâ botri ſtaturâ humanâ dependerent.* Joſeph. *Bell. Jud.* V, 5. num. 4. Εἶχε δὲ καὶ τὰς χρυσᾶς ὑπὲρ αὐτῆς (πύλης) ἀμπέλους, ἀφ' ὧν βότρυες ἀνδρομήκεις κατεκρέμαντο. At expreſſiùs de hac vite Joſeph Gorionides, V, 26. Herodes rex *vitem ex auro puro confectam columnarum capiti impoſuit, cujus pondus mille talenta auri puri æquabat.* יעש גפן זהב טהור ויתן על ראש העמודים מלמעלה נפן ואלף ככרי זהב טהור משקלה: Mox proſequitur Gorionides: *Vitis autem ipſa affabre facta erat; ejuſque rami, folia ac germina rutilante auro conſpicua erant: botri ejus ex auro ſubviridi, illiuſque uvæ atque acini & folliculi ex lapidibus pretioſis conſtabant.* Mille talenta auri puri efficiunt Gallicæ monetæ libras 125,625,000.

At tantum auri pondus, maximè in his loci anguſtiis, eſt omnino abſurdum. Itaque vel crediderim verba Gorionidis ita mollienda eſſe, ut ſignificent vitem illam æſtimatam fuiſſe mille talentis, Gallicæ monetæ libris 8,700,000: vel ſi quis ea de pondere mille talentorum auri accipere voluerit, ſaltem fateatur ſummam illam eſſe totius vitis gemmarumque pretium. Quod quidem vix probabile adhuc videretur, ni ſciremus hanc vitem, non unius Herodis, ſed totius gentis Judaicæ, per omnem terrarum orbem diffuſæ, & ad eam magnificentiam per nonaginta ferme annos pronæ, monumentum fuiſſe. Quicumque enim aurum templo vovebat, folium, aut uvam, botrumve, ex hac vite ſuſpendebat, ut videre eſt in Miſnâ, tit. *Middoth.* cap. 3. num. 8. Haud mirum ergo in maximas opes excreviſſe vitem illam, quæ, oculato teſte Joſepho, *Antiq. Jud.* XV, 11. num. 3. intuentibus, *tum magnitudine, tum arte, in tantâ pretioſæ materiæ copiâ, miraculum videbatur.* Ὑπὸ τοῖς θριγχώμασιν ἄμπελος διετέτατο χρυσῆ, τοὺς βότρυς ἀπῃωρημένους ἔχουσα· θαῦμα καὶ τοῦ μεγέθους καὶ τῆς τέχνης τοῖς ἰδοῦσιν, οἷον ἐν πολυτελείᾳ τῆς ὕλης τὸ κατασκευασθὲν ἦν.

Videtur autem Judæos in hoc aureæ vitis ornatu imitatos eſſe regum Perſarum magnificentiam, quam luculenter teſtatur Chares, Mitylenæus, apud Athenæum lib. XII. pag. 514. Εἰς τοῦτο, φησὶν, ἧκον οἱ τῶν Περσῶν βασιλεῖς, ὥστε ἔχεσθαι τῆς βασιλικῆς κλίνης ὑπὲρ κεφαλῆς οἴκημά τι πεντάκλινον, ἐν ᾧ χρυσίου πεντακισχίλια διὰ παντὸς ἔκειτο τάλαντα, καὶ τοῦτο ἐκαλεῖτο προσκεφάλαιον βασιλικόν· καὶ πρὸς ποδῶν ἕτερον οἴκημα τρίκλινον, οὗ τάλαντα τρισχίλια ἔκειτο ἀργυρίου, καὶ προσηγορεύετο βασιλικὸν ὑπόδιον· ἦν δὲ ἐν τῷ κοιτῶνι καὶ λιθοκόλλητος ἄμπελος χρυσῆ ὑπὲρ τῆς κλίνης· τὴν δὲ ἄμπελον ταύτην Ἀμύντας φησὶν ἐν τοῖς σταθμοῖς καὶ βότρυας ἔχειν ἐκ τῶν πολυτελεστάτων ψήφων συντεθειμένους. *Eò uſque luxûs*, inquit Chares, *proceſſerunt Perſarum reges, ut ad verticem regii cubilis ſupernè eſſet cœnaculum cum quinque lectis, in quo talenta auri quinquies mille*, Gallicæ monetæ libræ ſunt 337,500,000, *ſemper adſervabantur; id cervical regium appellabant: cubilis verò pedibus alterum erat cœnaculum cum tribus lectis, ubi repoſita talentorum argenti tria millia*, Gallicæ monetæ libræ ſunt 13,706,250; *quod ſcabellum*

*regis nuncupabant : in ejus cubiculo fuit quoque vitis aurea , gemmis ornata , ſuper lectum diſtenta , cujus uvas Amyntas , in libro de Ponderibus , ait ex pretioſiſſimis gemmis compoſitas fuiſſe.*

Tantas opes in Oriente umquam exſtitiſſe vix crederemus , ni iis fidem feciſſet noſtra ætas cùm audivimus , & multi ipſi viderunt, regem Perſarum *Thamas-Kouli-Kan* , ſubitò occupatâ anno 1739 urbe *Dely* , Mogolici imperii ſede , abſtuliſſe e theſauro regio :

Monetâ quindecim *Kiurouros* , Gallicæ monetæ libras 337,500,000. *Kiurour* vulgò nuncupamus *Carol.*

Gemmeâ ſupellectile octo *Kiurouros* , Gallicæ monetæ libras 180,000,000.

Lectum regium , æſtimatum ſeptem *Kiurouris* , Gallicæ monetæ libris 157,500,000.

Thronum regium , æſtimatum novem *Kiurouris* , Gallicæ monetæ libris 202,500,000.

Cetera in tam recenti memoriâ omnibus comperta omittam ; ſatis ſit obſervaſſe univerſa ſpolia fuiſſe , minimâ æſtimatione , centum undecim *Kiurourorum* , Gallicæ monetæ librarum 2,497,500,000. Quæ opum commemoratio haud erit ſupervacanea , ut ex noſtris temporibus vetera tempora æſtimare diſcamus.

Nunc verò , ut ad Judæos revertar , monuerim , antequam Herodes vitem auream in templo dicaſſet , aliam jam olim fuiſſe in Cimelio domûs Haſamoneæ a rege Judæorum Alexandro Jannæo factam. Ariſtobulus , ejus filius , eam dono dedit Pompeio Magno , qui eam Romæ in templo Jovis Capitolini dicavit. Exſtat hac de re luculentum Strabonis teſtimonium apud Joſephum , *Antiq. Jud.* XIV , 3. num. 1. Ἔπεμψε γὰρ αὐτῷ ( Πομπηίῳ ) μέγα δῶρον Ἀριστόβουλος , ἄμπελον χρυσῆν ἐκ πεντακοσίων ταλάντων · μέμνηται δὲ τοῦ δώρου καὶ Στράβων ὁ Καππάδοξ, λέγων οὕτως · « ἦλθε δὲ καὶ ἐξ Αἰγύπτου πρεσβεία , καὶ στέφανος ἐκ χρυσῶν τετρα- » κισχιλίων , καὶ ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας εἴτε ἄμπελος εἴτε κῆπος · τερπωλὴν ὠνόμαζον τὸ » δημιούργημα · τοῦτο μέντοι τὸ δῶρον ἱστορήκαμεν καὶ ἡμεῖς ἀνακείμενον ἐν Ῥώμῃ , » ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Διὸς τοῦ Καπετωλίου , ἐπιγραφὴν ἔχον ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΤΟΥ ΤΩΝ » ΙΟΥΔΑΙΩΝ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Ἐτιμήθη δὲ εἶναι πεντακοσίων ταλάντων. Ἀριστό- » βουλον μὲν οὖν τοῦτο λέγεται πέμψαι τῶν Ἰουδαίων δυνάστην. » *Miſit Pompeio ingens donum Ariſtobulus , vitem auream ex quingentis talentis* , Gallicæ monetæ libris 4,350,000. *Meminit autem hujus muneris etiam Strabo Cappadox , his verbis. Venit & ex Ægypto legatio , cum coronâ aureorum quatuor mille* , Gallicæ monetæ librarum 94,500 , *& ex Judæâ ſive vitis , ſive hortus : quod opus* delectationem ( inde vitis illa aurea hortuſque aureus dictus eſt *Terpion* a Joſeph Gorionide, IV, 20. גן מזהב הנקר טרפיון ) *nominabant. Hoc donum vidimus etiam nos Romæ in templo Jovis Capitolini dedicatum , cum Inſcriptione* ALEXANDRI IVDAEORVM REGIS. *Æſtimabatur autem quingentis talentis. Et quidem fertur Ariſtobulum Judæorum dynaſten hoc miſiſſe.*

Hic eſt ſanè mons aureus, hæc vitis aurea, quam Pompeius tranſtulit in triumpho, quem de Judæis victâque Aſiâ egit anno Urbis conditæ DCXCIII. Inſignis annus, quo, auctore Plinio, XXXVII, 2. *victoria illa Pompeii primùm ad margaritas gemmaſque* Romanos *mores inclinavit.* Hoc enim *triumpho tranſtulit alveum cum teſſeris luſorium e gemmis duabus latum pedes tres, longum pedes quatuor: (& ne quis de eâ re dubitet, nulla gemmarum magnitudine hodie propè ad hanc amplitudinem accedente, in eâ fuit Luna aurea pondo XXX*, id eſt triginta librarum Romanarum) *lectos tricliniares tres: vaſa ex auro & gemmis abacorum novem: ſigna aurea tria, Minervæ, Martis & Apollinis: coronas ex margaritis triginta tres: montem aureum quadratum cum cervis & leonibus, & pomis omnis generis circumdatâ vite aureâ: Muſeum ex margaritis, in cujus faſtigio horologium erat.* De hoc triumpho confer & Plinium, VII, 26. Aurea autem hæc vitis Haſamonæorum numquam fuit in templo Hieroſolymitano, ut videre eſt apud eruditum Seldenum, *de Jure Natur. & Gentium*, II, 8, pag. 235.

TEMPLO REPERTA] Mſ. Corb. *templis.*

CAP. VI. QUA AD ORIENTEM] Mſ. Harl. *quæ ad Orientem.*

ÆGYPTUS OBJACET] Mſ. Corb. *ei Ægyptus objacet.*

A LATERE SYRIÆ] Ita Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & editionibus veteribus, *e latere Syriæ.*

RARI IMBRES] Mſ. Corb. *raròimbres.*

BALSAMUM, MODICA ARBOR] Ut olim Pompeius Magnus in Mithridatico triumpho ebenum, ita Veſpaſianus Tituſque in Judaico balſamum oſtendêre. De arbore tantæ olim celebritatis, hodieque magni nominis, pauca diſſerendum.

## *De Balſamo.*

BALSAMO patria eſt Arabia felix. Illud, ut videtur a reginâ Sabâ Salomon accepit; idque vulgò apud Judæos ferebatur, teſte Joſepho, *Antiq. Jud.* VIII, 6. num. 6. Λέγουσι δ' ὅτι καὶ τὴν τοῦ ὀποβαλσάμου ῥίζαν, ἣν ἔτι νῦν ἡμῶν ἡ χώρα φέρει, δούσης ταύτης τῆς γυναικὸς ἔχομεν. *Aiunt etiam quòd opobalſami radicem, quam noſtra etiamnum terra edit, huic mulieri acceptam ferimus.* Poſtea ita a Judæis excultum eſt balſamum, ut inter eorum opes annumeraretur. Unde Juſtinus, XXXVI, 3. *Opes genti ex vectigalibus opobalſami crevere, quod in his tantùm regionibus gignitur.*

Captâ Judæâ, balſamum ſibi vindicavit fiſcus; & ſanè, ut plus lucri perciperetur, in Ægypto quoque ſatum. Nunc natale ſolum ac patriam repetiit; nec jam Judaicum Ægyptiumve, ſed Arabicum, *le baume de la Mecque*, celebratur. Plurimum quidem nominis obtinet, ſed apud nos famâ magis, quàm re: verum enim ac genuinum

in

in Turcarum Imperatoris optimatumque uſus & delicias cedit : ad nos adulterinum defertur. Inde nobis ferme incomperta eximia illa vis, quâ pro ſtomacho & vulneribus præpollet.

Plinius, Veſpaſiano placendi haud incurioſus, multa habet de balſamo. Sufficiat præcipua ſeligere, quæ Tacitum illuſtrent. Hæc autem Plinius, XII, 25. *Omnibus odoribus præfertur balſamum, uni terrarum Judææ conceſſum, quondam in duobus tantùm hortis, utroque regio, altero jugerum XX. non ampliùs, altero pauciorum. Oſtendêre arbuſculam hanc Urbi Imperatores Veſpaſiani. Clarumque dictu, a Pompeio Magno in triumpho arbores quoque duximus. Servit nunc hæc, & tributa pendit cum ſuâ gente, in totum aliâ naturâ, quàm noſtri externique prodiderant. Quippe viti ſimilior eſt, quàm myrto. Malleolis* (Gallicè *des marcottes*) *ſeri dicitur, nuper vincta, ut vitis : & implet colles vinearum modò, quæ ſine adminiculis ſe ipſæ ſuſtinent. Tondetur ſimiliter fruticans, ac raſtris niteſcit, properatque naſci, intra tertium annum fructifera. Folium proximum rutæ, perpetua coma. Sæviere in eam Judæi, ſicut in vitam quoque ſuam. Contrà defendêre Romani, & dimicatum pro frutice eſt. Seritque nunc eum fiſcus : nec umquam fuit numeroſior aut procerior. Proceritas intra bina cubita ſubſiſtit . . . . . Inciditur vitro, lapide, oſſeiſve cultellis. Ferro lædi vitalia odit. Emoritur protinus, eadem amputari ſupervacua patiens. Incidentis manus libratur artifici temperamento, ne quid ultra corticem violet. Succus e plagâ manat, quem opobalſamum vocant, ſuavitatis eximiæ, ſed tenui gutta ploratu, lanis parva colligitur in cornua. Ex his novo fictili conditur, craſſiori ſimilis oleo, & in muſto candida. Rubeſcit deinde, ſimulque dureſcit e tranſlucido. Alexandro Magno res ibi gerente, toto die æſtivo unam concham impleri juſtum erat. Omni verò fecunditate e majore horto congios ſenos, minore ſingulos, cum duplo rependebatur argentum. Nunc etiam ſingularum arborum largior vena, ter omnibus percutitur æſtatibus, poſtea deputatur. Et ſarmenta quoque in merce ſunt.* DCC IIɪ. *amputatio ipſa ſurculuſque veniit intra quintum devictæ annum. Xylobalſamum vocatur, & coquitur in unguentis . . . ſumma probatio* balſami *eſt, ut lac coagulet, in veſte maculas non faciat. Nec manifeſtior alibi fraus : quippe millibus denariûm, ſextarii empti vendente fiſco trecentis denariis, veneunt : in tantum expedit augere liquorem. Xylobalſamo pretium in libras X. V.*

Pauca nunc addiderim, quæ Plinium explicent. Ex iis enim, quæ retulimus, patet ætate Alexandri Magni exiguam fuiſſe balſami copiam, ſiquidem ex duobus hortis annua balſami fecunditas fuit tantum ſeptem congiorum, Gallico pondere librarum ferme 50. Quod, cùm duplo rependeretur, venibat Gallicæ monetæ libris circiter 10,000. Si ex balſami vectigalibus creverint Judæorum opes, ut docet Juſtinus, tunc ſanè vel Judæi majorem balſami copiam excoluere, vel largior fuit arborum vena. Certè, Romanis Judæâ potientibus, & numeroſiores & proceriores fuiſſe arbores teſtatur

Plinius. Nec tamen imminutum balſami pretium : nam, teſte eodem Plinio, ſextarius venibat trecentis denariis, ſeu Gallicæ monetæ libris 233. Ergo tunc quoque duplo rependebatur. Mercatores autem, qui vendente fiſco ſextarium trecentis denariis emerant, ita balſamum oleo, reſinâ, galbano, aliiſque id genus adulterabant atque augebant, ut quod emerant trecentis denariis, ipſi millibus denariûm, Gallicæ monetæ libris 778, venderent. Ligno autem minima erat gratia. Inde anno Urbis conditæ DCCCXXVIII, qui fuit a devictâ Judæâ quintus annus, ſarmenta veniere DCC IIı, ſeu *ſeptingentis ſeſtertiis*, id eſt Gallicæ monetæ libris 136. Xylobalſamo autem pretium in libras X. V. id eſt *denarii quinque*, ſeu Gallicæ monetæ libræ ferme 4.

Fidumque nivibus ] Malè Mſſ. Harl. Bold. Jeſ. *fidumque nimbis.* In margine Mſ. Harl. additum *nivibus.*

Incertæ undæ ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *incertum unde.* Fruſtra tentabant Grotius & Freinshemius, *inerti undæ.*

Ut solido, ferunt ] Sic Mſſ. Vatic. Flor. Reg. editio princeps & recentiores. In Mſ. Corb. *fert.* Mſ. Agr. *feret.* Puteolanus, aliique deinde multi, *feruntur.*

Certo anni ] Fruſtra addunt Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *certo anni tempore.* Ægyptios autem bitumine in condiendis corporibus uſos fuiſſe docet Strabo XVI. pag. 764. Χρῶνται δ' Αἰγύπτιοι τῇ ἀσφάλτῳ πρὸς τὰς ταριχείας τῶν νεκρῶν. Vide jam dicta ſuprà Hiſt. V, 6. pag. 303. not. 6.

Vi solis ] Mſ. Corb. *vique ſolis.*

CAP. VII. Magnisque urbibus habitatos ] Famam illam apud indigenas communem teſtatur Strabo XVI. pag. 764. Ὥστε πιστεύειν τοῖς θρυλλουμένοις ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων, ὡς ἄρα ᾠκοῦντό ποτε τρισκαίδεκα πόλεις ἐνταῦθα, ὧν τῆς μητροπόλεως Σοδόμων, σώζοιτο κύκλος ἑξήκοντά που σταδίων· ὑπὸ σεισμῶν καὶ ἀναφυσημάτων πυρὸς καὶ θερμῶν ὑδάτων ἀσφαλτωδῶν τε καὶ θειωδῶν ἡ λίμνη προπέσοι, καὶ πέτραι πυρίληπτοι γένοιντο· αἵτε πόλεις αἱ μὲν καταποθεῖεν, ἃς δ' ἐκλείποιεν οἱ δυνάμενοι φυγεῖν. *Ut iis fides haberi poſſe videatur, quæ ab indigenis prædicantur : in hoc loco tredecim urbes olim habitatas fuiſſe, quarum caput Sodoma adhuc ſexaginta ſtadiorum habeat ſuperſtitem ambitum : terræ autem tremoribus & ignis aquarumque calidarum & bituminoſarum ac ſulphurearum exſtitiſſe lacum, ſaxa ignem concepiſſe, urbium alias abſorptas, alias ab iis, quicumque fugere potuerunt, derelictas.*

Fulminum jactu ] Sic Mſſ. Corb. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Rhenanus & Recentiores. In Mſ. Reg. & editionibus veteribus, *fulminis.* Latinus Latinius & Lipſius mallent, *ictu :* at rectè quoque dicitur, *jactu.*

Specie torridam ] Bene Mſſ. & libri editi habent *torridam.* Non ita bene Oroſius, *ſolidam.* Vide *Teſtimonia Veterum.*

Sive herba tenus aut flore ] Perperam editio princeps, & Beroaldus, *ſive herbas tenues aut flores.* Mſſ. quoque & Puteolanus habent *herbas* & *flores.* At in iis pro *tenues* ſcriptum *tenus.* Unde rectè emendavit Rhenanus, *ſive herbâ tenus aut flore.* Ryckius tamen e Mſ. ſuo Agr. edidit, *ſive herbæ tenues aut flores.*

Seu solitam ] In Mſſ. Corb. Agr. & editione principe, *ut ſolitam.* Sic quoque edidit Ryckius.

Sicut inclitas ] Sic Mſſ. Corb. Agr. editio princeps, Pichena & Recentiores. Sic quoque Oroſius, quem vide inter *Teſtimonia Veterum.* In Mſſ. Flor. & Jeſ. *ſicut indicas.* In Mſſ. Harl. Bodl. & Puteolanus, *ſicut Judaicas.*

Conlectæ arenæ ] Ita Lipſius & Recentiores. Malè Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *conjectæ arenæ.* In Mſſ. Flor. Reg. Farneſ. Corb. Agr. & editione principe, *lectæ arenæ.* Quod melius puto.

Admixto nitro ] Bene Mſ. Reg. Rhenanus & Recentiores. Perperam vulgò in Mſſ. & veteribus editionibus, *vitro.* In Mſ. Jeſ. *intro.*

Sed egerentibus ] Ita Rhenanus, Lipſius, Ryckius aliique plurimi. In Mſſ. & veteribus editionibus, *& egerentibus.* Quod Cl. Erneſto probatum.

CAP. VIII. Genti caput ] Sic Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. & veteribus editionibus, *gentis caput.*

Immensæ opulentiæ templum ] Quæ fuerit illa opulentia, quam immenſam dixit Tacitus, indicandum.

## *De immenſâ templi opulentiâ.*

Primum, ut quæ dicenda ſunt, intelligantur, abducendus eſt animus a noſtris eccleſiis, quæ nihil habent cum Hieroſolymitani templi magnitudine & magnificentiâ commune: intimi tantùm penetralis ſimilitudinem aliquam referunt, ac maximè Græcorum Eccleſiæ. Grandia ergo cogitanda ſunt ſpatia: circumductæ undequaque porticus marmoreæ, cedrinis laquearibus tectæ: areæ variis pretioſiſque lapidibus diſcriminatæ: ara ſub dio: in receſſu intimum penetrale.

Itaque duplex fuit templum Hieroſolymitanum: interius alterum, alterum exterius. Interioris templi figura quadrata, & ſingula latera quingentorum cubitorum. Ezechiel, XLII, 20. ( Cubitus autem vulgò uno pede & octo pollicibus, menſurâ Pariſienſi, definitur. ) Exterius templum, quo interius continebatur, quadratum quoque fuit, licèt ob junctam turrim Antoniam quadratum non haberetur. Ejus magnitudo haud ita comperta, quòd manifeſtè errat Joſephus,

cùm templi exterioris & turris Antoniæ ambitum ſex ſtadiis comprehendit. Ο᾽ δὲ πᾶς κύκλος αὐτῶν εἰς ἓξ ςαδίȣς συνεμετρεῖτο, περιλαμβανομένης ϗ τῆς Ἀντωνίας. Joſeph. Bell. Jud. V, 5. num. 2. Unde Cl. Danville, *Diſſertation ſur l'ancienne Jéruſalem*, pag. 54, exiſtimat pro ἓξ olim fortè ſcriptum fuiſſe δέκα; ita ut exterioris templi & turris Antoniæ ambitus fuerit ſeptingentarum ſexaginta hexapedarum, Gallicè 760 *toiſes*. Quod ob turris Antoniæ, quatuor aliis turribus munitæ, amplitudinem, minus potiùs, quàm majus crediderim. At hæc de templi magnificentiâ & amplitudine, quas multi eruditi viri eximiis operibus illuſtravere, ſint ſatis. Ejus opulentia nobis potiſſimùm exploranda.

In ipſo templi exterioris aditu, occurrebat Orientem versùs porta triginta cubitos alta, & viginti lata, cujus fores ære Corinthio foribus argento auroque obductis erant multò præſtantiores. Joſeph. *Bell. Jud.* V, 5. num. 3.

A templo exteriore, ubi atrium erat gentium, ad interius templum adeuntibus alia obverſabatur porta, Orientem quoque versùs, quinquaginta cubitos alta, & quadraginta lata. Ejus fores craſſiſſimis auri argentique laminis veſtitæ. In Meridionali Septemtrionalique ejuſdem templi lateribus octo aliæ erant portæ, eâdem, quâ modò dicta exterioris templi porta, magnitudine: earum quoque fores auro argentoque onuſtæ. Joſeph. loc. cit.

In interiore hoc templo erat atrium Judæorum, ara, & penetrale, quod *Sanctum* & *Sanctum Sanctorum* dicebatur. Illud penetrale, ut ſanctitate, ita apparatu & opulentiâ erat præcipuum. Ejus frons, Orienti obverſa, lata cubitos centum, totidem alta, tota auro refulgebat. Ipſum quoque totius penetralis faſtigium, aureis, ſed acutiſſimis, verubus horrebat, ne ab inſidentibus avibus inquinaretur. Ejus porta erat ſeptuaginta cubitos alta, quinque & viginti lata, cui nullæ tamen fores, ut cæli ſemper patentis imaginem referret. Inde erat proſpectus in primam penetralis partem ( tres enim in partes dividebatur penetrale ) altam intus cubitos nonaginta, longam quinquaginta, viginti latam. Porta & prima illa pars interior penetralis undique auro coruſcabat; & ſupra portam expanſa erat vitis illa aurea, unde botri ſtaturâ humanâ dependebant. Joſeph. *Antiq. Jud.* XV, 11. num. 3. & *Bell. Jud.* V, 5. num. 4. De hac vite dictum ſatis ſuprà cap. 5.

Primam hanc penetralis partem excipiebat pars altera ſanctior, alta cubitos ſexaginta, quadraginta longa, & viginti lata. Aureæ erant ejus fores, altæ cubitos quinque & quinquaginta, latæ ſexdecim: ante has fores expanſum erat aulæum Babylonicum, hyacintho, byſſo, cocco & purpurâ, mirabili arte, contextum. In ipſo penetrali, aureis quoque ornamentis fulgido, erat menſa aurea, aureum candelabrum, thuribulum aureum, præcipua Judaicæ

religionis monumenta, de quibus dictum in Appendice ad librum Hiſtoriar. V, 51. Vide & Joſephum, *Bell. Jud.* V, 5. num. 5.

Poſt alteram hanc penetralis partem, ponè ſequebatur pars tertia & ſanctiſſima, quæ appellabatur *Sanctum Sancti*, ſeu *Sanctum Sanctorum*. Ante aureas quoque ejus, ut ſuprà, fores, expanſum erat velum. (Illud eſt velum, quod in morte Jeſu Chriſti ſciſſum eſt.) Tertia illa pars penetralis, alta cubitos ſexaginta, longa cubitos viginti, totidem lata, auro tecta & ſtrata, nullo lumine, præcipuâque veneratione. Ibi enim in templo Salomonico fuerat arca fœderis, duo Cherubim, & propitiatorium. Quæ cùm in templo Zorobabelico deeſſent, crediderim in hac tertiâ penetralis parte fuiſſe tantùm librum Legis. Exiſtimat tamen eruditus Prideaux, *Hiſtoire des Juifs*, ad annum 534 ante Chriſtum, Judæos aliam arcam ad veteris exemplar, Cherubim atque propitiatorium feciſſe & in Sancto Sanctorum repoſuiſſe. At, ſi ibi hæc fuerint, quomodo Joſephus ait nihil omnino in hoc penetrali fuiſſe? Ἔκειτο δ' οὐδὲν ὅλως ἐν αὐτῷ. Joſeph. *Bell. Jud.* V, 5. num. 5. Tacitus quoque cap. 9. memorat *vacuam ſedem*, & *inania arcana.*

Hactenus templi apparatum, in quo quidem multum opulentiæ, vidimus. Nunc verò adeunda templi gazophylacia: alia argenteis aureiſque pateris, vaſis, inſtrumentis referta: alia aromatibus plena: alia byſſo, purpurâ, Babylonicis onuſta. Quanta autem eſſent hac ætate Babylonicis pretia, æſtimari poteſt ex luxu Neronis, cui tricliniaria Babylonia, quadragies ſeſtertio, Gallicæ monetæ libris 778,315, conſtitere, ut diximus inter Anecdota de Nerone. Tom. III. pag. 534. Adde nunc gazophylacia, in quibus ſacra pecunia adſervabatur. Quanta tunc fuerit nemo expreſſit: infinitam eam, ἄπειρον μὲν τῶν χρημάτων πλῆθος, generatim dixit Joſephus, *Bell. Jud.* VI, 5. num. 2. Maximam certè fuiſſe patet, cùm poſt excidium Hieroſolymitanum auri pretium dimidiâ parte in Syriâ ſit imminutum, ut diximus in Appendice ad librum Hiſt. V, 39.

Ut tamen ex vetuſtioribus temporibus præſens opulentia aliquatenus æſtimetur, animadvertendum fuiſſe in templi gazophylacio duo millia talentorum, *Gallicæ monetæ libras* 17,000,000, cùm Pompeius magnus Hieroſolyma cepit anno Urbis conditæ DCXCI. Octo pòſt annis Craſſus illa duo millia talentorum rapuit: præterea templum auro ſpoliavit ad octo millia talentorum, *Gallicæ monetæ libras* 89,600,000: trabem quoque, ex quâ ſuſpendebatur velum, ſolido auro factam ex trecentis minis, *Gallicæ monetæ libris* 754,350, abſtulit. Joſeph. *Antiq. Jud.* XIV, 7. num. 1. Ac proinde tum Craſſus rapuit e templo Hieroſolymitano *Gallicæ monetæ libras* 107,354,350. Nondum tamen templum Hieroſolymitanum, inter aſſiduos bellorum motus, ad eam opulentiam adornatum fuerat, quò poſtea evectum eſt Herodis Magni munificentiâ, & certantibus undique

Judæorum ſtudiis, imperiique Romani pace. Tum enim primùm ad Salomonici templi magnificentiam accedere viſum eſt. Inſuper locupletiſſimus quiſque Judæorum domos in templo exſtruxerat, in quibus opes ſuas condiderat, ita ut tunc ibi eſſent totius gentis theſauri, teſte Joſepho, *Bell. Jud.* VI, 5, num. 2. Πᾶς ὁ Ἰουδαίων σεσώρευτο πλοῦτος. Non immeritò ergo Tacitus *immenſæ opulentiæ templum* dixit.

Hæremus autem, cùm illas templi Hieroſolymitani opes legimus, & noſtrorum templorum pauperiem contemplamur. At reputemus unicum fuiſſe non modò urbis Hieroſolymorum, ſed totius Judaicæ gentis templum. Si unicum quoque nobis foret, & quidquid in tot templa eorumque apparatum fuit expenſum in uno templo collectum haberemus, quantò majores opes miraremur!

Et primis munimentis] *Primis* habent libri omnes ſcripti & editi. Mallet tamen Lipſius, *trinis*, quod urbis Hieroſolymorum tres eſſent partes, ſuis quæque defenſæ munimentis. Malè Beroaldus, *monumentis*. Ryckius e Mſ. Agr. *ex primis munimentis urbis*, id eſt *præcipuum munimentum urbis*.

Urbs, dein regia] Optimè Mercerus & Recentiores. Peſſimè Mſ. Corb. *urbs deningia*. Mſ. Reg. *urs ob denigia*. Editio princeps, *urs ob dein jugis*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *urbs: dein jugis*. Unde Rhenanus emendaverat, *urbs dejugis*. Tentabat Lipſius, *urbs, ob dejugia*. Ryckius e ſuo Mſ. Agr. malè edidit, *urbis, alienigenis templum interius clauſum*.

Ad fores tantum] Malè Mſ. Guelf. *ad fores tamen*.

Intimis clausum] *Intimis* abeſt a Mſ. Corb. Fruſtra tentat Cl. Erneſtus, *cunctis*, vel *adeuntibus clauſum*.

Judæo aditus] Perperam Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps, *Judææ*.

Nam ea tempestate Arsaces desciverat] Cl. Erneſtus exiſtimat verba hæc eſſe additamentum imperiti hominis. At hac de re dictum eſt ſatis in Notis.

Sibi ipsi] Mſ. Corb. *ſed ipſi*.

Procul erant] Bene Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *procul aberant*.

CAP. IX. Judæos domuit] *Judæos* abeſt a Mſ. Corb. Illud quoque omiſit Lipſius.

Nulla intus deum effigie] Bene Mſ. Corb. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *nullas intus deûm effigies*.

Civili inter nos bello] Ita Mſ. Agr. & Cl. Erneſtus, qui tamen vel *civili*, vel *inter nos* redundare exiſtimat. In Mſſ. Flor. Reg. Corb. & editione principe, *civili interno bello*. Puteolanus, *civili bello interno*.

In ditionem ] Malè Mſſ. Bod. Jeſ. Corb. *in ditione.*

C. Sosius ] Malè Mſ. Corb. *C. Seſius.*

Augustus auxit ] Bene Mſſ. & veteres ac recentiores editiones. Malè Rhenanus , *Auguſtus ſanxit.*

Simon ] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. & editiones veteres. Cl. Erneſtus, *Simo.*

Dein jussi ] Mſſ. Harl. Corb. *deinde juſſi.*

CAP. X. Comprimere cœptantem ] Sic Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. Reg. Bud. Corb. & editione principe, *comprimere receptantem.* Puteolanus , *comprimere reos cœptantem.* Nec aliter Mſ. Bodl. licèt habeat *ceptantem.* Mſ. Jeſ. *reos captantem.* Mſ. Harl. *eos captantem.* Unde non diſpliceret , *comprimere eos cœptantem* , ni priùs dictum fuiſſet, *ſub eo bellum ortum.*

Excepere ] Bene Puteolanus ; & ſic vulgò Mſſ. Perperam Mſ. Reg. & editio princeps , *accipere.* Mſ. Bud. *excipere.*

Intra duas ] Sic Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Corb. & editionibus veteribus , *inter duas.*

Cuncta camporum ] Mſ. Corb. *cuncta compoſuit.*

Præter Hierosolyma ] Ita Puteolanus ac Recentiores , & ex communi uſu Taciti. In Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. Bud. Guelf. & editione principe , *præter Hieroſolymam.*

Pace per Italiam parta ] Bene Mſ. Corb. Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & editionibus veteribus, *paratâ.*

Apud exercitus ] Mſſ. Harl. Corb. *apud exercitum.*

Utilius videbatur ] Ita Pichena & Recentiores e Mſ. Flor. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. Agr. Guelf. & editionibus veteribus , *utile videbatur.*

Uti diximus ] Mſ. Harl. *ut.*

Ante mœnia Hierosolymorum ] Mſ. Corb. & editio princeps, *ante Hieroſolymorum mœnia.*

CAP. XI. Prœlia serebant ] Mſ. Corb. & editio princeps , *ferebant.*

Hostium opperiri ] In Mſ. Reg. & editione principe , *experiri.*

Ac ni statim ] A Mſ. Agr. abeſt , *ac.*

Immensum editos ] Ita editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus , *in immenſum editos.* Mſ. Corb. *& immenſum editos.*

Aut introrsus ] Mſſ. Harl. Jeſ. *at.* Mſ. Corb. *introrſum.*

In centenos vicenosque ] Ita Mſ. Reg. editio princeps & recentiores. In Mſ. Corb. *in centenas vicenaſque.* Mſ. Bud. *in centenoſque.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus , *in centenos quoque attolle-*

*jacitur*. Inter devexa, muri in cxx pedes attolli poterant, ut patet ex altitudine turrium, quam memorat Joſephus, *Bell. Jud.* V, 4. num. 3.

CIRCUMJECTA ] Malè editio princeps, *circumvecta*.

CONSPICUOQUE ] *Que* abeſt a Mſ. Harl.

IN HONOREM ] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *in honore*. Secundâ manu in Mſ. Harl. emendatum, *in honorem*.

CAP. XII. LABORE ET OPERE ] Ita Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Agr. Guelf. & editionibus veteribus, *labore & operâ*. At proprium hac in re verbum, *opus*, ut rectè obſervat Cl. Erneſtus.

AMBIEBATUR ] Mſ. Flor. *ambibatur*.

PRÆVIDERANT ] Bene Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Reg. Çorb. Agr. & editione principe, *providerant*.

CETERARUM URBIUM ] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Corb. *cunctarum urbium*. Mſſ. Reg. Agr. & editio princeps, *exterarum urbium*.

SIMON ] In Mſſ. Flor. Reg. Guelf. editione principe & recentioribus, *Simo*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *Symo*. Mox editio princeps, *Simon*.

BARGIORAM ] Bene Lipſius. Malè vulgò Mſſ. & veteres editiones, *Barbagioram*.

ELEAZARUS ] Bene Puteolanus. Corruptè Mſſ. & editio princeps, *Heleazarus*, vel *at Lazarus*.

BELLUM EXTERNUM ] Mſ. Reg. *bellum extremum*.

CONCORDIAM PARERET ] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & editiones veteres, *pararet*.

CAP. XIII. EXPASSÆ ] Bene Puteolanus. Corruptè Mſ. Flor. *expertæ*. In Mſſ. Reg. Agr. & editione principe, *apertæ*. Mſ. Jeſ. *expanſæ*.

IN METUM ] Mſſ. Harl. Bodl. *in metu*. Alterâ manu in Mſ. Harl. emendatum, *metum*.

VESPASIANUM AC TITUM PRÆDIXERANT ] Antiquæ illæ literæ non Veſpaſianum Titumque, ſed Jeſu Chriſti regnum prædixerant. Quod expreſſiùs declarandum.

## *De perſuaſione tunc vulgatâ profectos Judæâ rerum potituros.*

PERSUASIONEM illam teſtatur Tacitus Hiſt. V, 13. *Pluribus perſuaſio inerat, antiquis ſacerdotum literis contineri, eo ipſo tempore fore, ut valeſceret Oriens, profectique Judæâ rerum potirentur.* Quæ ambages

*Veſpaſianum*

*Veſpaſianum ac Titum prædixerant. Sed vulgus, more humanæ cupidinis, ſibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne adverſis quidem ad vera mutabantur.* Eam quoque teſtatur Suetonius in Veſpaſian. IV. *Percrebuerat Oriente toto vetus & conſtans opinio: eſſe in fatis, ut eo tempore Judæâ profecti rerum potirentur. Id de Imperatore Romano, quantum eventu poſtea patuit, prædictum Judæi ad ſe trahentes rebellarunt.* Significantiùs adhuc Joſephus, *Bell. Jud.* VI, 5. num. 4. Τὸ δὲ ἐπάραν αὐτοὺς (Ἰουδαίους) μάλιστα πρὸς τὸν πόλεμον, ἦν χρησμὸς ἀμφίβολος ὁμοίως ἐν τοῖς ἱεροῖς εὑρημένος γράμμασιν, ὡς κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον, ἀπὸ τῆς χώρας τις αὐτῶν ἄρξει τῆς οἰκουμένης. Τοῦτο οἱ μὲν ὡς οἰκεῖον ἐξέλαβον, καὶ πολλοὶ τῶν σοφῶν ἐπλανήθησαν περὶ τὴν κρίσιν· ἐδήλου δ' ἄρα περὶ τὴν Οὐεσπασιανοῦ τὸ λόγιον ἡγεμονίαν, ἀποδειχθέντος ἐπὶ Ἰουδαίας αὐτοκράτορος. *Sed quod maximè Judæos ad bellum excitaverat, vaticinium erat ambiguum in ſacris libris repertum, illis temporibus quemdam ex ipſorum finibus orbis terrarum imperio potiturum. Id enim illi quaſi ſibi proprium acceperunt, multique ſapientes interpretatione decepti ſunt. Significabat nempe oraculum Veſpaſiani principatum, qui in Judæâ declaratus eſt Imperator.*

Oraculum quidem Tacitus ac Suetonius veri ignorantiâ, Joſephus adulatione, in Veſpaſiani fortunam traxere. At altiora & diviniora prænuntiari demonſtrant antiquæ illæ literæ, quæ adhuc exſtant apud Daniel, II, 44. *In diebus autem regnorum* (vel *regum*, מלכיא) *illorum, ſuſcitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem & conſumet univerſa regna hæc: & ipſum ſtabit in æternum.* Illud eſt regnum, quod Apoſtoli, Judæâ profecti, non opum fulgore, non armorum vi, ne *in perſuaſibilibus* quidem *humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritûs & virtutis* fundaverunt, teſte Paulo I ad Corinth. II, 4. Babyloniorum, Perſarum, Græcorum, Romanorumque regnis majus, ſtatim per terrarum orbem latè diffuſum eſt, ut videre eſt apud eumdem Paulum in Ep. ad Romanos, X, 18. Sub ipſo Neronis principatu, jam nonnulli e domo Cæſaris Chriſtianæ militiæ nomen dederant. Inde Paulus in Epiſtolà ad Philippenſes IV, 22. *Salutant vos, qui mecum ſunt, fratres. Salutant vos omnes ſancti, maximè autem qui de Cæſaris domo ſunt.*

Veſpaſianus quidem, ad imperium poſtea evectus, auſus eſt divina oracula in ſuæ dignitatis omen ac firmamentum divertere. At Deus, vanis mortalium conſiliis illudens, brevem fecit Veſpaſiani, breviorem Titi, nec longam, & improſperam, Domitiani poteſtatem; pauciſque annis Flavia domus evanuit. Immo ut illuſtrius exſtaret argumentum divina oracula ad Flaviam domum non pertinuiſſe, illius ipſius domûs pars magna, Flavia Domitilla, Veſpaſiani neptis, Titus Flavius Clemens ejus fratris filius, Plautilla fratris quoque filia, altera Flavia Domitilla, idem ſanguis, Chriſtianam religionem profeſſi, ideoque exſilia & mortem paſſi, regnum

Chriſti ſanguine ſuo firmavere. Vide Stemma Flaviorum in Notis & Emendationibus ad Hiſt. I, 46. pag. 384. num. 11. 12. 13 & 14. Regnum illud, ut nihil humani in ejus propagatione eſſe manifeſtò videretur, cum imperio Romano & exteris principatibus diu luctatum eſt. Interfecti, excarnificati ſunt Chriſti milites. At tandem orbis, eorum patientiâ victus, Chriſto credidit; exemplumque ultro dedere Principes & Imperatores. Tum in ſignis vexilliſque Romanis, quæ tot abhinc ſæculis ut numina habebantur, reſplenduit Chriſti nomen, XP, in quo SPES & SALVS AVGuſtorum: tum in iis effulſit ipſa Chriſti crux, cum inſcriptione IN HOC SIGNO VICTOR ERIS. Adi Conſtantini Magni & Conſtantii nummos. Variis deinde linguis & monumentis celebratus eſt IC XC BASILE BASILE & IHS XPS REX REGNANTIVM. ut paſſim videre eſt in Imperatorum nummis. Idem nos quoque aureis noſtris nummis continuò profitemur: CHRS. REGN. VINC. IMPER. id eſt *Chriſtus regnat, vincit, imperat.* Sic valuit Oriens; & juxta antiquas Prophetarum literas fundatum a Judæâ profectis Jeſu Chriſti regnum, *quod in æternum non diſſipabitur.*

PRÆDIXERANT ] Ita vulgò Mſſ. Puteolanus & libri omnes poſtea editi. In Mſſ. Flor. Reg. & editione principe, *prædixerat.* Quod quidem approbat Jac. Gronovius. At magis placet, *prædixerant;* & ex Taciti uſu.

INTERPRETATI ] Malè Mſ. Jeſ. *interpretari.* Ita tamen emendatum alterâ manu in Mſ. Harl.

VIRILE AC MULIEBRE SECUS ] Sic Mſ. Flor. primâ manu, Jac. Gronovius & Recentiores. Mſſ. Vatic. 1863 & 1958. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *virilis ac muliebris ſexûs.* In Mſ. Reg. & editione principe omiſſum, *ſexus;* ob ſequentem vocem, *ſexcenta.*

SEXCENTA MILLIA ] Ita Mſſ. Flor. Bud. Agr. editio princeps, Rhenanus & recentiores. Malè Puteolanus, *ducenta*; fortè quòd in Mſſ. repererit *dc*[ta], ut habent Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. *Sexcenta* quoque habet Oroſius, VII, 9, quem vide inter Teſtimonia Veterum. Nondum tamen accuratus eſt ille numerus. Nam, teſte Joſepho, intra paucos obſidionis menſes elata ſunt ſexcenta millia, 600,000, fame peſteve enectorum, totoque obſidio periere undecies centena millia, 1,100,000. Vide ad librum Hiſtoriarum V, 34 & 42. Adde captivorum multitudinem. Quæ ſi quis reputet, haud diffitebitur multitudinem obſeſſorum ſaltem fuiſſe duodecies centena millia. Ne tamen incredibilis hic numerus eſſe videatur, de eo diſtinctiùs dicendum, ſimulque quantùm Judaici ſanguinis hoc bello hauſtum ſit declarandum, ut quàm horrenda fuerit Judaica clades ſummatim pateat.

## *Quis obſeſſorum numerus? quot toto bello Judaico interfecti?*

Apud Euſebium, *de Præparat. Evangelic.* IX, 4, Hecatæus, Alexandri Magni expeditionum comes, Hieroſolyma a centum viginti millibus hominum habitata prodit. Crevit poſtea cum populi Judaici fortunâ in urbe principe incolarum numerus; ac, Plinii ætate evaſerat in *longè* clariſſimam *urbium Orientis, non Judææ modò*. Plin. V, 14. Minimè tamen compertum quis tum fuerit ejus incolarum numerus. Fortè fuere ſexcenta millia; huncque numerum, proclivi errore, pro obſeſſorum numero uſurpavit Tacitus: pari errato ſexcenta illa millia de interfectis Oroſius accepit, quæ de obſeſſis fuerant dicta. Ut ut eſt, aucta adhuc erat urbs *magnâ colluvie* Judæorum, & Idumæorum, *& ceterarum urbium* Judaicarum *clade*. Tacit. Hiſt. V, 12. Præterea obſidione clauſi ſunt Judæi, cùm, ob Paſchatis celebritatem, in urbem undique conveniſſent. Quantâ autem multitudine convenirent Ceſtius cognoverat paucis antè annis, ſub finem Neroniani principatûs, vigentibuſque Judaicis rebus: compertum enim ex hoſtiarum numero tum ibi fuiſſe vicies ſepties centena millia, 2,700,000, purorum ſanctorumque, ut loquuntur, Judæorum, qui agnum Paſchalem comedêre; minimè computatis menſtrualibus mulieribus, leprâ aliâve impuritate laborantibus, & alienigenis, qui huc quoque religionis causâ confluebant. *Γίνονται δ' ἀνδρῶν .... μυριάδες ἑβδομήκοντα καὶ διακόσιαι, καθαρῶν ἁπάντων καὶ ἁγίων· ἧτε γὰρ λεπροῖς, οὔτε γονοῤῥοίοις, οὔτε γυναιξὶν ἐπεμμήνοις, οὔτε τοῖς ἄλλως μεμιασμένοις ἐξῆν τῆσδε τῆς θυσίας μεταλαμβάνειν· ἀλλ' οὐδὲ τοῖς ἀλλοφύλοις, ὅσοι κατὰ θρησκείαν παρῆσαν.* Joſeph. *Bell. Jud.* VI, 9. num 3. In hujus ergo Paſchatis celebritate convenere circiter tricies centena millia, 3,000,000, hominum.

In ſupremo autem Paſchate, quod Judæi anno Jeſu Chriſti 70, ſtante templo, celebravere, multò minor multitudo maximè e longinquis regionibus convenit, attritâ jam bellis Judæâ, & imminente Hieroſolymitanâ obſidione. Verumtamen cùm in eâ obſidione perierint undecies centena millia, 1,100,000, hominum, certiſſimum eſt non fuiſſe ſexcenta millia obſeſſorum, ſed potius duodecies centena millia, 1,200,000, aut etiam ampliùs. Tantam autem tum incolarum, tum advenarum multitudinem in urbe Hieroſolymis, quorum ambitus ſuit tantùm XXXIII ſtadiorum, nemo mirabitur, cùm attenderit huic urbi fuiſſe pulcherrima ſuburbana, *τὰ περικαλλῆ προάστεια τῆς πόλεως*, quæ memorat Joſephus, *Bell. Jud.* VI, 1. num. 1. Inſuper cogitandum in Oriente unum cubiculum non uni tantùm homini, ſed toti familiæ ſuffeciſſe. Unde tam frequens

peſtis, ut rectè obſervat eruditus Shaw, *Voyages dans la Barbarie & le Levant*, Tom. I. pag. 354. Ideo quoque in obſidione Hieroſolymitanâ, everſis ſuburbanis, & omnibus in urbe confertim agglomeratis, ex loci anguſtiâ atrox peſtis graſſata eſt; ut habet Joſephus, *Bell. Jud.* VI, 9. num. 3. Ὥς τε τὸ μὲν πρῶτον αὐτοῖς τὴν στενοχωρίαν γενέσθαι λοιμώδη φθοράν.

Nunc verò cùm obſeſſorum numerum ſatis expenderimus, toto bello interfectos ſummatim recenſebimus, ut Judaicæ cladis atrocitas cognoſcatur, & quanto ſanguine occiſi Chriſti ſanguis, ulciſcente Deo, ſit expiatus innoteſcat.

## *Cædes Judæorum ab anno Urbis conditæ* DCCCXIX. *Jeſu Chriſti 66. ad annum U. C.* DCCCXXIII. *J. C. 70.*

INTER ipſa belli initia Hieroſolymis ( Joſeph. *Bell. Jud.* II, 14. ) cæſi ſunt Judæi ad tria millia & ſexcentos, περὶ τρισχιλίους καὶ ἑξακοσίους . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 3,600.

Hieroſolymis aliæ duæ cædes. Joſeph. *Bell. Jud.* II, 15. num. 5. & II, 17. num. 5.

Cæſareæ ( Joſeph. *Bell. Jud.* II, 18. num. 1. ) cæduntur ſupra viginti millia, ὑπὲρ δισμυρίους . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 20,000.

Per totam fermè Syriam magna Judæorum ſtrages. Joſeph. *Bell. Jud.* II, 18. num. 2. & 5.

Scythopoli ( Joſeph. *Bell. Jud.* II, 18. num. 3. ) cæſa tredecim millia, ὑπὲρ μυρίους καὶ τρισχιλίους . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 13,000.

Aſcalone ( Joſeph. *ibid.* num. 5. ) duo millia & quingenti, πεντακοσίους ἐπὶ δισχιλίους . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 2,500.

Ptolemaide ( Joſeph. *ibid.* ) duo millia, δισχιλίους . . . . . . . 2,000.

Alexandriæ ( Joſeph. *ibid.* num. 8. ) quinquaginta millia, πέντε μυριάδας . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 50,000.

Ceſtius Zabulonem, urbem Galilææ, & circumjectos vicos diripit & incendit. Joſeph. *ibid.* num. 9.

Joppe ( Joſeph. *ibid.* num. 10. ) cæſi ad octo millia & quadringentos, τετρακόσιοι πρὸς ὀκτακισχιλίοις . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 8,400.

In Narbatene toparchiâ, Cæſareæ vicinâ, cædes plurimæ, & vici incendio conſumpti. Joſeph. *ibid.*

In monte Aſamone, prope urbem Sepphorin, ( Joſeph. *ibid.* num. 11. ) cæſi ſuper duo millia, ὑπὲρ δισχιλίους . . . . . . . . . . 2,000.

Lyddâ urbe, ( Joſeph. *Bell. Jud.* II, 19. num. 1. ) fermè vacuâ, quòd omnis fere multitudo Hieroſolyma ob feſtum Tabernaculorum aſcenderat, incenſâ, cæſi quinquaginta, πεντήκοντα . . 50.

Damaſci ( Joſeph. *Bell. Jud.* II, 20. num. 2. ) cæſi ad decem

millia, *μυρίους* .................................... 10,000.

Aſcalone ( Joſeph. *Bell. Jud.* III, 2. num. 2 ). decem millia, *μύριοι* .................................... 10,000.

Aſcalone iterum ( Joſeph. *ibid.* num. 3 ). octo millia & ampliùs, *ὑπὲρ ὀκτακισχιλίους* .................................... 8,000.

Gadarâ captâ, puberes omnes Veſpaſianus interficit, urbem, vicinaque oppida vicoſque incendit. Joſeph. *Bell. Jud.* III, 7. num. 1.

Japhæ, in vico Galilææ maximo, ( Joſeph. *ibid.* num. 31 ). cæſa quindecim millia, *μύριοι πρὸς τοῖς πεντακισχιλίοις* .......... 15.000.

In monte Garizim ( Joſeph. *ibid.* num. 32 ). undecim millia & ſexcenti, *χιλίους ἑξακοσίους ἐπὶ μυρίοις* .................... 11,600.

Jotapatæ ( Joſeph. *ibid.* num. 36 ). quadraginta millia, *τετρακισμύριοι* .................................... 40,000.

Everſa urbs Joppe, cùm priùs ſubmerſa fuiſſent ( Joſeph. *Bell. Jud.* III, 9. num. 3 ). Judæorum quatuor millia & ducenti, *τετρακισχίλιοι πρὸς τοῖς διακοσίοις* .................................... 4,200.

Tarichæis, & in pugnâ navali lacuque Geneſar, ( Joſeph. *Bell. Jud.* III, 10. num 9 ). periere ſex millia & quingenti, *ἑξακισχίλιοι πεντακόσιοι* .................................... 6,500.

Tarichæis ( Joſeph. *ibid.* num. 10 ). iterum cæſi mille ducenti, *διακοσίους ἐπὶ χιλίοις* .................................... 1,200.

Gamalæ ( Joſeph. *Bell. Jud.* IV, 1. num. 10. ) perempti quater mille, *τετρακισχίλιοι* .................................... 4,000.

Ibidem ( Joſeph. *ibid.* ) ſponte præcipites, enecti quinquies mille & ampliùs, *ὑπὲρ πεντακισχιλίους* .................................... 5,000.

Giſchalæ, ( Joſeph. *Bell. Jud.* IV, 2. num. 5. ) fugitivorum cæſa ſex millia, *εἰς ἑξακισχιλίους* .................................... 6,000.

Hieroſolymis ( Joſeph. *Bell. Jud.* IV, 5. num. 1. ) ab Idumæis cæduntur octo millia & quingenti, *ὀκτακισχιλίους ϗ πεντακοσίους*... 8,500.

Ibidem ( Joſeph. *ibid.* num. 3. ) cæſa nobilium duodecim millia, *μύριοι ϗ δισχίλιοι τῶν εὐγενῶν* .................................... 12,000.

Ibidem cædes plurimæ a Zelotis editæ. Joſeph. *Bell. Jud.* IV, 6. num. 1 & 3.

In caſtello Maſadâ, Hieroſolymis vicino, ( Joſeph. *Bell. Jud.* IV, 7. num. 2. ) a Sicariis cæſi Judæi ſeptingenti & ampliùs, *ὑπὲρ ἑπτακοσίους* .................................... 700.

Ab iiſdem Sicariis per totam Judæam cædes editæ. Joſeph. *ibid.*

Gadarenſium ( Joſeph. *ibid.* num. 4. ) a Romanis cæſa quindecim millia, *μύριοι πεντακισχίλιοι* .................................... 15,000.

Infiniti alii, *πλῆθος ἄπειρον*, in Jordanem præcipites deſiliere. Vaſtitas, & internecio a Gadaris uſque ad lacum Aſphaltitin: plurimi quoque in ipſo lacu cæſi. Joſeph. *ibid.*

In vicis Idumææ, Betari & Cephartobâ, ( Joſeph. *Bell. Jud.* IV, 8. num. 1. ) cæſa decem millia, *ὑπὲρ μυρίους* ....... 10,000.

Alii vici plurimi everſi & incenſi. Joſeph. *ibid.*

Geraſis ( Joſeph. *Bell. Jud.* IV, 9. num. 1. ) cæſi juvenes mille, χιλίυς τῶν νέων . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 1000.

Ibidem loca plurima flammis & cædibus fœdata. Joſeph. *ibid.*

Prœlia multa, quibus ſe ipſi & Idumæos conficiunt Judæi. Joſeph. *ibid.* num. 5 & 7.

Toparchias Gophniticam & Arabatenam, indeque Hieroſolyma uſque loca omnia occidione depopulatur Veſpaſianus. Joſeph. *ibid.* num. 9.

Pariter Cerealis Idumæam ſuperiorem vaſtat, & Chebronem urbem, haud procul Hieroſolymis, incendio & incolarum internecione delet. Joſeph. *ibid.*

Hieroſolymis Judæi, factionibus odiiſque efferati, in ſe ipſi ſæviunt. Prœlia, cædes plurimæ: templum quoque cruore reſperſum. Joſeph. *Bell. Jud.* IV, 9. num. 10. & V, 1. & 3.

Hieroſolymorum obſidio: fames, peſtis, tanta demum neceſſitas, ut in hac unicâ obſidione (Joſeph. *Bell. Jud.* VI, 9. num. 3.) perierint Judæorum undecies centena millia, τῶν δὲ ἀπολυμένων κατὰ πᾶσαν τὴν πολιορκίαν μυριάδες ἑκατὸν ϗ δέκα . . . . . . . . . . . 1,100,000.

Captis exciſiſque Hieroſolymis, duo adhuc manebant Judæis præſidia, Machærus & Maſada. Machærunte ( Joſeph. *Bell. Jud.* VII, 6. num. 4 ). cæſi Judæi mille & ſeptingenti, ἐπὶ τοῖς χιλίοις ἑπτακόσιοι . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 1,700.

In ſaltu Jardes ( Joſeph. *ibid.* num. 5. ) Hieroſolymis & Machærunte fugitivorum cæſa tria millia, τρισχιλίων . . . . . . . . . . . . 3,000.

Maſadæ ( Joſeph. VII, 9. num. 1. ) Judæi omnes, ne in manus Romanorum venirent, ſe ipſi perimunt nongenti numero & ſexaginta, ἑξήκοντα πρὸς τοῖς ἐννακοσίοις . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 960.

Cyrenen uſque ( Joſeph. *Bell. Jud.* VII, 11. num. 2 ) Judaici belli furor pervaſit; ibique cæſa Judæorum tria millia, τρισχιλίυς . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 3000.

Nunc verò ſi ſummas, a Joſepho ſingulatim expreſſas, collegerimus, interfectorum erit numerus . . . . . . . . . . . . . . . . . 1,378,910.

Si, quæ Joſephus generatim dixit, æſtimaverimus, ſanè haud pauciores Judæi toto hoc bello periere, quàm vicies centena millia . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 2,000,000.

Denique reputemus ( quod jam monuimus in Appendice ad Hiſtoriarum librum V, 42 & 43. ) captivorum nonaginta ſeptem millia, venditam terram, Judæos, ubicumque in Romano imperio degerent, Jovi Capitolino tributum ſolvere juſſos, ac tandem, quales prædixerat Oſee III, 4, *ſine rege, & ſine principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine ephod, & ſine theraphim.* Eventa illa, quibus nulla umquam extitere illuſtriora & teſtatiora, immo quorum noſmetipſi teſtes ſumus, cum vaticiniis Danielis IX, 26 & 27, ipſiuſque

Moyſis, qui in Deuteronom. XXVIII, 46 & ſeqq. Judaicam hanc calamitatem non tam prædixit, quàm deſcripſit, conferamus; atque nihil eſſe religione divinius fateamur.

Impetus ] Ita Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Pichena & Recentiores. In Mſ. Reg. & editionibus veteribus, *impetum*.

Struerentur ] Ut obligatam in Notis fidem meam liberem, reſque Judaicas abſolvam, quæ de Judæis Sinenſibus comperta habeo, hic exponam.

## *De Judæis Sinenſibus.*

Ubi primùm in Europâ auditum eſt repertos fuiſſe in imperio Sinenſi Judæos, eruditis omnibus viris ſtatim ſpes adfulſit fore, ut inde ſacræ literæ inclareſcerent, Hebraicaque ſtudia promoverentur. Verùm P. Matthæus Ricci, cujus opera innotuerant, gravioribus curis, magnis locorum intervallis, & præproperâ morte, quæ contigit anno 1610, impeditus, pauca reſcire potuit, quæ ex Trigaltio, *de Expeditione Sinicâ*, libr. I. pag. 118, & Semedo, *Relatione della China*, parte I. pag. 193. publicavere Cll. Walton, *Biblia Polyglotta*, Tom. I. Prolegomen. III. ſect. 41. & Jablonski, *Biblia Hebraica*, in præfat. Sect. 38.

Ineunte hoc ſæculo paulo plura vidit audivitque P. Gozani, quæ edita ſunt in libro, cui titulus: *Lettres édifiantes & curieuſes écrites par quelques Miſſionnaires de la Compagnie de Jeſus.* Tom. VII. pag. 1. & ſeqq.

Iis eruditæ Europæorum curioſitati fieri ſatis minimè potuit. Rogati ſunt ergo PP. Gozani, Domenge & Gaubil, ut de Judæis Sinenſibus diligentiùs inquirerent, & quidquid comperti habere poſſent, reſcriberent. Id laboris libenter ſuſcepere. Quod in eorum Mſſ. literis, reperi, libentiſſimè communicabo, tum ne pereant Sinenſia hæc monumenta, tum ut res Judaicæ, hactenus, duce Tacito, fuſiùs explanatæ, magis ac magis illuſtrentur. Gratiſſimum quoque nobis erit, ſi hac noſtrâ opellâ juvari poſſint ſtudia eruditiſſimi Kennicott, qui tot abhinc annis maximâ cum laude, favente Britanniâ, totâ plaudente Europâ, maximos in apparandâ accuratiſſimâ Bibliorum Hebraicorum editione labores ſuſtinet. Ne quid autem obſcuritatis ſuboriatur, notas ſubjiciam, quibus graviora difficilioraque explicentur.

Judæi in imperium Sinenſe venire cœperunt ſub Dynaſtiâ *Tcheou*, quæ rerum potita eſt ab anno 1122 ad annum 249 ante Jeſum Chriſtum. Fixas ſedes ibi habuere ſub Dynaſtiâ *Han* [1], imperante *Ming-ti*. Anno 1723, menſe Martio, cùm eos interrogaret P. Gau-

[1] Dynaſtia *Han* cœpit anno 205 ante Chriſtum, deſiit anno Chriſti 220. *Ming-ti* imperare cœpit anno Chriſti 58, mortuus eſt anno Chriſti 75.

hil, dixere ſe e regione *Si-yu* veniſſe, abhinc annis 1650. Apud Sinas ergo habitare cœpere anno Jeſu Chriſti 73, biennio ante mortem *Ming-ti*, tribus annis poſt excidium Hieroſolymitanum. Regio *Si-yu*, id eſt Occidentalis, quantùm intelligi potuit, eſt Perſis [1], *la Perſe*, & venere per *Coraſſan* & *Samarkand*. Tunc erant ſaltem 70 *ſings* [2], ſeu familiæ, e tribubus Benjamin, Levi, Juda &c. Superiore ſæculo manebant adhuc octo familiæ: nunc manent tantùm ſeptem; eæque ſexcentorum circiter hominum. Si idem fuerit in familiis numerus, cùm venere, Judæi circiter 6000 Sinas ingreſſi ſunt. Diu ſocietatem habuere cum Judæis *Si-yu*: ſed ducentis fermè abhinc annis nullos ex hac regione Judæos videre iis contigit. Nullos alios Judæos in Indiis, in regno *Thibet*, in Tartariâ Occidentali novere.

Sinenſium autem Judæorum res diu floruere; atque etiam ita adcreverunt, ut viros plurimos habuerint Sinenſibus literis inſignes, vulgò *des lettrés*, opibus validiſſimos, imperii quoque dignitatibus ornatos, provinciarum nempe rectores, & Mandarinos, ut loquuntur. Præcipuæ eorum ſedes memorantur *Nimpo*, *Ning-hia*, *Ham-tcheou*, *Peking*, & *Cai-fong-fou*. At paulatim labantibus Judæorum rebus, & multis ad Mahumetanam ſectam deflectentibus, uti Judæis Pekinenſibus aliiſque contigit, ſoli jam cognoſcuntur Judæi *Cai-fong-fou*. Urbs autem illa caput eſt provinciæ *Honan*, & ab Urbe *Peking* centum quinquaginta leucis diſtat. Variis ibi funeſtiſque caſibus Judæi conflictati ſunt. Eorum Synagoga inundatione fluminis *Hoang-ho* anno 1446 [3], incendio ſub initia Imperatoris *Ouan-li*, qui imperium tenuit ab anno 1573 ad annum 1620, iterum inundatione anno 1642 hauſta eſt. Tum reſtituta, exſtat adhuc, paucis fortè annis duratura; adeò in deterius res Judæorum apud Sinas aguntur. Permagni ergo intereſt eos & quæ ad eorum ſacra pertinent cognoſcere.

Judæi a Sinenſibus appellantur *Hoei-Hoei*: quod nomen commune habent cum Mahumetanis. Ipſi verò ſe appellant *Tiao-Kin-Kiao*, id eſt lex amputantium nervos, quòd nervos venaſque reſecent, ut ſanguine abſtineant. Altero quoque nomine ſe nuncupant *Lan-mao-hoei-hoei*, quia inter orandum in Synagogâ pileolo cœruleo caput tegant: contrà verò Mahumetanos, quòd pileo albo utantur, vocant *Pe-mao-hoei-hoei*.

Synagoga, in quâ tota religio Judæorum Sinenſium poſita eſt, ab iis dicitur *Li-pai-ſe*, id eſt locus cærimoniarum. Sic quoque ſua templa nuncupant Mahumetani. Judæorum autem *Li-pai-ſe* [4] ab

[1] Perſicas quaſdam voces adhuc norunt & loquuntur, teſte Patre Domenge.

[2] Cum *Sings* vertimus familias, intelligimus familiæ nomine, omnes qui ejuſdem ſunt originis. Id vulgò dicimus *une maiſon*. Sic familia una in plures familias dividitur. Inde ſeptem *Sings*, ſeu ſeptem familiæ quæ ſuperſunt, efficiunt, ut a Judæo accepit Pater Domenge, *pe che kia gin*, id eſt centum familias & ampliùs.

[3] De hac inundatione fuſius dicetur infrà, cùm prima Inſcriptio Sinenſis explicabitur.

[4] Synagogæ Judæorum Europæorum penitus

Oriente

Oriente in Occidentem protenditur intra trecentos quadringentoſve pedes : latitudo ejus a Septemtrione ad Meridiem centum quinquaginta pedes patet. In quatuor veluti partes diviſum eſt. Prima pars eſt Orientem versùs ; in ejus medio ſtat *Pai-leou*, ſeu arcus triumphalis, cui Sinicè Inſcriptum eſt *Kim-Tien*[1] : hinc & inde arbores. Secundæ partis frons magnam portam cum portis lateralibus, aliaſque duas minores habet. In hujus ſecundæ partis lateribus, Septemtrionem & Meridiem versùs, ſunt duæ domus duorum cuſtodum *Li-pai-ſe*. Ex hac ſecundâ parte in tertiam euntibus obverſatur *Ul-men*, ſeu ſecunda porta, cum lateralibus aliiſque duabus minoribus. In hac tertiâ parte ſtat alter *Pai-leou*, ſeu arcus triumphalis : hinc & inde inter arborum ordines duæ tabulæ marmoreæ, literis Sinenſibus inſcriptæ. De his Inſcriptionibus infrà dicetur commodiùs. Ultra has tabulas in latere Meridionali eſt *Tſe-thang*[2], ſeu cella Mandarini Judæi *Tchao*, qui incenſum *Li-pai-ſe* reſtituit : Septemtrionale latus habet alterum *Tſe-thang*, ſeu alteram cellam poſitam Judæo[3], qui *Li-pai-ſe*, quod nunc exſtat, exſtruxit. Paulo ſupra has cellas, ſunt hinc & inde cellæ hoſpitum & conventuum, Gallicè *les Salles des hôtes & des aſſemblées*. Ad quartam *Li-pai-ſe* partem devenimus, quæ in duas veluti partes dividitur. Pars prior habet longum ordinem arborum, in cujus medio eſt *Hiang-lou*, ſeu vas ingens æreum ad incendendos odores. Prope vaſis latera ſunt duo leones marmorei, baſibus impoſiti. Supra duos leones, Occidentem versùs, baſibus quoque impoſita magna duo vaſa ærea, quibus flores continentur. In Septemtrionali latere eſt culina *Tiao-Kin*, id eſt in quâ evelluntur nervi, cùm carnes apparantur. Pars poſterior habet in lateribus, Septemtrionem & Meridiem versùs, *Tſe-thangs*, ſeu cellas Majorum, Gallicè *les Salles des Ancêtres*. Quo ritu Abraham, Iſaac, Jacob, duces duodecim tribuum, Moyſen, Aaron, Joſue, Eſdram, aliosque plurimos gentis ſuæ viros feminaſque illuſtres, ſingulis annis autumno & vere colant, deſcripſit P. Gozani, *Lettres édifiantes*, Tom. VII. pag. 10 & 19. In medio adſurgit templum, supernè qua-

differunt a templo Hieroſolymitano. Contrà vero ad ejus ſimilitudinem proximè accedit Sinenſe *Li-pai-ſe*. Utrumque ab Oriente in Occidentem converſum : præcipuarum portarum idem ordo. Ad partes ante *Ul-men* & poſt *Ul-men* referri poſſunt atria gentium & Iſraelitarum. In *Li-pai-ſe* Sinenſi poſitum eſt *Hiang-lou*, ubi in templo Hieroſolymitano erat ara. Dein templum eodem in loco eſt, ubi olim fuit Hieroſolymis Sanctum. *Bethel* autem eſt ipſum Sanctum Sancti, ſeu Sanctum Sanctorum.

[1] Quâ Inſcriptione declaratur hoc *Li-pai-ſe* dicatum eſſe ſupremo rerum omnium auctori & conſervatori. Illud *Pai-fa* magnum, nobile, & ſatis vetuſtum appellat Pater Gozani. Quod inſcriptum ait iiſdem planè literis, quas Imperator *Kang-hi* ipſe manu ſuâ ſcripſit, dediſque Patribus Societatis Jeſu, ut eas eccleſiæ ſuæ Pekinenſi appenderent. Vide ergo patrem *du Halde*, qui Pekinenſe *Pai-fa* exhibet. *Deſcription de l'Empire de la Chine*, Tom. III. pag. 34.

[2] Ante *Tſè-thang*, ſeu cellam hujus Mandarini, eſt animal baſi impoſitum. Quodnam ſit illud animal fruſtra divinaretur, cum nec ejus formam ſatis expreſſit P. Domenge in ſuâ *Li-pai-ſe* ichnographiâ, nec ejus nomen prodidit.

[3] Judæus ille fuit Mandarinus, ſeu civilium capitaliumque rerum judex in [illegible], id eſt in urbe ſecundi ordinis. Ob reſtitutum *Li-pai-ſe*, *Tſe-thang* ei poſitum eſt, id eſt cella, aulave, in quâ eſt tabella defuncti, & ſtatutis anni temporibus ejus memoria more Sinico recolitur.

druplici faſtigio inſigne, infernè clathrato ſepto, *une baluſtrade*, cinctum. In areâ, quæ eſt ante templum, magnum tentorium die feſto Tabernaculorum erigitur. Templum verò latum eſt quadraginta circiter pedibus, ſexaginta longum. Porticum habet duplici tetraſtylo ornatam.

Nunc templum ſubeamus, intus utrimque duplici columnarum ordine ſuffultum. In medio, quod vulgò dicimus *la nef*, primùm occurrit Cathedra Moyſis, quam tholus, *un dôme*, ſupereminet. Deinde *Van-ſoui-pai*, ſeu tabella Imperatoris, *la tablette de l'Empereur*, cui Sinenſibus literis aureis nomen Imperatoris inſcriptum, cum duplici coronide & cancellis, Gallicè *des jalouſies*. Supra *Van-ſoui-pai* aureis quoque literis Hebraicè inſcriptum:

שמע ישראל יהוה אלהינו יהוה אחד [1] ברוך שם כבוד מלכותו לעלם ועד

Id eſt, *Audi, Iſrael: Jehovah Deus noſter Jehovah unus. Benedictum nomen gloriæ. Regnum ejus in ſæculum & in æternum.*

Poſt *Van-ſoui-pai*, ſtat arcus cum triplici fornice. Aureis etiam literis illi inſcriptum:

בין כיהוה אלהי האלהים ואדוני האל הגדול הגבור והנרא

Id eſt, *Intellige Jehovah eſſe Deum Deorum, & Dominum, Deum magnum, fortem & terribilem.*

Poſt arcum eſt magna menſa odoramentorum, ſupra quam poſita ſex candelabra: in duobus primis candelabris, duæ tædæ: in duobus mediis, duæ candelæ: in duobus extremis, duæ lucernæ. His candelabris tres diverſæ formæ. In eorum medio magnum vas odoramentorum tripes & anſatum. Prope menſam aliud vas lavandis manibus.

Poſt menſam eſt *Bethel*, id eſt domus Dei, Sinicè *Tien-tang*, ſeu templum cæli, foris quadratum, intus rotundum. Hæc eſt pars templi ſanctiſſima, quam unus *Tchang-Kiao*, id eſt Synagogæ rector ſolet ingredi. In hoc Bethel ſupra tredecim menſas ſtant tredecim *Ta-Kings*, id eſt tredecim legis, aut Pentateuchi, volumina; ſingula, velis ſericis obtecta. Duodecim ex his voluminibus referunt duodecim tribus Iſrael. In medio ſtat tertiumdecimum, in memoriam honoremque Moyſis poſitum.

Poſt Bethel, in ipsâ templi extremitate, refulgent tabulæ Legis aureis literis Hebraicè inſcriptæ. Ex utroque latere tabularum ſunt armaria: in iis incluſi libri, quibus vulgò utuntur Judæi. Ante ſingula armaria eſt menſa, ſupra quam medium eſt inter duo vaſa candelabrum.

Hoc eſt templum, in quod Judæi ſabbatis aliiſque feſtis diebus conveniunt, Deum adoraturi. Ii latera templi occupant. Media enim

[1] Prima pars hujus Inſcriptionis accepta eſt e Deuteronomio VI, 4. At in Inſcriptione literæ omnes ſunt ejuſdem magnitudinis, licèt in libris Sinenſibus, ut in noſtris Bibliis, ד & ע ſcripta ſint majoribus literis. Cetera fortè accepta ſunt e Pſalmis X, 16, & LXXII, 19.

pars a Cathedrâ Moyſis uſque ad *Bethel* humilibus cancellis utrimque a lateribus eſt diviſa. In templo autem ſunt ſemper diſcalceati [1].

Verùm, cùm libros ſuos maximâ veneratione proſequantur Judæi Sinenſes, & hæc ſit præcipua eorum religio, virique eruditi libros illos potiſſimùm noſcere percupiant, de iis accuratiùs dicendum.

Nomine *Ta-King*, id eſt magnæ ſcripturæ, ſolam Legem, ſeu ſolum Pentateuchum appellant Judæi Sinenſes. Soli illi quinque Moyſis libri locum in *Bethel* obtinent. Quodque *Ta-King* ſcriptum eſt longâ chartâ Sinenſi, cujus plura folia ſimul conglutinata ſunt, ut craſſior ſit charta, & poſſit circa voluminis umbilicum circumvolvi. Quodque volumen totam Legem continet, ſine ullâ librorum, capitum, verſuum diſtinctione, diviſam tamen in quinquaginta tres ſectiones, quas Judæi appellant פרשיות. Nulla ibi puncta vocalia, nullæ *phethuræ*, nullæ *ſethumæ*, aut ſimplices ס, פ, aut triplices ססס, פפפ, quæ in noſtris Bibliis Hebraicis ſæpe occurrunt. In voluminibus Sinenſibus tantùm inter quamque ſectionem interjacet unius lineæ ſpatium. Interrogati Judæi Sinenſes cur in eorum *Ta-Kings* nulla eſſent puncta, reſponderunt Legem ita velociter a Deo fuiſſe dictatam, ut Moyſes puncta apponere non potuerit: ea a magiſtris Occidentalibus poſtea fuiſſe addita. Circumvolutum unius *Ta-King* volumen altum eſt duobus circiter pedibus; ejus diameter eſt unius pedis & paulo ampliùs. Unum ex his *Ta-Kings* antiquiſſimum præcipuâ veneratione habetur. Illud trium millium annorum [2] eſſe Patri Domenge dixere. Hactenus de *Ta-Kings*, quæ in Bethel adſervantur. Nunc libros in armariis contentos expendamus.

Inter armariorum libros multa ſunt Legis, ſeu quinque librorum Moyſis, exemplaria. At numquam tota lex in uno libro integra continetur: ſed unaquæque ſectio librum unum efficit. Itaque quinquaginta tribus libris opus eſt, ut tota Lex habeatur. Libri illi, latiores ſunt quàm altiores [3], conſtant tantùm aliquot foliis, quæ ut

1 Diſcalceati, id eſt ſine caligis, *ſans pantouſles*, ut ſcribit P. Domenge. Quo in uſu ſanè obſervant quod Deus, in rubo apparens, præcepit Moyſi: *Ne appropies, inquit, huc: ſolve calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Exod. III, 5.

2 Tria illa millia annorum ne intelligas de codice a tribus millibus annorum ſcripto, ſed de lege latâ & a Moſe ſcriptâ tribus abhinc millibus annorum. Quâ in re Judæi Sinenſes a Judæis Europæis non multùm differunt. Nam annus 1722, quo P. Domenge Judæos Sinenſes alloquebatur, fuit Judæis Europæis annus 3034 *ab exitu de Ægypto & datâ lege*, ut conſtat ex eorum Kalendariis. Vetuſtiſſimus autem codex Judæorum Sinenſium erat tantùm ſexcentorum annorum, ineunte ſuperiore ſæculo, ut & ipſi P. Matthæum Ricci docuere. Nec ſemper adſervatus fuit in Synagogâ *Cai-fong-fou*; ſed cùm ea incenſa fuiſſet, librique periiſſent, imperante *Ouan-li*, ut dictum eſt ſuprà, Pentateuchum illum obtinuere a Mahumetano homine, quem repperere in urbe *Ning-hia*, in provinciâ *Chen-ſi*. Mahumetanus illum acceperat a Judæo in urbe *Canton* morti proximo, qui illum, ut egregium antiquitatis & religionis monumentum, commendaverat. Volumen illud præcipuâ veneratione nunc habetur, quòd ex eo cetera *Ta-Kings* deſcripta ſunt; & adſervatum eſt in inundatione, quæ contigit anno 1642: unde multa eluvionis veſtigia præfert.

3 Libri illi Judæorum Sinenſium alti ſunt quatuor quinqueve pollices, lati verò ſeptem circiter pollices: majoribus literis, quàm *Ta-Kings*, ſcripti ſunt; & ſingulis paginis vulgò haud plures ſunt, quàm denæ lineæ, ut vulgò loquimur, *dix lignes*. Alia eſt librorum Sinenſium, qui altiores ſunt, quàm latiores, forma. Inde formam hanc librorum Judaicorum, poſt volumen, antiquiſſimam crediderim. Antiquitatis adhuc argumentum eſt, quod alia eſt librorum *Li pai* forma. Ii enim altiores ſunt, quàm latiores, ut & libri Sinenſes.

craſſiora ſint, duo triave folia agglutinata ſunt. Nam Judæi tenuem Sinenſium chartam alumine non illinunt, ut utrâque ex parte poſſint ſcribere. Singuli illi libri circa mediam primam paginam habent teſſerulam ſericam, viridem, cæruleamve, aut albam, in quâ prima vox libri, ſeu ſectionis, eſt inſcripta ſine punctis vocalibus. Primus liber, ſeu prima ſectio Legis hac formâ inſcripta eſt |בראשית|. Secundus liber, ſeu ſecunda ſectio inſcriptum habet |נח|. Tertius liber, ſeu tertia ſectio, |לך לך|. Et ſic de ceteris. Vox autem, in primâ paginâ ſic inſcripta, in alterâ ſequentibuſve paginis, tituli vice, non reperitur. Singulæ autem libri paginæ non ſignantur, ut in noſtris Bibliis, literis ג, ב, א, ſed integris vocibus שלש, שנית, אחד, id eſt *prima*, *ſecunda*, *tertia* &c. Numeri autem illi in ſummâ quidem paginâ, ſed interiore, non verò, ut apud nos, exteriore, ſcribuntur. Sectiones autem Legis eædem ſunt atque in noſtris Bibliis. Tantummodò ex 52 & 53 ſectionibus unam ſectionem efficiunt Judæi Sinenſes. Inde nos numeramus 54 ſectiones Legis, ipſi verò 53 numerant; ſolitique ſunt dicere ſe habere *King ou che ſan Kiuen*, id eſt quinquaginta tres partes, aut libros, ſcripturæ canonicæ. In iis libris appoſita ſunt ſingulis vocibus puncta vocalia. Iidem habent phethuras & ſethumas; ſed literas פ & ס neque diſjungunt, neque triplicant; conjunctim ſemper habent פס, vel פ׳ס: idque non in ipſo textu, ut vulgò loquimur, inſeritur, ſed in margine apponitur. In libro primo, ſeu ſectione *Bereſith*, quater notatur פס׳. Primùm occurrit in capite primo Geneſis ante verſum 10, juxta communem noſtrum dividendi modum: ſecundùm ante verſum 27 ejuſdem capitis: tertiùm ante verſum 21 capitis ſecundi: quartùm ante verſum 14 tertii capitis. Præter hæc quatuor פס׳, nihil aliud eſt in hoc primo libro, ſeu primâ ſectione, nulla nota margini appoſita, nulla intervalla, nullæ diviſiones. In fine tamen ſingularum phraſium apponuntur *pesukim*, ſeu duo puncta: quæ ipſi vocant *Kaï*. Numerus verſuum, quibus quiſque liber, ſeu quæque ſectio conſtat, in fine libri exprimitur. Sic in fine libri, ſeu ſectionis *Bereſith*, legitur קמו, id eſt verſus 146. In fine ſecundi libri, ſeu ſectionis *Noach*, legitur קמג, id eſt verſus 143.

Judæi Sinenſes non norunt *Keri* & *Kethib*. At in eorum libris ſunt minores majoreſque literæ. Sic Geneſ. II, 4, in voce בהבראם, ceteris multò minor eſt litera ה. Non minor videbatur litera כ in voce ולבכתה, Geneſ. XXIII, 2. At interrogatus *Tchang-Kiao*, ſeu Synagogæ rector, eam minorem eſſe adſeveravit. Contra in primâ voce Geneſis בראשית, litera ב eſt multò major. Præter puncta vocalia, & accentus [1], quæ omnia uno nomine Judæi Sinenſes ap-

1 [illegible]

pellant *Siman*, frequentiſſima eſt in eorum libris linea literis ſuperaddita. In exemplum ſit primus verſus Geneſis:

בראשית ברא אלהים את השמים ואת הארץ:

& vox בעבורך, Geneſ. III, 17. Abſtineo punctis, quòd eadem omnino ſint atque in noſtris Bibliis. Lineam verò illam ſuperadditam appellant *Lofi*. In ſectione וישלח. vox וישקהו, Geneſ. XXXIII, 4. notatur ſex punctis, ita tamen ut primum puncto majus videatur.

Rogatus fuerat Pater Domenge, ut præcipua quædam Geneſis loca conferret: nempe Geneſ. II, 17. III, 17. VII, 11. VIII, 4, 7. caput XI integrum. XIII, 3. XVIII, 22. XXIII, 2. XXIV, 2. XXXIII, 4. & capita integra XLVII. XLVIII. & XLIX. Ea omnia contulit, & nihil diverſitatis reperit. Sectio illorum duodecima incipit quoque, ut in noſtris Bibliis, verbo ויחי Geneſ. XLVII, 28. Continet omnes prophetias Jacob, ſine ullis intervallis, ſine phethuris, ſine ſethumis.

Ne quis verò exiſtimet Judæis Sinenſibus unam eſſe Legem. Alios quoque libros in armariis ſuis habent, quos vocant *San-tſo*, id eſt ſupplementum, ſeu libros ſeparatos. Duas partes habet *San-tſo*. Pars prior continet libros Joſue & Judicum, quos non habent integros: libros *Schemoueul*, id eſt Samuel, ſeu duos priores libros Regum integros: *Melachim*, qui in noſtris Bibliis Latinis duo ſunt poſteriores libri Regum, aliquot in locis mutilos: *David*, ſeu Pſalmos, quorum non examinata eſt integritas. Hæc prior pars *San-tſo* continetur triginta libris & ampliùs [1]. Pars poſterior *San-tſo* complectitur *Haphtharoth*, ſeu diviſiones Propheticas, quas ipſi appellant *Hafoutala*. Aiunt ſe olim habuiſſe libros id genus octoginta & ampliùs. Atque id credibile, quòd exigui ſint eorum libri, & aliquot tantùm capita comprehendant. Præterea cum Prophetis conjungunt Chronica, ſeu Paralipomena, Nehemiam, Eſther, duoſque Machabæorum libros.

Ex Prophetarum autem libris, quos habent, *Iſchaha*, ſeu Iſaias, *Jameleiohum*, ſeu Jeremias, ſunt fermè integri [2]: eoſque diebus feſtis legunt. Nihil omnino Ezechielis iis ſupereſt. E Daniele manent tantùm aliquot verſus capitis primi. Ex minoribus Prophetis exſtant, ſed non integri, *Juenaha*, ſeu Jonas, *Micaha* ſeu Michæas, *Nahouam*, ſeu Nahum, *Hapacouque*, ſeu Habacuc, *Sefaneioha*, ſeu Sophonias, *Hekaoi*, ſeu Aggæus, *Sacalei*, ſeu Zacharias. Ceteri deſunt. Exigua quoque pars ſuperat Chronicorum, ſeu Paralipomenon, quos libros appellant *Tu eli haiamim*. Integriores ſunt libri

[1] [illegible] Samuel [illegible] [illegible] Hebraice [illegible] & ad [illegible] *je*, id [illegible] Sinicae pronunciandi [illegible] defloxere.


[2] Judæi Sinenſes [illegible] habent ex libris Prophetarum [illegible] Cantici Canticorum, Ecclesiaſtæ.

[illegible] Pater Gozani, [illegible] Iſai. VII. [illegible]

Nehemiæ & Eſther. Apud Sinenſes Judæos in maximâ veneratione habetur *Iſſètuul*, ſeu Eſther, quam vocant *Iſſetha Mama*, id eſt magnam matrem. Venerantur quoque Mardochæum, quem nominant *Molthogi*. Eos, ut Iſraelis ſervatores, colunt. Libros autem Machabæorum nominant *Manthiiohum*, ſeu Mathathiam. Unicum librorum illorum exemplar habent, quod cùm emere, aut ſaltem deſcribere vellet Pater Domenge, id neque pecuniâ, neque precibus umquam potuit adſequi.

Præter hos libros in iiſdem armariis habent *Li-pai*, id eſt librum cærimoniarum. Quodque *Li-pai* quinquaginta aut quinquaginta duobus libris continetur. Primus liber inſcribitur סוכה חביר. Preces autem illæ, ad ſingula ſabbata dieſque feſtos totius anni accommodatæ, fere omnes e ſacrâ Scripturâ ac maximè e Pſalmis ſunt deſumptæ. Demum in iis armariis habent libros aliquot malè ordinatos, ipſis vix notos de nomine, quos Sinicè appellant *Tiang-tchang*, id eſt Interpretes.

Ordinem, quo libros in Synagogâ legunt, exhibet ſequens tabella, in *Li-pai-ſe* columnæ affixa.




Ex hac tabellâ patet מנעה quinque conſtare partibus, quarum prima pars Geneſi, ſeu בראשית, quod pronuntiant *Pielechitſe*, reſ-

pondet ; & legitur, dum durat lectio Geneſis, id eſt per duodecim ſabbata : ſecunda pars reſpondet Exodo , ſeu שמות , quod pronuntiant *Schemethſe* ; & legitur per undecim ſabbata : tertia pars reſpondet Levitico, ſeu ויקרא , quod pronuntiant *Uaïekelo* : quarta pars reſpondet libro Numerorum , ſeu במדבר, quod pronuntiant *Piemitzepaül* : quinta pars reſpondet Deuteronomio , ſeu דברים, quod pronuntiant *Tebeliim*. Singulæ tres illæ partes per dena ſabbata leguntur מנעה autem legitur veſpere.

In duodenas partes נומאה & מופטר diſtribuuntur. Secundo die magnorum menſium, primo die parvorum menſium נומאה legitur. Sextodecimo autem die magnorum menſium, quintodecimo parvorum menſium legitur מופטר. Judæi Sinenſes magnos menſes, magnaſve lunas, appellant menſes, qui conſtant triginta diebus. Parvos menſes, parvaſve lunas, vocant menſes, qui tantùm novem & viginti dies habent. In parvis menſibus obſervant 1 & 15 diem. In magnis menſibus obſervant diem 2 & 16.[1]

Cùm autem lex in Synagogâ legitur , volumen *Ta-King* in cathedrâ Moſis reponitur ; eoque evoluto , legit Judæus, pileo cœruleo tectus, & xylino velo ſuper caput expanſo. Legenti adſtat monitor , qui errantem lectorem corrigat. Monitori adhæret alter monitor, qui ipſum obſervet & emendet. Anno 1722, die 3 Octobris , Synagogam Judæorum adiit Pater Domenge. Diem illum numerabant Judæi tertium & vigeſimum ſeptimæ Lunæ. Sabbatum erat in octavâ feſti Tabernaculorum. Feſtum ipſum cœperat die ſextodecimo ejuſdem Lunæ. Judæi ante eum evolverunt vetus *Ta-King* e *Bethel*. Quæſivit quæ eſſet hujus diei lectio. Oſtenderunt ei quinquageſimam ſecundam ſectionem , cujus initium eſt וילך : pars ejus eſt Canticum Moyſis. Inde quæ nobis eſt quinquageſima quarta ſectio, Judæis Sinenſibus eſt tantùm quinquageſima tertia. Canticum Moyſis duabus columnis , ut in noſtris Bibliis, ſcriptum , legit P. Domenge. In hoc cantico , *Ta-King* Sinenſe habet חאכל[2] , ubi in noſtris Bibliis, Deuteronom. XXXII , 25, legitur תשכל. Poſtero die, vigeſimo quarto ſeptimæ Lunæ, nobis 4 Octobris, Judæi Sinenſes feſtum תורה, ( pronuntiant *Thaulaha* , aut *Thaulatſe* ) id eſt feſtum legis, celebravere , & ſolemni ſupplicatione ( *en proceſſion* ) tredecim *Ta-Kings* , circumtulere.

Nunc exponendæ ſunt Sinenſes Inſcriptiones , quas memoravimus ſuprà pag. 569. Earum ſummam ita explicat Pater Gaubil. Prima Inſcriptio a literato Judæo , nomine *King-tchong* , poſita eſt anno J. C. 1444. atque ita habet.

*Auctor legis* , *Y-ſe-lo-ye* , Iſraelis, *eſt Ha-vou-lo-han* , Abraham , *ab Ha-tan* , Adam, *nonuſdecimus*[3]. *Sanctus ille homo vivebat centum quadra-*

[1] Notabilis hic Judæorum Sinenſium uſus ; & quo [illegible] , quam multi eruditorum virorum opinionibus , difficultates de paſchatibus Judaicis [illegible] pelluntur.

[2] Placet hoc [illegible] ſignificantia , & ad ea quæ ſequuntur magis accommodatum.

[3] Judæi Sinenſes [illegible] ante rogati, ſemper

*ginta ſex annos poſt initium Tcheou*[1]. *Ejus lex per traditionem tranſmiſſa eſt ad Nicche*, Moyſen. *Is librum ſuum accepit in monte Si-na : ibi quadraginta diebus & quadraginta noctibus jejunavit : ſemper erat cum cælo conjunctus. In ejus libro ſunt quinquaginta tres ſectiones. Doctrina, in eo contenta, eadem ferme eſt, quæ in libris literatorum Sinenſium habetur.* Hìc Judæus Sinenſem doctrinam cum Judaicâ comparat ; plurimaque affert loca, maximè ut probet Judæos atque Sinenſes *eodem ferme ritu cælum venerari, cærimonias obſervare, jejunare, orare, mortuos honoribus proſequi.* Immo contendit *in libro Y-King ineſſe veſtigia ſancti ſacrique ſabbati.* Mox addit *Moyſen vixiſſe ſexcentis tredecim annis*[2] *poſt initium Tcheou.* Dein ad *Gai-ſſe-la*, Eſdram, devenit, laudatque plurimùm *acerrimam ejus diligentiam, quâ libros reparavit, populum inſtituit & emendavit.*

Huic Inſcriptioni additum eſt *Li-pai-ſe* inundatione everſum fuiſſe *anno undecimo Imperatoris Yng-tſong*, id eſt anno J. C. 1446[3]: *libros aquis maximâ parte fuiſſe corruptos : Judæos e Nimpo & Ning-hia libros dediſſe : Judæum* inprimis, nomine *Yn, veniſſe e Nimpo* anno 1462, *Ta-King integrum attuliſſe, quo libri alii ſuppleti ſunt & emendati.* Anno 1490, *ſecundo Imperatoris Hong-tchi reſtitutum eſt Li-pai-ſe. Impenſas fecit Yentoula.*

Secunda Inſcriptio a *Tſo-tang*, magno Mandarino, *Poutchinſe*, id eſt ſupremo quæſtori, (*grand tréſorier*) provinciæ *Se-hhuen*, poſita eſt anno 1515, qui erat annus decimus Imperatoris *Hhing-te*, dicti quoque *Vou-tſong*. Ea autem talis eſt :

dixere Abraham eſſe nonumdecimum ab Adam. Ita in ſecundâ ſectione Geneſis, inſcriptâ נח, eorum libri, ut in noſtris Bibliis Geneſ. XI, 12, habent :

וארפכשד חי חמש ושלשים שנה ויולד את שלח :

Iis ignotus junior Cainan, quem memorant in hoc loco LXX Interpretes, & D. Lucas, III, 36.

1 Hæc non ſunt repetenda ab anno 1122, quo Dynaſtia Tcheou imperium Sinenſe accepit. Multò antiquior eſt Abraham. Sed, ut rectè obſervat Pater Gaubil, familia *Tcheou* regno potiebatur diu antè, quàm imperium Sinenſe capeſſivit. Nempe *Yao*, octogeſimo imperii ſui anno, ante Jeſum Chriſtum 2278, imperium Sinenſe in duodecim *Tcheou*, ſeu provincias, diviſit. Anno ſequenti, ante Chriſtum 2277, fratrem ſuum *Heheou-tſi* principem Tay (*Prince du Tay*) fecit. Inde *Heou-tſi*, caput familiæ *Tcheou*, ejuſque ſucceſſores in Hiſtoriâ Sinenſi paſſim appellantur reges. Ab illo igitur *Tcheou* initio numerandi ſunt 146 anni, poſt quos Abraham vixiſſe dicitur. Nec fortè familia illa *Tcheou* regium nomen ſtatim accepit. Si enim illud ſtatim accepit, ex Judæorum Sinenſium computatione Abraham vixit 2131 annos ante Chriſtum. Contrà verò ex computatione Judæorum Europæorum natus eſt Abraham anno 1812 ante Chriſtum. Hunc enim annum 1769 in Kalendariis ſuis numerant *annum 3581 a nativitate patris noſtri Abraham. Super eum ſit pax.*

2 Anni illi 613; non ab imperio Dynaſtiæ *Tcheou*, ſed a regno hujus familiæ numerandi ſunt, ut modò dictum eſt, cùm ageretur de temporibus Abraham. At ex computatione Judæorum Sinenſium ſequitur inter Abraham & Moyſen interceſſiſſe annos 467. Inter utriuſque tamen ortum interceſſere tantùm 420 anni, ut computant Judæi Europæi. Ii enim annum hunc 1769 in ſuis Kalendariis numerant *annum 3161 a nativitate Moſis magiſtri noſtri. Super eum ſit pax.* Ex 467 annis ſuperant ergo 47 anni. At, ut opinor, Judæi Sinenſes non computant ab ortu Moſis, ſed a tempore, quo, *poſtquam creverat*, de domo Pharaonis *egreſſus eſt ad fratres ſuos*, ut habetur in Exodo, II, 11. Unde D. Paulus in Ep. ad Hebræos XI, 24. *Fide Moyſes grandis factus negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti.*

3 Pater Gaubil ter quaterve hanc inundationem in ſuis epiſtolis memorat ; eamque modò anno 1461, modò anno 1462 contigiſſe ait. At in utroque numero erravit. *Yng-tſong* imperare cœpit anno 1435 : imperio pulſus eſt anno 1449 : imperium recepit anno 1457 : mortuus eſt anno 1465. Ergo annus ejus undecimus non poteſt eſſe 1461 aut 1462. Fuit annus 1446.

*Lex*

*Lex Iſraelis. Ha-tan*, Adam, *primus homo. Erat e Tien-tcho* [1] *in Occidente. Judæi habent legem & traditiones. Lex quinque libris, quinquaginta autem tribus ſectionibus continetur.* Mandarinus ſummis laudibus legem attollit; & ſubjungit: *Judæi, uti & nos, cælum venerantur. Auctor legis Judæorum eſt Abraham: pater eorum eſt. Moyſes legem hanc edidit: eorum eſt legiſlator. Tempore Han* [2], *Judæi fixas ſedes in Sinenſi imperio habuere. Anno vigeſimo Cycli ſexageſimi quinti* (Annus eſt 1163, primus Imperatoris *Hiao-tſong*) *Judæi tributum telarum Indicarum Imperatori Hiao-tſong obtulere. Egregiè excepti, obtinuere ut habitarent in urbe Cai-fong-fou, quæ tunc dicebatur Pien-lang. Tunc Judæorum erant ſeptuaginta Sins*, ſeu familiæ. *Li-pai-ſe exſtruxere, in quo Kings*, id eſt libros ſuos canonicos, *repoſuere.* Libri illi, *Kings*, inquit Mandarinus, *non ſolos Judæos ſpectant, ſed omnes homines, reges & ſubditos, parentes & liberos, ſenes & juvenes. Quiſque poteſt in iis officia ſua ediſcere.* Inde contendit *Judæorum Sinenſiumque leges parum differre, cùm ſumma earum ſit cælum adorare, parentes venerari, mortuos debitis honoribus proſequi.* Laudat *Judæos, quos in agris, in mercaturâ, in magiſtratibus, in exercitibus, ſuâ integritate, fidelitate, & accuratiſſimâ cærimoniarum ſuarum obſervantiâ, omnibus caros dilectoſque* adſeverat. Demum ſubdit *legem illam ab Adamo ad Nuova*, Noe, *a Noe ad Abraham, ad Iſaac, ad Jacob, ad duodecim tribus, ad Moyſen, ad Aaron, ad Joſue, ad Eſdram, qui alter fuit legiſlator, perveniſſe.*

Anno 1663, qui ſecundus annus fuit Imperatoris *Kang-hi*, magnus Mandarinus, poſtea imperii adminiſter, tertiam Inſcriptionem poſuit. Ibi, cùm Adam, Noe, Abraham, Moyſen memoraverit, potiſſimùm celebrat, *virtutem Abraham, qui cælum ſine imagine, ſine figurâ, cauſam rerum omnium effectricem & conſervatricem, colebat. Legem, quam Moyſes in monte Si-nâ accepit*, prædicat. *Ejus ſunt*, inquit, *tredecim exemplaria: aliorum autem librorum decem ſunt tomi. Tempore Tcheou* [3] *Judæi Sinas adiere.* Eorum ſuâ in religione conſtantiam laudat. Deinde, collatâ Judæorum Sinenſiumque literatorum doctrinâ, ait *nullum ferme eſſe diſcrimen in cæli cultu, in officiis vitæ civilis, in honoribus, quibus mortuos ſtatutis temporibus proſequuntur. Sabbatum a Sinenſibus fuiſſe antiquitus obſervatum auctoritate librorum Kings* adſtruit. Quinetiam adfirmat *Judaicas literas ad veterem Sinenſium literarum formam accedere.* Mox fusè narrat obſidionem urbis *Cai-fong-fou*, anno 1642, quo gubernator, deſperatis rebus, moles, contra fluminis *Hoang-ho* eluvionem oppoſitas, disjecit. Everſa urbs: centum millia homi-

[1] Obſervat Pater Gaubil in deſcriptione regnorum Occidentalium, quæ in Sinenſi Hiſtoriâ Tartarorum Occidentalium reperitur, memorari quinque regiones appellatas *Tien-tcho*, quarum una deſignat regionem vicinam Medinæ, patriæ Mahumetis: regionem hanc nunc dici *Tien-fang*: olim vocatam fuiſſe *Tien-Tang*, id eſt cæli palatium. Hæc cum Palæſtinâ, Arabiæ proximâ, ſatis conveniunt.

[2] De Dynaſtiâ *Han*, & tempore quo Judæi fixas ſedes in imperio Sinenſi habuere dictum eſt eſt ſupra, pag. 567.

[3] De Dynaſtiâ *Tcheou* dictum eſt quoque ſuprà, pag. 567. Sane commerciorum causâ Sinas primùm adiere Judæi. Tantùm viguere olim uſque in extremas terræ oras commercia!

num periere. *Inter has ſtrages collapſum eſſe Li-pai-ſe; librorum codices viginti ſex periiſſe* tradit. *Qui curâ alii ſervati, aut anno 1654 reparati, deſcripti, recogniti; qui huic labori operam navaverint, & Li-pai-ſe reſtituerint*, recenſet; ipſumque *Li-pai-ſe* accuratiſſimè deſcribit; libroſque a *Tchang-Kiao* iterum fuiſſe recognitos & probatos ait.

Quarta Inſcriptio eſt compendioſa Synagogæ hiſtoria; & reſtituti *Li-pai-ſe* poſt inundationem, quæ contigit anno 1642, deſcriptio. Ibi quoque inſcripta nomina ſeptem familiarum Judaicarum, quæ in *Cai-fong-fou* verſantur. Eadem ſunt, quæ jam retulit Pater Gozani, *Lettres édifiantes*, Tom. 7. pag. 16. Hæc ſunt monumenta Judæorum Sinenſium, quæ ſuperſunt. De ſuâ religione nihil ſcripſere, præter libellum, quem Sinenſibus typis editum, Mandarinis offerunt, ſi quod fortè diſcrimen periculumve iis imminet.

De eorum moribus pauca addam. Deum adoraturi, ad Occidentem convertuntur. Huc quoque ſpectat eorum *Li-pai-ſè*. Nec aliter olim verſum templum Hieroſolymitanum. In templo nullas habent veſtes ſacras. Solùm in ſupplicatione *Ta-Kings*, de quâ dictum eſt ſuprà pag. 575, *Tchang-Kiao*, ſeu rector Synagogæ inſignis erat ſericà rubeâque faſciâ (*une écharpe*) ab humero dextro infra ſiniſtrum depreſsâ nodoque religatâ. Immo gens adeò decoris incurioſa, ut in æſtate, ob cæli fervorem, ſolis ſubligaribus tecti, ceterùm nudi, non modò domi verſentur, ſed in ipſo etiam templo interſint. Sacram Scripturam preceſque cantant, ſicut in Italiâ Judæos in Synagogis ſuis cantantes audiverat P. Gozani. Credunt, teſte Patre Gaubil, purgatorium, inferos, judicium, paradiſum, reſurrectionem mortuorum. Norunt Angelos, Cherubim, Seraphim. Peculiare fidei ſymbolum non habent. Sortes ducunt ex ſuis ſacris libris. Circumciſionem octavo die obſervant [1]. Sanctiſſimum apud eos & inviolabile ſabbatum: eo die ignem non accendunt: cibos pridie apparant. Nulla niſi inter ſe connubia ineunt. Propagandæ ſuæ religionis nulla iis cura: neminem alienigenam in ſua ſacra trahunt. Juraturi, cavent ne templa idolorum adeant. Qui apud eos ad Sinenſium literarum gradus ſunt evecti, Confucium colunt; cunctique defunctos ſuos progenitores venerantur, eorumque tabellas ſervant more Sinico [2]. Unde patet eos ad Sinenſes uſus nonnihil deflexiſſe. Legem, ſeu quinque libros Moyſis, aſſiduo uſu plerumque intelligunt: haud ita periti in ceterorum librorum lectione, Hebraicæ linguæ ſatis rudes. Excuſant ſe, quòd jampridem *Tou-King-puen*,

[1] Tunc Hebraica cum circumciſionis nomen accipiunt. Ex iis unus ſe in circumciſione appellatum fuiſſe *Mant[illegible]um*, id eſt Mattathiam, dixit.

[2] Ipſiſſima ſunt Patris Gozani verba, qui in Latinis ſuis literis ſcriptis 25 Aprilis 1712 ita habet: *Eorum literati & graduati Confucium colunt; uti & omnes colunt progenitores ſuos defunctos, quorum tabellas ſervant more Sinico. Intra ſepta ſynagogæ ad latus habent Su-tam, ſeu aulam majorum pro defunctis benefactoribus cum ſuis tabellis.* Veruntamen cum imagines non habeant Judæi, crediderim in iis tabellis inſcripta tantum eſſe defunctorum nomina. Idque ſuadent literæ ejuſdem Patris Gozani datæ 5 Novembris 1704, & editæ in libro ſuprà laudato, *Lettres Edifiantes*, Tom. VII. pag. 20.

id eſt grammaticos ſuos libros amiſerint, & duobus abhinc ſæculis neminem Judæum ex *Si-yu*, id eſt ex Occidente, viderint. Summa eorum religionis eſt in ſacris ſuis libris, quos reverentiæ causâ ferme numquam domi [1], ſed in armariis *Li-pai-ſe*, ſeu templi ſui, adſervant. Ubi quis libros Legis deſcribi curavit, eoſque in *Li-pai-ſè* collocavit, ſe omnibus religionis officiis defunctum exiſtimat, ac ferme numquam poſtea in templo intereſt. In deſcribendis ſacris libris, apud eos nefas Sinenſibus penicillis Sinenſive atramento uti. Ad ſacros hoſce uſus, arundinem, quæ *bambou* dicitur, in calamos incidunt; nigerrimoque utuntur atramento, quod, Europæorum more, initio anni, poſt feſtum Tabernaculorum, confectum, per totum annum diligenter ſervant.

Plura de Judæis Sinenſibus cognoſcere meditabantur PP. Gozani, Domenge & Gaubil, cùm optimos conatus oppreſſit Imperatoris *Yong-tching* Chriſtianæ religioni infenſus animus, & omnes ad urbem *Cai-fong-fou* aditus intercluſit. Egregia quoque conſilia conferendi Biblia Hebraica cum *Li-pai-ſe* libris, ac maximè Pentateuchum integrum cum *Ta-Kings*, quæ in *Bethel* adſervantur, præjudicatis Judæorum Sinenſium opinionibus ſemper fuere impedita. Nefas iis viſum eſt libros ſuos credere hominibus, qui nigrâ carne, ſic ſuillam vocant, veſcerentur. Spes tamen aliquando fuit ſaltem libros ex armariis permutatione pecuniâve poſſe comparari. Iis oblata ſunt Biblia Hebraica, Amſtelodamenſibus typis excuſa: quæ quidem ob chartæ nitorem craſſitiemque & concinnam libri ligaturam primùm laudavere, pòſt deſpexere, ac ne voluere quidem quod in ſuis libris deeſt ex iis ſupplere. Plus valuit pecunia; jamque eorum unus, nomine *Ngai-ven*, ſpoponderat fore, ut exemplar ſuum librorum Joſue, Judicum, Samuel & Melachim e *Li-pai-ſe* extraheret, certoque pretio traderet. At, cùm illud clam ſubduceret, deprehenſus, graviſſimâ objurgatione perculſus eſt [2]. Recepta enim apud eos ſententia: Qui libros ſacros vendit, Deum vendit. *Mai King, mai leo tchu y yang.* Colloquiorum quoque utilitati, quæ quammaxima eſſe poterat, nocuit ſingularis Judæorum Sinenſium pronuntiatio. Inde quid libri נומאה, מוער, מופטר, מינעה continerent, intelligere non potuit P. Domenge. Nempe illi Judæi, longo linguæ Sinenſis uſu, multos literarum ſonos non adſequuntur: immo, ut & Sinenſes, pronuntiare non valent literas b, d, e, r. Efferunt *p* pro *b*, *t* pro *d*, *ie* pro *e*, *l* pro *r*. Præterea ſunt & literæ, quas naſo corrumpunt: ſic literas הו pronuntiant *hum*, *hem*, *houm*. Cùm

[1] Immo ob eamdem reverentiam nullum librum Hebraicè ſcriptum domi habent, teſte Patre Domenge. Aliàs tamen fatetur ſe audiviſſe, tres quatuorve e ditioribus libros Legis penes ſe habuiſſe.

[2] Alter Judæus, nomine *Cao-ting*, religionis ſuæ incurioſus, idem promiſerat. Synagogæ rectorem bonus adiit, libroſque Legis, egregiè ſcriptos, quos a patruo ſuo moriente acceptos in *Li-pai-ſe* nuper poſuerat, repetiit: graviter increpitus, receſſit cum ignominiâ. Sic improſpere ceſſit quidquid hactenus tentatum, ut Judæorum Sinenſium libri haberentur.

fortè legerent verſum Geneſis, I, 2. תהו ובהו, pronuntiavere, *theohum vopeohum* [1].

Sanctiſſimum autem apud eos eſt & ineffabile nomen *Jehovah* [2], quod ne pronuntiatione violent, dicunt *Hotaoi*. Pro *Adonai* pronuntiant *Etunoi*. In efferendâ voce *Elohim* non ita a nobis diſcrepant. Cùm nomen Dei Sinicè explicant, non dicunt, ut Chriſtiani Sinenſes, *Tien-tchu*, ſed tantùm *Tien*, ut & Literati Sinenſes, cùm explicant *Chang-ti*.

De Jeſu Chriſto nihil inaudiviſſe videntur Sinenſes Judæi [3]. De שילה & ישועתך ſæpe interrogati, nihil reſpondêre [4]. At, cùm olim P. Matthæus Ricci ad *Tchang-Kiao*, ſeu Synagogæ rectorem ſcripſiſſet Meſſiam adveniſſe, ille reſpondit id verum non eſſe; Meſſiam non venturum ante decem millia annorum. Inde ſanè ſemper profitentur ſe expectare ſalutem Domini; ſolemni illâ formulâ, quæ apud omnes Judæos, etiam Sinenſes, eſt vulgaris: לישועתך קויתי יהוה. Id eſt, *ſalutem tuam exſpectavi, Jehovah.*

Hæc ſint ſatis de Judæis Sinenſibus. At miremur gentem in tantis locorum intervallis ſemper ſuî ſimilem, mores, rituſque, quos tot abhinc ſæculis deſcripſit Tacitus, in extremo terrarum orbe retinentem. Miremur magis tantum diſcrimen inter Romanorum Sinenſiumque de Judæis judicia. Quod unde repetendum, niſi ab utriuſque populi ingenio? Romani, animoſa bellicoſaque gens, terrarum victrix, cetera omnia deſpexere, barbaraque reputavere. Sinenſes contrà, ſapientiâ magis, quàm ingenio aut animo validi, paciſque ſtudiis dediti, ſe quidem plurimùm faciunt; quod humanitatis eſt, maximè apud ſapientes: at ceteros, ſi quid in iis laudabile, probant laudantque; quod æquitatis eſt & prudentiæ.

CAP. XIV. Vetera castra ] Bene Mſſ. & veteres recentioreſque editiones. Lipſius omiſit, *caſtra*.

Et sextæ ] Optimè Mercerus. Perperam in Mſſ. & libris omni-

[1] Si quis de Sinenſium Judæorum pronuntiatione plura deſiderat, obſervat Pater Domenge iis aleph cum kametz eſſe *o*, aleph cum patach *a*, aleph cum cholem *üio* vel *eo*, aleph cum tzeri *ié*, aleph cum kibbutz *ou*, aleph cum chirek *i*, aleph cum ſegol *ié*, aleph cum ſcheva *ié*, aleph cum chateph patach *nga* vel *aâ*, aleph cum ſchurek *ou* vel *ngou*. Iterum beth cum iiſdem punctis pronuntiant *po*, *pa*, *puo* vel *peo*, *pie*, *peu*, *pi*, *pié*, *pié*, *pâ*, *pou*.

[2] Cùm Pater Gaubil Judæis explicaſſet, quid voce *Jehovah* intelligamus, ii plurimùm plauſere; & confeſſi ſunt ſe in hac voce ſemper intellexiſſe æternitatem Dei: in eâ contineri præſens, præteritum & futurum: vocem illam idem eſſe atque *eſt*, *fuit*, *erit*.

[3] Judæi Sinenſes nonnumquam adiere eccleſiam, quæ tunc erat in urbe *Cai-fong-fou*, & crucifixi imaginem ultro ac ſine ullo horroris ſenſu contemplati ſunt. Integri ergo ſunt ab illo Thalmudico furore, quo reliqui Judæi vulgò exardeſcunt in crucifixum, quem *thalui*, id eſt ſuſpenſum, appellant.

[4] Certè ſæpe eos interrogantibus Patribus Gozani & Domenge, ſiluere. Siluere quoque cùm anno 1723 Synagogam adiit P. Gaubil, vocemque שילה iis oſtendit, & quid apud eos ſignificaret quæſiit. At cùm ipſe cœpiſſet iis explicare quo ſenſu Patres doctoreſque Eccleſiæ vocem illam acciperent, juvenis Judæus veniam loquendi comiter petiit, dixitque ſe a magno patruo ſuo, paucis antè annis mortuo, audiviſſe, aliquid divini in hac voce eſſe, eâque ſignificari hominem divinum miſſum iri a Deo. Tale juvenis Judæi teſtimonium tum P. Gaubil, tum PP. Gozani & Jacques, qui aderant, mirati ſunt.

bus editis ante Cl. Erneſtum, qui Mercerum ſecutus eſt, & *XVI*, vel & *ſextædecimæ*. Jam ſextadecima legio erat cum Cereali. Præterea auctus eſt ſextâ legione, quæ ex Hiſpaniâ acceſſerat, ut patet ex capite 16, in quo Cerealis quartadecimanos, ſextam legionem & ſecundanos appellat. Sæpe librarii denarium numerum temere addidere.

Cohortesque et alæ ] Mſ. Reg. & editio princeps, *cohorteſque alæque.*

CAP. XV. Ferocissimo cuique ] Bene Mſſ. Vatic. 1958. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Vatic. 1863 & editione principe omiſſum, *ferociſſimo.* At in Mſ. Vatic. eſt hiatus, ut vocem unam deſiderari ſignificetur.

Arma, equi haurirentur ] Bene Jac. Gronovius & Recentiores. Sic legendum jam conjecerat Rhenanus e Mſ. Bud. in quo *arme qui haurirentur.* Ita & editio princeps. Nec aliter Mſ. Flor. licèt corruptè habeat *aurirentur.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *arma equique haurirentur.*

Persultabant ] In Mſ. Reg. & editione principe, *exultabant.*

Cominus eminus certabatur ] In Mſſ. Flor. Reg. & editione principe, *cominus minus certabatur.* Inde rectè monuit Jac. Gronovius legendum, *cominus eminus.* Puteolanus & ceteri omnes, *cominus certabatur.* Mſ. Jeſ. *certabantur.*

Inter undas ] Mſ. Jeſ. *intus undas.*

CAP. XVI. Gugerni ] Malè Mſ. Reg. & editio princeps, *Eugenii.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *Cugerni.* At ſuprà Hiſt. IV, 26. *Gugernorum.*

Quosque suorum ] Ita Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Agr. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *quoſque eorum.*

Advehebantur ] Mſſ. Vatic. 1863 & 1958. Reg. & editio princeps, *advehebant.*

Perfidum, ignavum ] Mſ. Reg. *perfidè ignavum.*

Exciderent ] Ita Mſſ. Flor. Agr. editio princeps & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *excinderent.*

Ac tamen fusos Germanos ] Ita Mſ. Flor. Sic quoque volebat Muretus. In Mſ. Reg. *ac tum.* In libris editis, *attamen.* Pro *Germanos*, malè editio princeps habet *Romanos.*

Hinc prævectus ] Mſſ. Vatic. 1863 & 1958. *provectus.* Mſ. Jeſ. *præventus.* Mſ. Agr. *pervectus.*

Pacis amor ] Mſ. Reg. & editio princeps, & *pacis amor.*

Sperabantur ] Malè Mſ. Reg. & editio princeps, *ſerebatur.* In Mſ. Jeſ. *ſpectabantur.*

CAP. XVII. Silentem struxit aciem ] Meliùs, *ſilens ſtruxit*

*aciem*; & ita vertunt optimi interpretes. Sic quoque volebant Lipſius, Huetius, aliique plurimi. Tentabat quoque Lipſius, *ſilenter*: Muretus, *ſilentio*; quod probat Cl. Erneſtus. Pichena, *ſilens inſtruxit aciem.*

Dira omnia obversari ] *Dira omnia* habent Mſſ. Vatic. 1863. Harl. Jeſ. Guelf. Beroaldus, Erneſtus & Recentiores. Mſſ. Flor. Reg. & Puteolanus, *dira oīa.* Mſſ. Vatic. 1958. Bodl. Agr. editio princeps, Pichena & Ryckius, *dira omina.* Malè Mſſ. Vatic. 1863. Reg. & editio princeps, *obſervari.* Bene Mſ. Vatic. 1958. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores, *obverſari.*

Suam illic victoriam ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. Malè Mſ. Vatic. 1863. & editio princeps, *ſuam illic materiam.* Mſ. Reg. *ſuam materiam illic.* Inde tentabat Acidalius, *ſuam illic avaritiam.*

Præda manus ] Malè Mſſ. Harl. Jeſ. *prædam manus.*

Provisa ] Ita Mſ. Agr. Sic quoque placebat Ryckio, atque ita edidit Cl. Lallemand. Mſ. Bud. *præviſa.* Mſ. Flor. & editio princeps, *præviſe.* Mſ. Reg. *perviſſe.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Rhenanus, *providiſſe.* Puteolanus, *prævidiſſe.*

Hostibus noxias ] Bene Puteolanus & Recentiores. Nec variant Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. In Mſſ. Reg. Agr. & editione principe, *hoſtibus medias.* Quod immeritò probat Ryckius, licèt palus fuerit inter utraſque acies.

Illis mos ] Mſ. Harl. ſed ſecundâ tantùm manu, *illis mos eſt.*

Aut gloriosissimum inter majores ] Vividè breviterque dictum. Dies enim ille vel omnia majorum facinora erat ſuperaturus, vel ignominioſus apud poſteros futurus. Corruptè Mſ. Reg. & editio princeps, *illum diem divo glorioſiſſimum.* Mſ. Guelf. *glorioſum.*

Elicerent ] Bene Mſſ. Flor. Reg. Bud. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. editio princeps, Rhenanus & Recentiores. Malè Puteolanus, *eluderent.* Mallet Ryckius, *inlicerent.*

CAP. XVIII. Fluitantem labantemque ] Ita Mſſ. Vatic. Reg. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *fluitantemque.* Omiſere, *labantem.* Additum eſt in margine Mſ. Guelf.

Tranatavit ] Bene Mſſ. Flor. Agr. Jac. Gronovius & Recentiores. In Mſ. Reg. & editione principe, *renatavit.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *tranſnatavit.*

Prœlium æquatur ] Ita Mſſ. Vatic. 1863 & 1958. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Bud. Guelf. editio princeps, Erneſtus & Recentiores. Puteolanus, *prœlium exæquatur.*

Inter quæ ] Mſ. Reg. & editio princeps, *interea.*

Extremo paludis ] Mſ. Reg. *extremum paludis.*

Solidum illa ] Ita Mſſ. Vatic. 1863 & 1958. Reg. & libri omnes

editi. In Mſſ. Harl. Jeſ. *ſolidam illam.* Sic quoque ſuprà additum in Mſ. Vatic. 1958. In Mſ. Agr. *ſolida illa.*

Et Gugernos] Bene Mſ. Vatic. 1958 & editiones recentiores. In Mſ. Vatic. 1863. *ecugernos.* Mſ. Reg. & editio princeps, *& ecugernos.* Puteolanus, *& Cugernos.* Mſ. Agr. *& Tungaros*; ſed ſecundâ tantùm manu. Primâ habuiſſe videtur, ut editum, teſte Ryckio.

Propinqua nocte] Mſ. Reg. & editio princeps, *propinquante nocte.*

CAP. XIX. Legio supplevit] Mſ. Agr. *ſupplebat.*

Oppida Batavorum] Bene Mſſ. Reg. Agr. editio princeps & Cl. Lallemand. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *oppidum.* Id oppidum Bateburgum, *Bateborg*, vel *Batavenborg* eſſe volebat Cluverius; Pontanus, Noviomagum, nunc *Nimegue.* Suſpectum habebat Lipſius *oppidum Batavorum*, & tentabat *Batavodurum.* Lipſium arguit eruditus Joannes Smith in libello, cui titulum fecit: *Joannis Smith oppidum Batavorum, ſeu Noviomagus, liber ſingularis. Quo oſtenditur Batavorum oppidum Corn. Tacito libr. Hiſt. V. C. XIX memoratum eſſe Noviomagum.* Contendit hoc unum fuiſſe Batavorum oppidum: ex eo oriundos Civilem & Labeonem; ideoque oppidanum eorum certamen memorari Hiſt. IV, 18. At hæc omnia conjecturis nituntur. Veriùs crediderim plura fuiſſe Batavis oppida. Noviomago minimè favet Cl. Alting, *Notit. Germaniæ inferioris*, pag. 104.

Abacto amne] Sic Mſſ. Harl. Bodl. Guelf. Rhenanus & Recentiores. In Mſ. Jeſ. *ab acto.* Mſ. Reg. & editio princeps, *ab amoto amne.* Mſ. Agr. *amoto.* Puteolanus, *ablato.*

Transiere] Mſſ. Harl. Jeſ. *tranſire.*

Treverorum senatores] Bene Mſſ. Vatic. 1863. Reg. & libri omnes editi. In Mſſ. Vatic. 1958. Harl. Bodl. Jeſ. Bud. Guelf. omiſſum, *ſenatores.* Secundâ manu additum eſt in margine Mſ. Harl. Fruſtra tentabat Rhenanus, *centum alii Trevirorum.*

Quem a Primo Antonio missum in Gallias superius memoravimus] Hæc quidem abſunt a Mſ. Jeſ. Ne ſpuria tamen dixeris. Nec, pro *Gallias*, neceſſariò emendandum *Germaniam*, uti placet Cl. Erneſto. Vide jam dicta in Notis.

CAP. XX. Una die Civilis quadripartito invaserit] *Unâ die* habent Mſ. Reg. editio princeps, Cl. Erneſtus & Recentiores. In Mſ. Vatic. 1863. & Agr. *uno die.* In Mſſ. Vatic. 1958. Harl. Bodl. Jeſ. omiſſum *uno die Civilis.* At eorum loco poſitum, *modicis villis.* Quod minimè probabile. Ita tamen edidit Puteolanus. In Mſſ. Flor. Bud. omiſſis quoque *uno die*, ſcriptum *modicis villis Civilis.* Mſ. Agr. *modicis villis quadripartita Civilis.* Præter Mſſ. Harl. & Jeſ. in quibus *quadripartitam*, ceteri omnes, ut & libri editi ante Cl. Erneſti

editionem habent *quadripartita*. Cl. Erneſtus emendavit *quadripartito*. Ac bene quidem, & ex optimorum Scriptorum Titi Livii & Julii Cæſaris uſu. In Mſſ. Vatic. 1958. Harl. Bodl. Jeſ. *invaſerint*. Ita & Puteolanus. Mſ. Guelf. *legionem modicis villis quadripartitam invaſerint*.

VERAX ] Beroaldus, *Vera*. Sanè operarum errore.

TRAHERENT ] Mſ. Reg. & editio princeps, *traheret*.

QUIBUS OBVENERANT ] Bene Mſ. Vatic. 1958. Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Vatic. 1863. *venerat*. Editio princeps, *quibus advenerat*.

CETERI SE MUNIMENTIS DEFENDERE ] Perperam Mſ. Reg. & editio princeps, *ceteris imminentibus defendere*. Mſ. Bud. *militibus eminentis defendere*. Inde tentabat Rhenanus, *pauci e militibus ſe jumentis defendere*, pro *defendebant*.

INRUMPERE INCHOATUM PONTEM ] Cll. Erneſtus & Lallemand, *rumpere*; quaſi ita foret ſcriptum in Mſ. Oxon. At Mſſ. Harl. Bodl. habent *irrumpere*. Mſ. Jeſ. *irrupere*. Hi tamen ſunt Mſſ. Oxonienſes. In Mſ. Reg. & veteribus omnibus editionibus, *irrumpere*. Nihil ergo mutaverim ob librorum auctoritatem. Tentabat quoque Cl. Erneſtus, *abrumpere*.

CAP. XXI. GRINNES VADAMQUE ] Perperam Mſ. Jeſ. omiſit *Vadamque*..

NEC SISTI POTERANT ] Ita libri omnes ſcripti & editi. Cl. Erneſtus tentabat, *nec ſiſti poterat*. Sed fruſtra, ut ipſe fatetur.

IN QUIS ] Mſſ. Reg. Harl. Jeſ. *in quibus*.

CECIDERAT ] Verbum illud Cl. Erneſto diſplicet; & certè rectè abeſſet.

TRANATAVIT ] Ita Cl. Erneſtus; & ſic ſuprà cap. 18. Mſ. Reg. & editio princeps, *tranſnavit*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *tranſnatavit*.

IDEM GERMANIS EFFUGIUM ] In Mſ. Reg. & editione principe, *idem germani transfugium*. Cùm de ducum caſibus hìc agatur, & de militum fato ſuprà jam ſit dictum, pro *Germanis* legendum *Veracis* conjiciunt Jac. Gronovius & Cl. Erneſtus. Valde quidem probabiliter. Quatuor enim erant duces. Hìc unus deſideratur, Civili, Tutore Claſſicoque memoratis. *Germani* vox retineri potuiſſet, ſi Verax eâdem matre potiùs, quàm ſorore Civilis genitus fuiſſet, ut rectè obſervat Cl. Erneſtus.

UT JUSSUM ERAT ] In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *& juſſum erat*.

SED OBSTITIT FORMIDO ] In Mſ. Reg. & editione principe, *ſed hoſtilis formido obſtitit*.

EXERCITUSQUE ] *Que* omiſſum in Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ.

CAP.

CAP. XXII. Bonnamque ] Malè Mſ. Jeſ. *Bonnaque*. Noveſium enim Bonnamque proficiſcebatur : minimè verò Noveſio Bonnáque.

Suismet tentoriis ] Bene Mſſ. Reg. Agr. Guelf. editio princeps, Cl. Erneſtus & Recentiores. In Mſ. Flor. *ſuiſmet toriis*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ſuiſmet coriis*. In margine Mſ. Harl. ſecundâ manu, *tentoriis*.

Quo plus terroris ] Ita Mſſ. Flor. Reg. editio princeps, Pichena & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *& quo plus terroris*.

Ornatu militari ] Bene editio princeps, Pichena & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ornati militariter*. Mſ. Flor. *ornati militari*.

Semisomnus ] Ita Mſſ. Vatic. 1863. Flor. Guelf. Harl. Jeſ. editio princeps, Cl. Erneſtus & Recentiores. Mſſ. Vatic. 1958. Bodl. & Puteolanus, *ſemiſomnis*. At in Mſ. Vatic. 1958. *u* ſuper *i* ſcriptum; ut ſit quoque *ſemiſomnus*. In Mſ. Reg. *ſemiſopitus*.

Servatur ] Mſ. Reg. *ſalvatur*. At in margine additum: *Tres alii manuſcripti codices habent ſervatur*.

Abripiunt ] Mſ. Bodl. *arripiunt*.

Alibi noctem egerat ] Ita Mſſ. Vatic. 1863. 1958. & libri omnes editi. At in Mſ. Vatic. 1958. ſupraſcriptum, *alia navi navem* ( corruptè pro *noctem* ). Unde fortè ſcriptum olim, *aliâ navi noctem egerat*.

Sacratæ ] Malè Mſ. Reg. *Sacrariæ*. Editio princeps, *Sacratiæ*. In veteri Inſcriptione apud Gruterum, pag. CLXVIII. num. 10. memoratur ATTIA SACRATA.

Suum ducis ] Mſ. Jeſ. *ſui ducis*.

Excusabant ] Mſſ. Vatic. 1958. Harl. Jeſ. & Puteolanus, *accuſabant*. Sed in Mſſ. ſupra *ac* ſcriptum *ex*.

Prætoriam triremem ] Mſſ. Reg. Agr. & editio princeps, *prætoriam biremem*.

Flumine Luppia ] Bene Rhenanus & Recentiores. In Mſ. Reg. *Lupa*. In Mſ. Harl. & editione principe, *Lupia*. Mſſ. Bodl. Jeſ. Bud. *Impia*. Unde Beroaldus, *impio*.

CAP. XXIII. Cupido incessit ] Malè Mſ. Reg. & editio princeps, *cupido invaſit : ceſſit*. Mſ. Flor. *cupido invaſit inceſſit*. Inde fruſtra tentat Pichena, *cupido inanis inceſſit*. *Invaſit* ſpurium eſt, & additum a librariis, qui verbum *inceſſit* explicavere.

Tricenis quadragenisque armamenta liburnicis solita : et simul captæ lintres sagulis versicoloribus haud indecore pro velis juvabantur ] Ita Lipſius aliique plurimi. Nec malè, in tantâ librorum corruptelâ. Mſſ. Vatic. 1863. Reg. & editio princeps, *tricenos quadragenoſque fere armamenta liburnicis ſolitæ & ſimul*

*captæ lintres, ſagulis verſicoloribus, haud indecorè pro telis juvabantur.* In Mſ. Flor. pro *fere* ſcriptum *ſe &*. In Mſſ. Vatic. 1958. Harl. *ad tricenos quadragenoſque ceu armamenta liburnicas ſoli haud indecorè pro telis juvabantur.* Ita quoque Mſſ. Bodl. Jeſ. & Puteolanus; ſed pro *juvabantur* habent *juvabant*. In Mſ. Harl. ſecundâ manu pro *ſoli* emendatum *ſolita;* & in margine additum, *& ſimul captæ lintres ſagulis verſicoloribus.* Mſ. Agr. *tricenos quadragenoſque ferre armatos liburnicæ ſolitæ.* At, ut jam ſæpe monui, codex ille viri eruditi conjectiones potiùs, quàm veterem ſcripturam refert. Ita tamen edidere Ryckius & Cl. Lallemand. Peſſimè emendabat Faernus: *adjecta ingens lintrium vis, vehentium ad tricenos, quadragenoſque ceu armamenta liburnicis, ſoli haud indecorè pro telis juvabant.* Hactenus nihil Lipſianâ emendatione melius repertum. Tantùm, ne quid veteris ſcripturæ pereat, mallem, *tricenis quadrageniſque fere armamenta* &c.

Electum ] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. editiones veteres & recentiores. In Mſ. Flor. *ejectum*. Mſ. Bud. *ceptum;* unde Rhenanus edidit, *captum*.

Quo ] Malè Mſ. Bud. *ut*. Malè inde Rhenanus, *ubi*.

Mosæ fluminis os amnem Rhenum ] Ita Mſſ. Vatic. 1863. Flor. Reg. editio princeps, Jac. Gronovius & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. & Puteolanus, *Moſæ fluminis amnem Rhenus*. Sic & Mſ. Jeſ. Sed pro *Rhenus* habet *Rheno*.

Adfundit ] Mſ. Reg. & editio princeps, *effundit*.

Magnitudine potiorem ] In hæc verba deſinunt Mſſ. Vatic. 1863. Reg. & editio princeps.

His flumen secundum ] Bene Mſ. Flor. Pichena & Recentiores. Mſſ. Vatic. 1958. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *Is flumine ſecundo*. Supraſcriptum in Mſ. Vatic. 1958. *flumen ſecundum*.

Sic prævecti ] Bene Rhenanus & Recentiores. Puteolanus, *provecti*.

Telorum jactu ] Mſ. Flor. *levium telorum jactu*.

Nota arte ducum ] Cerialis, notâ arte ducum, agros villaſque Civilis intactos reliquit, ut ei vel proditionis vel invidiæ periculum faceſſeret Quod exemplis egregiè illuſtravit Pichena. Sic, apud Græcos, a Lacedæmoniis petitum Periclem, Athenienſium ducem, teſtatur Juſtinus III, 7. *Hujus agros, in populatione ceterorum, intactos, hoſtes reliquerant, ſperantes acquirere ſe illi poſſe, aut periculum ex invidiâ, aut ex ſuſpicione proditionis infamiam. Quod antè proſpiciens Pericles, & futurum populo prædixerat; & ad invidiæ impetum declinandum, agros ipſos dono reipublicæ dederat.* Sic, apud Romanos, teſte Livio II, 39. Coriolanus *populatur inde agrum Romanum: cuſtodibus inter populatores miſſis, qui patriciorum agros intactos ſervarent: ſive infenſus plebi magis, ſive ut diſcordia inter Patres plebemque oriretur.* Sic quoque Annibal adversùs Fabium Maximum graſſatus eſt. Unde

Livius XXII, 23. *Acceſſerant duæ res ad augendam invidiam dictatoris: una fraude ac dolo Annibalis, quod cùm a perfugis ei monſtratus ager dictatoris eſſet, omnibus circà ſolo æquatis, ab uno eo ferrum ignemque & vim omnem hoſtium abſtineri juſſit, ut occulti alicujus pacti ea merces videri poſſet.*

Flexu autumni ] Bene Rhenanus & Recentiores. Puteolanus, *fluxu autumni.*

Crebris pluvialibus imbribus ] Mſ. Flor. *crebris per hiemem imbribus.*

Differebantur ] Bene Mſ. Bud. Rhenanus & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *deferebantur.*

CAP. XXIV. Paratum ] Bene Cl. Erneſtus e Mſ. Guelf. In Mſ. Harl. & veteribus editionibus, *peractum.*

Transcenderint ] Mſ. Jeſ. *tranſcenderit.*

Si quid ] Mſ. Harl. *ſed quid.* Mſ. Jeſ. *ſed quia.*

CAP. XXV. Quid perfectum ] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *quid profectum.*

Navaverint ] Mſ. Bodl. ſecundâ manu, *navaverunt.*

Et ceterorum ] Jactat Rhenanus ſe inſeruiſſe particulam, *&.* Verùm illam jam habebat Puteolanus.

Virtutem et viros ] Bene Mſ. Flor. Lipſius & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *virtutes.* Fruſtra tentabat Rhenanus, *juventutem.*

In arma trusos ] Hìc explicit Mſ. Jeſ.

Resipiscere ] Malè Mſ. Bodl. *reſpicere.*

CAP. XXVI. Nabaliæ fluminis ] Fruſtra tentabat Lipſius, *Vahalis fluminis.* In Mſ. Bud. *Flabalie.*

Et Civilis ] Ita Mſ. Flor. Pichena & Recentiores. *Et* abeſt a Mſſ. Vatic 1958. Harl. Bodl. Omiſerat quoque Puteolanus.

Ne Germanicæ ] Mſ. Harl. *ut Germanicæ.*

Transcenderet ] In Mſſ. Vatic. 1958. Harl. Bodl. & veteribus editionibus ante Lipſium, *tranſcenderent.*

Antonius epistolis ] Ita Mſ. Flor. Pichena & Recentiores. In Mſſ. Vatic. 1958. Harl. Bodl. & veteribus editionibus, *Antonius abſens*, omiſſis *epiſtolis.*

Hordeonius Flaccus ] Ita Pichena & Recentiores. A Mſſ. Vatic. 1958. Harl. Bodl. & editionibus veteribus abeſt, *Hordeonius.*

Monebat ] Bene Mſſ. & veteres recentioreſque editiones. Malè Rhenanus, *movebat.*

Flavianus in Pannonia ] Bene Mſ. Flor. Pichena & Recentiores. In Mſſ. Vatic. 1958. Harl. Bodl. & veteribus editionibus, *Fabianus in Pannoniâ.*

## *De obsidione Hierosolymitana & belli Judaici monumentis.*

Ut ſtem promiſſis, quæ in Appendice ad librum Hiſtor. V, 51. pag. 355. not. 9. feci, artem Romanorum in obſidione Hieroſolymitanâ, ſuperiùs in Notis, ob loci anguſtias, haud ſatis explicatam, hìc aperiam; deinde belli Judaici monumenta exponam.

Ac primò quidem, ſacrâ apud Judæos ſabbati lege, populus ille, ni Deus prodigialiter ſubveniret, erat adversùs ſuos hoſtes invalidus. Licèt enim vím ab hoſtibus die ſabbati illatam poſſet repellere, nefas tamen ducebat die illo, etiamſi locus tempuſque faverent, hoſtem adgredi; ne licuit quidem operibus, quæ hoſtis die ſabbati apparabat, nocere. Inde Joſephus, *Antiq. Jud.* XIV, 4. num. 2. Ἄρχοντας γὰρ μάχης καὶ τύπτοντας ἀμύνασθαι δίδωσιν ὁ νόμος, ἄλλο δέ τι δρῶντας τοὺς πολεμίους οὐκ ἐᾷ. Quod cùm perſpectum eſſet ducibus Romanis, eâ religione adversùs Judæos utebantur. Sic Pompeius Magnus ſabbati diebus pugnâ abſtinuit: ſed per hos dies, vineas, aggeres, turres, foſſas parabat, quibus tranquillè diſpoſitis, poſtridie Judæos laceſſebat. Hac arte Hieroſolyma, munitiſſimam urbem, cepit. Joſeph. *ibid.* num. 3. Contrà Ceſtius Gallus, neglectâ eâ religione, die ſabbati exercitum ſuum urbi admovit; & illo ipſo die ſabbati a Judæis victus eſt. Joſeph. *Bell. Jud.* II, 19. num. 1 & 2. Titus, Ceſtii clade edoctus, Pompeii veſtigiis inſtitit. Quod manifeſtum facit tota Hieroſolymitanæ obſidionis ratio. Is enim, paratis admotiſque machinis, dum vigebat Paſchatis celebritas, urbem oppugnare cœpit die 22. Aprilis, quæ erat dies Dominica. Perrupto muro, primam urbis partem occupavit die Dominicâ, 6 Maii. Alteram urbis partem cepit die Martis, 15 Maii. Maximâ tranquillitate & celeritate opus fuit, ut vallum urbi circumdaret, ad id operis Titus inſumpſit diem ſabbati & ſequentes duos dies Septimanarum ſeu Pentecoſtes, nempe 2, 3 & 4 Junii, atque quidem adeò properanter, ut triduo vallum ſit confectum. Turris Antonia capta eſt die Martis, 3 Julii. Incenſum eſt templum die Dominicâ, 5 Auguſti. Demum die ſabbati, 1 Septembris, machinas urbi ſuperiori admovit Titus; & poſtridie, Dominicâ nempe ſequenti, 2 Septembris, eam cepit & incendit. Sic periere Hieroſolyma. Judæos, ſub ipſa tumultûs initia, fruſtra monuerat Joſephus, ut a bello abſtinerent, in quo certè, Deo non favente, vincerentur, ſi ſabbata ſervarent: ſi non ſervarent, bellum eſſe abſurdum. Quomodo enim pro lege, Deoque auſpice, bellarent, ſi legem viola-

rent, Deumque offenderent! Hæc fusè proſequitur Joſephus, *Bell. Jud.* II, 16. num. 4. Nunc ad monumenta deveniamus. Plurima ſuperſunt. Nulla enim umquam victoria fuit celebratior.

Ut ſileam frequentiſſimos Veſpaſiani nummos, VICTORIA AVGVSTI inſcriptos, alioſque jam ſuprà in Notis memoratos; fuit in Muſeo Collegii Ludovici Magni nummus aureus: IMP. CAESAR VESPASIANVS AVG. caput Veſpaſiani laureatum. In aversâ parte, IVDAEA. Trophæum, cujus ad pedes ſedet captivus. Ibidem fuit ex ære mediocri: IMP. CAESAR. VESPASIAN. AVG. COS. III. capite laureato. In poſticâ parte: IVDAEA CAPTA SC. Judæa luget ad palmam ſedens, retro captivus ſtat. Alii ſunt id genus multi nummi ex ære magno. Quidam inſcriptum habent, IVDAEA DEVICTA. Ob victos pugnâ navali Judæos, cuſus eſt nummus jam memoratus ſuprà pag. 354. IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. COS. III. In adversâ parte, VICTORIA NAVALIS. SC. Veſpaſiano ſtatuam poſuit ordo Spoletanus cum Inſcriptione, quam Spoleti exſtantem refert Gruterus, pag. CIII. num. 7.

VICTORIAE. AVG
SACRVM
PRO REDITV
IMP. CAES. T. FLAVI
VESPASIANI. AVG
PONT. MAXIM
TRIB. POT. COS. II
P. P.
STATVAM. EX. AERE
ORDO. SPOL. CONLOC

Periculorum gloriæque ſocietate eoſdem honores adeptus eſt Titus. Fuit in Muſeo Collegii Ludovici Magni nummus ex ære mediocri: T. CAES. IMP. AVG. F. TR. P. COS. VI. CENSOR. Titi caput laureatum. In aversâ parte, IVDAEA. CAPTA. SC. Palma, cum captivo & ſpoliis. Ibidem quoque fuit ex ære mediocri: T. CAES. IMP. PON. TR. P. COS. VI. CENSOR. & in aversâ parte, VICTORIA NAVALIS. Victoria cum palmâ, & cornucopiâ. In nummis Græcis, ΑΥΤΟΚΡ. ΤΙΤΟϹ ΚΑΙϹΑΡ. *Imperator Titus Cæſar*, capite laureato. In aversâ parte, ΙΟΥΔΑΙΑΣ ΕΑΛΩΚΥΙΑΣ. id eſt *Judæâ captâ.* Nummos vide apud eruditum Morellium, *Theſaurus Morellianus*, Tom. II. pag. 389. & Tom. III. in *Numiſm. Titi.* Tab. XIII. Nuntii Ultrajectenſes, ( *la Gazette d'Utrecht* ) anno 1764 memoravere in purgandis ruderibus incenſæ domûs repertam fuiſſe Olyſſipone ( *Liſbone* ) capſulam in quâ continebantur trecenti aurei nummi Imperatoris Titi, inſcripti: TITO VESPASIANI FILIO IVDAEIS SVBACTIS. Utinam quid horum nummorum antica facies, quid poſtica referret, quis eſſet ordo Inſcriptionis ſignificantiùs fuiſſet expreſſum! Tales nummi nulli exſtant in eruditorum Cimeliis.

Pulcherrimum autem hujus victoriæ monumentum eſt arcus triumphalis, adhuc Romæ ſuperſtes: ibi ex unâ parte videtur Titus ſtans in quadrigis. Retro ſtat victoria. Adſtant Quirites militeſque cum laureis. Ex alterâ parte expreſſa ſpolia templi Hieroſolymitani; ut dictum eſt ſuprà pag. 354. Utramque arcùs partem vide ad calcem *Theſauri Morelliani*, Tom. III.

Duo ſunt alia inſignia monumenta; alterum Romæ, Interamnæ alterum: quæ habet Gruterus, pag. CCXLIV. num. 8. & pag. CCXLV. num. 1.

Romæ.

FELICITATI. AVG. ET
PROVIDENTIAE
DIVI TITI. IMP. VESPASIANI
AVG. F
SVBLATIS. POP. ROM. HOSTIB
PERNICIOSISSIMIS
C. AELIVS. SVCCESSVS
L. COCCEIVS. FELIX
S. P. F. C

Interamnæ.

PROVIDENTIAE. TITI. CAESARIS. NATI
AD. AETERNITATEM. ROMANI
NOMINIS. SVBLATO. HOSTE. PER
NICIOSISSIMO. P. R
FAVSTVS. TITIVS. LIBERALIS
VI. VIR. AVG. ITER. P. S. F. C.

Id eſt, *ſublato hoſte pernicioſiſſimo populi Romani*, *Fauſtus* Titius *Liberalis*, *Sevir Auguſtalis iterum*, *pecuniâ ſuâ faciundum curavit.*

Siluiſſem Inſcriptionem ab Emin. Baronio relatam, laudatam ab erudito Pagio, ni eam quoque a peritiſſimis antiquarum rerum æſtimatoribus Cl. Vaillant, *Numiſmata ærea Imperatorum in coloniis percuſſa*, pag. 196. & Cl. Morellio, loc. cit. Tom. II. pag. 389. deſcriptam reperiſſem.

IMP. TITO. CAESARI. DIVI. VESPASIANI. F
VESPASIANO. AVG. PONTIFICI. MAXIMO
TRIB. POT. X. IMP. XVII. COS. VIII. P. P
PRINCIPI. SVO. S. P. Q. R

QVOD. PRAECEPTIS. PATRIS. CONSILIISQVE. ET
AVSPICIS. GENTEM. IVDAEORVM. DOMVIT. ET
VRBEM. HIEROSOLYMAM. OMNIBVS. ANTE. SE
DVCIBVS. REGIBVS. GENTIBVSQVE. AVT. FRVSTRA
PETITAM. AVT. OMNINO. INTENTATAM. DELEVIT

Nihil antiqui in hac Inſcriptione: plurimum verò falſitatis. Quis enim ferat *urbem Hieroſolymam omnibus ante* Titum *ducibus*, *regibus*, *gentibuſque aut fruſtra petitam*, *aut omnino intentatam* dici, cùm olim capta ſit, & recenti apud Romanos memoriâ eam cepiſſet Pompeius Magnus, & in hoc ipſo Judaico bello magnam ejus partem Ceſtius Gallus occupaſſet? Inſcriptionem hanc ſigmentum eſſe Onufrii volebat Scaliger. Fićta eſt, quòd Inſcriptio, in alterâ fronte arcûs Titi, de quo dićtum eſt ſuprà, temporum injuriâ periit.

Hactenus de Imperatorum monimentis. Manent & militum. Repertum Taurini Auguſtæ, *Turin*, anno 1570, in æreâ laminâ, refert Gruterus, pag. CCCCLXXVIII. num. 7.

C. VALERIO. C. F<br>
STEL. CLEMENTI<br>
PRIMIPILARI<br>
II. VIR. QVINQVENNALI<br>
FLAMINI. DIVI. AVG. PERPETVO<br>
PATRONO. COLONIAE<br>
DECVRIONES. ALAE. GETVLORVM<br>
QVIBVS. PRAEFVIT. BELLO. IVDAICO<br>
SVB. DIVO. VESPASIANO. AVG.<br>
PATRE

HONORIS. CAVSSA

HIC. OB DEDICATIONEM. STATVARVM. EQVESTRIS. ET PEDESTRIS. OLEVM. PLEBEI. VTRIVSQVE. SEXVI. DEDIT

Idem Gruterus, pag. MXCVI. habet alterum monumentum poſitum Arimini, *Rimini*, prope portam Sanćti Andreæ.

L. LEPIDIO. L. F. AN<br>
PROCVLO<br>
MIL. LEG. V. MACEDON<br>
7. LEG. EIVSD. 7. LEG. EIVSD. II.<br>
7. LEG. VI. VICTRICIS<br>
7. LEG. XV. APOLLINAR<br>
PRIM. LEG. XII. GEMIN<br>
DONIS. DONATO. AB<br>
IMP. VESPASIANO. AVG<br>
BELLO. IVDAICO. TORQVIB<br>
ARMILLIS. PHALERIS<br>
CORONA. VALLARI<br>
SALINATORES. CIVITATIS<br>
MENAPIORVM. OB. MER. EIVS<br>
SEPTIMINA. P. REPONEND<br>
CVRAVIT

Ibidem alius eſt planè ſimilis titulus eidem Lepidio a Salinatoribus

civitatis Morinorum poſitus. De Menapiis & Morinis dictum ſuprà Hiſt. IV, 28. Pro PRIM. LEG. XII. GEMIN. omnino legendum PRIM. LEG. XIII. GEMIN. ut habet Scaliger in Indice; id eſt *primipilari legionis tertiædecimæ geminæ*. Tertiadecima enim legio, non verò duodecima fuit gemina. Vide quæ de numero & nominibus legionum diximus ſuprà in Notis & Emendationibus ad Hiſt. II, 6.

# ANECDOTA

## *DE PRINCIPIBUS GALBA, OTHONE ET VITELLIO.*

BREVE ac ferale fuit horum Principum imperium, civium cædibus cruentatum. Inde Julianus, Imperator, *in Cæſaribus*, eos dixit feras fuiſſe, quæ ne ſuo quidem generi parcerent. Φείδεται γὰρ ὐδὲ τῶν ἀναγκαιοτέρων ταυτὶ τὰ θηρία.

Ob ſubitariam fluxamque eorum auctoritatem, monogrammata tum Galbæ, tum Othonis nonnullis Tiberii Neroniſque nummis impreſſa reperiuntur. Quod ſanè factum, ut citiùs ac ſine diſpendio pararetur eorum moneta. Tales nummos vide apud Cl. Pellerin, *Mélange de Médailles*, Tom. II. pag. 37.

Haud inglorius tamen fuiſſet, ſi longior, Galbæ principatus. Multa ſapienter fortiterque jam providerat. Vectigalia quoque imminuit. Remiſſam quadrageſimam teſtantur ejus nummi ex ære magno & mediocri. SER. GALBA IMP. AVG. Laureatum Galbæ caput. In aversâ parte: QVADRAGENS. REMISSAE. SC. Arcus triumphalis, cui equites impoſiti. Nummi alii habent: XXXX REMISSAE. SC. Eodem planè ſenſu. De quadrageſimæ abolitione vide dicta ſuprà Annal. XIII, 51.

Ob eas egregii principatûs ſpes, & poſitum a Galbâ SIGNVM LIBERTATIS RESTITVTAE, nummos Galbæ reſtituere optimi Principes Veſpaſianus, Nerva, & Trajanus. Vide Cl. le Beau, *Mémoires de l'Académie Royale des Inſcriptions*. Tom. XXIV. pag. 181 & ſeqq.

Percelebris fuit & multorum eruditorum virorum conjectationibus jactatus Galbæ argenteus nummus, quem ita exhibebant: GALBA IMPERATOR. Caput Galbæ laureatum. In poſticâ parte REST. NVM. Caput muliebre monili ornatum. Alii interpretabantur, RESTITVTO NVMMO: alii, RESTITVTO NVMINE: alii, RESTITVTA NVMIDIA: alii, RESTITVTA NVMANTIA. Hæc omnia vana eſſe docuit Cl.

Cl. Barthelemy. Seguinianus ille nummus, qui nunc in Gazâ Regiâ adſervatur, non habet REST. NVM. ſed RESTITVTA: nec integer eſt, & in parte, quæ exſtat, affrictu detritus; unde literæ TVTA corruptæ ſunt in NVM. At nummum planè ſimilem, ſed integrum habet Cl. D'Enery, in quo manifeſtè ſcriptum, LIBERTAS RESTITVTA. Vide Cl. Barthelemy, *Memoires de l'Académie Royale des Inſcriptions.* Tom. XXVI. pag. 547 & ſeqq.

Tabulas honeſtæ miſſionis a Galbâ datas memoravi ſuprà Tom. II. pag. 455. in Notis & Emendationibus ad Annal. XIV, 27.

De Othone, luxurioſo Principe, pauca dixero. Satis ſit monuiſſe eum fuiſſe ipſi Neroni libidinis ac luxûs magiſtrum; &, cùm omnia luxûs genera anteoccupata reperiſſet, eò uſque deſcendiſſe, ut unguentis veſtigia pedum tingere monſtraret. Quod jam monuimus ſuprà, Tom. II. pag. 534, inter *Anecdota* de Nerone.

Ineunte hoc ſæculo, reperta in agro Brixelliano, *le territoire de Breſello*, magna vis aureorum nummorum, qui ibi defoſſi fuiſſe creduntur, versâ in exitium Othonis fortunâ. Vide Cl. Muratori, *Annali d'Italia.* Tom. I. Anno LXIX.

Inter hos bellorum motus, novo cibo aucta eſt menſa Romana, teſte Plinio X, 49. *Venêre in Italiam Bebriacenſibus bellis civilibus trans Padum & novæ aves (ita enim adhuc vocantur) turdorum ſpecie, paulum infra columbas magnitudine, ſapore gratæ.* Nova illa avis appellatur *Starna*, id eſt externa; & perdicis ſpecies eſt, quam perdicem cineream, *la perdrix griſe*, dicimus. Vide eruditum Manelphum, *Menſa Romana*, cap. 24. pag. 84.

At quantulum hoc ad ventrem gulamque Vitellii! de quibus cùm dictum ſit ſatis ſuprà in Notis & Emendationibus ad Hiſt. II, 52, nihil ſupereſt dicendum de Principe, qui ſemper vixit inter patinarum paludes; &, ſub mortem, cùm vera ſunt nomina, dictus eſt *Patinarius.* Sueton. in Vitell. XVII.

*Finis Tomi III.*

# *Addenda & corrigenda.*

*Pag. 6. not.* 1 & 2. Inchoatam quæſtura : *corrige*, Inchoatam vigintiviratu. Auctam quæſturâ.

*Pag.* 15. *verſ.* 15. eodem factu : *corrige*, eodem actu.

*Pag.* 55. *not.* 4. unaetviceſimam : *corrige*, unametviceſimam.

*Pag.* 112. *verſ.* 4. explorato, jam profectos : *corrige*, explorato jam profectos.

*Pag.* 137. *not.* 3. *adde*, Fortè tamen, Dalmata potiùs, quàm Hiſpanus fuit Cornelius Fuſcus; ejuſque colonia Salona : cujus urbis nomen adhuc retinent, quæ manent, rudera.

*Pag.* 172. *verſ.* 13. quæſtus : *corrige*, queſtus.

*Pag.* 225. *verſ.* 5. comtemptor : *corrige*, contemptor.

*Pag.* 258. *verſ.* 8. portum Carthaginem : *corrige*, portum Carthaginis.

*Pag.* 260. *verſ.* 20. attolere : *corrige*, attollere.

*Pag.* 288. *verſ.* 14. expromſit : *corrige*, exprompſit.

*Pag.* 314. *verſ.* 14. apud Vetera : *adde*, apud Vetera caſtra.

*Pag.* 316. *verſ.* 22. Rhenum & Germaniæ deos : *adde* in hæc verba notam : Rheni numen teſtatur Inſcriptio Coloniæ in S. Urſulæ ſacrario reperta :

I. O. M. ET
GENIO LOCI
ET RHE
NO CL. MAR
CELLINVS V. S. L. M.
IMP. COMMODO
VI. COS

id eſt, *Jovi optimo maximo*, & *Genio loci*, & *Rheno Claudius Marcellinus votum ſolvit libens meritò, Imperatore Commodo ſextùm conſule.*

*Pag.* 562. *verſ.* 35. Vide ad librum : *adde*, Vide in Appendice ad librum.

LL
T1186Br
Tacitus, Cornelius
Opera; ed. by Brotier. Vol.3.
113880

UNIVERSITY OF TORONTO
LIBRARY

Do not remove the card from this Pocket.

Acme Library Card Pocket
Under Pat. "Ref. Index File."
Made by LIBRARY BUREAU